


ORBIS
HODIE IMPERANTIS
BREVIARIUM.
LIPSIÆ
Sumptibꝰ JOH: ADAM: KÄSTNERI.

Erem Camaldul
ppe Varsavia

# CHRISTIANI FUNCCI
QUADRIPARTITUM
HISTORICO-POLIT.
# ORBIS
HODIE-IMPE-
RANTIS
# BREVIARIUM,
è
*CELEBRIORIBUS NOSTRI ÆVI*
*SCRIPTORIBUS POLIT.*
PRÆCIPUA
IMPERIA, | DUCATUS,
REGNA, | RESPUBLICAS,
STUDIOSÆ JUVENTUTI
Erotematica, h. e. facillimâ, Methodo exhibens:
*ut*
ORBIS EJUSDEM NOTITIAM
feliciùs æqvè ac faciliùs posthac haurire, imò
hinc inde & hebdomadarias meliùs
capere possit
*NOVELLAS.*
Tomus I.
IMPERIA & REGNA.
Cum Privilegio Sereniss. Elect. Saxon.
*Editio secunda paulò emendatior & auctior.*

---

*LIPSIÆ,*
Impensis JOH. AD. KÆSTNERI, Bibliop.
Typis JOHANN-ERICI HAHNII. A. 1676.

PRÆLUSTRIBUS
DUCATUS GORLICENSIS
# ORDD. PROVINCIALIBUS,

nominatim autem,

*præter cæteros Illustres, Generosissimos, maximè Reverendos, Strenuissimos ac Nobiliss.* PROCERES,

VIRIS

*Maximè Generosis, maximè Strenuis pariterq; Nobiliss.*

DNO. CHRISTOPHORO Vitzthumb ab Eckstädt/ Toparchæ in Jahnen/ Dürbach & Klieten &c. Sereniss. Elect. Saxon. à Consiliis & Cameris, Capitaneo Lus. Provinciali Eminentiss.

DNO. OTTONI à Nostitz/ Toparchæ in Neundorff & Oberspräue / Sereniss. Elect. Saxon. itidem à Consil. & Cam. Capitaneo Ducatus Gorlic. Splendidissimo;

DNO.

DNO. HENRICO SIGISMUNDO à Döbschütz / Toparchæ in Ober-Lichtenau & Qvitzdorff / Sereniss. Elect. Sax. à Consil. Senatori Ducatus Gorlic. Graviss.

DNO. WOLFF-ALBRECHTO à Löben / Toparchæ in Schönberg / Ober-Nieder-Halbendorff & Kreischau / Sereniss. Electori Saxon. à Consil. & Cam. itidem Graviss. ejusdem Ducatus Senatori,

*&c. &c. &c.*

*PATRONIS OPT. MAX.*

*FELIX NOVIENNII AUSPICIUM*

precatur

CHRISTIANUS FUNCCIUS,
Aug. Gymnasii Gorl. Rect.

Fru-

FRustra Cœli, ORDD. PRÆLUSTRES, nisi & Stellæ sint: frustra Provinciæ, nisi & Viri. Viros incluti vestri Ordinis claros puto & caros. Ego verò qvoties ad memoriam vestrum splendorem voco, in terris qvoqve Stellas reperisse mihi videor, aut certè Viros oriundos cœlo. Vah! qvæ Lumina nostræ Lusatiæ! qvæ Decora vestri estis Ordinis! Næ qvivis Vestrûm, maximè verò qvos nominavi,

*-- -- micat inter omnes,*
*fulgidum sidus velut inter ignes*
*Luna minores.*

Ut ſic loqvar, magna veſtra ſvadent Nomina, & Res ipſa cogit. Inter cæteros Viros, qvos hæc alit terra, Dii eſtis: inter Stellas, qvæ in hoc Orbe noſtrô cotidie oriuntur & occidunt, Sidera eſtis. Et nonne Solium liceat appellationem ſumere, ac Vobis tribuere? Spargit Virtutum, & præprimis Juſtitiæ veſtræ, jubar ita ſe per haſce terras: ut veri ſitis (qvô Reges Goæ olim gaudebant nomine) ADELKANES, h. e. *Juſtitiæ Adminiſtratores*, vel *ejus potius Domini.* ADEL namqve Perſis *Nobilis* eſt: *qvi Virtute ac Juſtitiâ cæteris antiſtat:* ut ſic verè demum No-

bilis

bilis ſit, qvi Juſtitiæ eſt obſervantiſſimus. Qvæcunqve igitur Juſtitiæ cauſsâ dicitis ac facitis, omninò hac laude digna ſunt, qvâ optima qvæqve ſolent laudari. Ne dicam: qvòd ab omnibus dicta factaq́; veſtra obſerventur: ab Annalium Conditoribus ſtudiosè perſcribantur. Etenim ſic omnia dicitis, ſic omnia facitis: ut & ore & corde Conſum exprimatis atqve Themidem. Accedit ot etiam Virtutibus Humanitas: qvæ me potiſſimùm ſpectat. Me, inqvam, Terræ Filitum: ut lucere incipiam; ſed à majori ſidere: utqve radios experiar; ſed à favore & amo-

re velut igni. Qvin enim à Vobis Ego amer tanqvam Vester: qvin lauder tanqvam Vir Bonus, nullus dubito. Ut verò porrò ſic amer, porrò ſic totus illuſtrer, gratũ ſaltem animum his ipſis primoribus Anni Kalendis profiteor: atq́;, ipſe hodie oſtenſurus, à qvibus amer, à qvibus illuſtrer, Strenam pro more Vobis, VIRI PRÆLUSTRES, mitto. Mitto HISTORICO POLIT. ORBIS HODIE IMPERANTIS BREVIARIUM, qvod, invitâ qvidẽ obſtetricante Minervâ, tandem in lucem hanc prodiit: dumq́ve aliqvam pariter Stellæ imaginem Veſtris auſpiciis aſſumo,

Numinibus ac Nominibus ve-
ſtris ſplendidiſſimis id ſacrum
eſſe volo. Collegi enim eâ
fini Res Imperiorum, Res Re-
gnorum præcipuorum, inqve
hunc priorem qvadriparti-
ti Breviarii per Erotemata
coëgi Tomum : ut Veſtrum
eſſet Opuſculum, Vosqve
totidem Imperia, totidem
Regna tanqvam unum lege-
retis, ſcriptum Vobis, qvo-
niam inſcriptum. Debueram
eqvidem pridem aliqvod tan-
qvam non periturum ingenii
ac judicii munus. Verùm, ô ſi
ſemper Vobis aliqvid ingenii,
multum judicii in hoc Opu-
ſculo meo eſſe videretur! O ſi

videretur eſſe, qvod cum aliqvo ſive fructu ſive exemplo publico legi poſſet! Qvicqvid tamen ſit: Vos interim, ORDINES PRÆLUSTRES, ſubmiſsè rogatos volo: ut à curis veſtris publicis ac privatis paulatim abeatis, & Strenam meam admittatis. Strenam, inſto, non rei, ſed fortaſſis, ſi tantum Libellus poterit, augendæ famæ: qvæ virtuti veſtræ debetur. Quia aurum recuſatis, Libellum Hiſtorico-Politicum fero: & fero talem Libellum: qvia præ auro Vos æſtimaturos ipſum ſpero. Aliorum judicia non reformido. Nam pretii ſigna auguſtiſ-

ſima veſtra erunt Nomina: & ipſa pro auro, imò præ auro. Legent Libellum Eruditi: qvia Vobis conſecratus eſt. Amabunt, ubi legerint: ut veſtra Nomina æqvè ac Numina videantur æſtimare, videantur colere. Valete, LUMINA ÆQVE AC COLUMINA PROVINCIALIA, baſilicè, & annate pugilicè! Deus verò, annorum ille ac temporũ Pater, ævum manere faciat Diem hunc anni auſpicem! Inſtauret & Strenarum hunc morem annorum recurſus interminus!

*Dabantur GORLICII Luſatorum, Anno cIↄ Iↄc LXXIII. ipſis, qvibus Menſium recurſus aperitur, Kalendis.*

*Ad*
# LECTOREM BENEVOLUM PRÆFATIO.

QVod in togatæ Juventutis nostræ gratiam olim breviter ac concisè Lectione publicâ proposueram, & longiori deinceps filô diductum in mensa Solis exposueram, paulò emendatius atqve auctius iterum iterumq; publici juris facio: qv. & Tibi, L.B. scriptum pariterqve inscriptum foret. Dum verò Libellum ipsum inspicis ac legis, *J. LIPSII* verba velim cogites: *Lapides & ligna ab aliis accipio, ædificii tamen extructio mea est. Architectus Auctor est, & materiam variam undiq; conduxit. Nec araneorum textus ideò melior, qvi ex se fila gignunt: nec Auctoris vilior, qvi ex alienis libat, ut Apes.*

Ul-

Ultrò eqvidem fateor, me qvoqve eadem ſcripſiſſe: qvæ jamdudum Alii, majori fortè cum judiciô, ſcripsêre. Atqve ſic omninò & Ego lapides ac ligna ab aliis accepi: variam undiqve conduxi materiam: ex alienis libavi, ut apes ſolent: non ex me hæc fila genui, ut gignunt aranei. Mea tamen extructio eſt Ædificii, h. e. Forma ac Methodus mea eſt. Non enim novi, qvemqvam ORBIS IMPERANTIS NOTITIAM Erotematicâ hac, qvâ Ego, Methodô, & qvidem per tam continuam Qvæſtionum ac Reſponſionum ſeriem, ut Interrogativum & Redditivum plerumqve ſibi reſpondeant, evulgaſſe. Captui ſiqvidem Studioſæ Juventutis conſulere volui, debui. Iis præprimis volupe fuit conſulere: qvi ſic nati, & eâ præditi ſunt indole, ut Optumi ac Generoſi Parentes ſumma omnia ab ipſis expectent: ſic etiam

educantur ac instituuntur, ut, nisi à se invicem abeant, ostendere possint: qvid sit verè nobilem ac generosum esse. Et qvidni *Historicô* æq; ac *Politicô* hoc *Breviariô* ipsis consulerem? Coëgi namqve in id: qvicqvid ad Orbis Hodie-Imperantis feliciùs ac faciliùs hauriendam facit Notitiam: qvicqvid hebdomadariis meliùs capiendis inservit Novellis: imò & qvæ olim in Reipublicæ administratione subinde prodesse possunt: maturè capienda ab iis, qvos rebus scientiisqve citiùs admovere par est, qvàm vulgò in Scholis admoveri solent. Dum verò Opus plenum mutationibus, varium rebus, & obnoxium fortè multorum obtrectatorum conviciis, aggressus sum, veniam audaciæ abs Te, L. B. deprecor. Nec enim diffiteor, me hominem de Scholâ esse, indeq; longè aliena à professione meâ videri, qvæ scripsi. Inju-

rios tamen in temporum horum felicitatem, ubi dicere nonnunqvam, qvæ velis, & qvæ dixeris, ſcribere licet, hos omnes eſſe, qvi ſcribentis libertatem, vel audaciam heic accuſant, qvis non videt? Qvis non, niſi iniqvus rerum ſit cenſor, intelligit, eum, qvi in omni Scibilis genere non tantùm ipſe verſari tenetur; ſed & aliis in eâ Eruditionis parte inſervire ſemper diſcupit, qvæ maximè in Politicorum hodie atqve Aulicorum congreſſibus per crebros Diſcurſus freqventari ſolet, provinciæ ſuæ limites haut excedere, multò minus effrenis cujusdam argui poſſe licentiæ? Eò ſecuriùs proinde hoc, qvicqvid eſt, ſcripſi ac edidi: qvò liberiùs alios *Scriptis* & *Manuſcriptis* iisdem de rebus tradidiſſe novi. *CONRINGIOS* puto, *BOTEROS*, *BOXHORNIOS*, *HORNIOS*, *BOECLEROS*, *LAETIOS*, *LIN-*

*DANOS, MICRÆLIOS, BECHMANNOS, POPPINGOS, OLDENBURGOS, SPRENGEROS, FRANCKENSTEINIOS, BOSIOS*, & ſi qvi ſunt alii, è qvibus plurimùm profeci. Hos, hos videl. celeberrimorum Nominum Autores cum plurimis aliis partim citavi, partim reticui. Citavi alios: ut fidem narrationi adſtruerem, neve omnia ex meâ obſervatione aut nudis Hiſtoricorum relationibus adſcita crederentur. Alios reticui: ne creberrimæ Auctorum citationes Lectorem offenderent, aut curſoriam interturbarent Lectionem. E qvibus verò fontibus cujuslibet hodie florentis Reipubl. uberiorem haurire liceat notitiam, mox in ipsâ Capitis fronte, mox in ejusdem calce, raro in mediô curſu bonâ fide aperui: Nec etiam Criſin, qvam de plerisqve, qvos nominavi, interſererem Autori-

toribus, prætermiſi, viam ubiq; in hoc Eruditionis genere ad altiora muniens. Qva & fini non rarò è Jure qvolibet publico qvædam, qvæ maximè controverſa, admiſcui. Qvid? qvod non pauca è Jure Naturæ ac Gentium, unde fluunt, qvæ notabiliora in diverſis Rebuspubl. occurrunt, petere, atqve huc trahere placuerit. Ut taceam noviſſima qvæqve: qvæ hinc inde inſerta habentur. Non enim vetera tantùm. nec ea ſolùm, qvæ Majorum noſtrorum ævô contigere; ſed &, qvæ res noſtri ſunt temporis, nec à qvopiam huc usqve edita, inter legendum deprehendes. Si qvi errores tamen in hoc plenô difficultatis Opere adhuc ſuperſint, qvod facilè crediderim: ſi in nonnullis item fides adhuc deſideretur, id utrumqve non tam mihi, qvi homo ſum, nec humani aliqvid à me alienum eſſe ſemper ſentio, qvàm Au-

toribus, cum qvibus denuò errare malui, qvàm aliqvid citra illorum autoritatem credere ac ſtatuere, imputabitur. Ego ſanè omnia, ut accepi, ita innoxiâ temeritate retuli, ſecutus in hoc *Q. Curtii* exemplum. Is qvippe, nonnullâ eâdem, qvâ hauſiſſet, fide ſe memoriæ prodidiſſe, ſcribit. Cæterùm, qvod genus ſcribendi attinet, qvô ubiq; uſus ſum, varium omninò eſt pro varietate Autorum, qvos adii: ut ipſos in concinnandoBreviario hoc conſulerem. Qvanqvam igitur Phraſis nonnunqvam à Latini ſermonis puritate abludat, me tamen in hoc plurimorum Politicorum veſtigia ſecutum, verbisq; uſu hodierno receptis uſum fuiſſe, ſcito: ut ſic fruſtra eloqventiam aut verborum elegantiam heic qværas. Qvin potius ignoſcas velim: ſi qvid in verbis aut phraſi peccatum. Res ſiqvidem curavi, non verba: qvæ

rebus ſaltem deſerviunt: non verò res verbis. Accedit: qvòd neqve verbis omnia ſatis commodè deſcribi poſſint: unde non raròmulta ad communem loqvendi conſvetudinem ſunt dicenda. Qvid pluribus opus? Ego te affari L. B. deſino: dum abire Ophiogenes, dum abire Pſyllos, venena tantùm exſugere librorum natos, contra ea verò adeſſe mites ac candidos, *verbis Lipſianis*, jubeo. Abite itaqve, Vos Momi, & adeſte, qvotqvot non impellere, ſed benignâ potius interpretatione aliqvâ levare lapſantem parati eſtis. Namqve Ego me labi & errare non poſſe ſolùm fateor, ſed debere. Nonne homo ſum? ut ſic nihil mirum, ſi memoria & judicium langveſcant alicubi, aut vacillent:

*Et noſter qvandoq; bonus dormitat Homerus.*

# DECANUS
## FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
*IN*
## ACADEMIA LIPSIENSI.

LAudes hiſtoriæ enarrare ſi qvis cupiat, citiùs dicendi exordium, qvàm exodium reperturum arbitramur. Et demonſtrata eſt ab non uno ejus partim jucunditas, partim utilitas: qvarum utraq; tàm clara ac manifeſta eſt, ut nullũ hactenus, qvi inficiaretur, ſciamus, niſi fortè irriſorem aliqvem, Lucianum, aut omnibus diſciplinis æqvè infeſtũ, Agrippam, nominare qvis velit. Præcipuè inſignis eſt hanc in rem digreſſio *Cominæi*, (qvem *Philippum* omnibus Alexandris dignum judicat *Lipſius Libro 1. Polit. c. 9. not. ad* §. 12.) inſtituta ab eo *Libr. 2. hiſt. ſui temporis c. 6.* qvam deniq; hoc pacto claudit: *Eqvidem Libri, qvicunq; ſcripti erunt, ad nihil erunt utiles*

*tiles*

*tiles, qvàm ut memoriæ nostræ inserviant, præteritarum rerum recensionibus: hacq; ratione in uno solo libro tribus solis mensibus plus videbit unus homo, qvàm experientia ususq; rerum, & conspectus vitæ viginti integros docere possint, etiamsi ordine suam alteri ætatem alter subjunxerit.* Est autem inter leges historiæ vel præcipua, ne qvid falsi dicere audeat, & ne qvid veri nõ audeat, ne qva suspicio gratiæ sit in scribẽdo, ne qva simultatis, *Cicerone* Autore *Libr.2.de Orat sect.62.* Verùm eam qvis hodiè scribentium observare facilè potest? Timent scilicet omnes, non dicimus in eos, sed nec fermè de iis scribere, qvi possunt proscribere, & principũ aures mordaci vero radere tantùm non cuncti verentur. Nimiũ multi hodiè sunt, qvi cum Vitellio nihil nisi jucundum, & non læsurum accipere auribus velint, veri-

ora aſpernantes, unde & oppidò difficile eſt, ſui ſeculi hiſtoriã ſcribere, & nonnullos, qvi alioqvi ſuperioris ævi res geſtas floridè & facundè perſecuti fuerant, deſtinata reliqviſſe novimus, ubi ad noſtra tempora perveniſſent.

Bene ergo meritũ exiſtimamꝰ Clariſſimum Virum Dominũ M. CHRISTIANUM FUNCCIUM, Görlicenſem Gymnaſiarchã, de bonis literis, qvòd in unum velut faſciculũ congeſſit, qvæcunq; ex varia variorũ autorũ lectione collegerat de Imperiis & Regnis præſentis ævi, qvorum ad nos aliqva notitia pervenit. Qvòd ſi non omnia ad cujusq; placitũ ediſſeruit, culpa non ipſius eſt, ſed eorum, qvi eâdem ſubinde libertate de artibus regnãdi, & occultis dominãdi arcanis ſcripſere, qvâ miniſtri Principum licentiâ ad malam ſine fine dominationem graſſati fuere.

Nihil tamen obtrectandi aut adulandi ſtudio dictum arbitramur, qvin potiꝰ, ſi qvæ occurrant duriuſcula, qvæq; delicatas & veritatis nudæ & horridæ impatientes aures poſſint offendere, condonanda judicamus egregio ſtudio, qvo ad juvandos promovendosq; ingenuæ juventutis progreſſus ferri Autorem novimus. Et eſſe hanc cognitionem Orbis hodiè-Imperantis oppidò non utilem modó, ſed propemodùm neceſſariã, facilè aſſentientur illi, qvi plures vitæ, qvàm Scholæ diſcere nõ ignorant. Hoc noſtrũ de hôc Opuſculo judicium eſt, qvod ſe æqvis lectoribus facilè approbabit: iniqvos aut rerum minùs peritos, affectibusve præpeditos aut præoccupatos, ſuo hac in parte ſenſu abundare facilè permittimus. *Script. Eid. Februar. M. D C. L X X I I I.*

(L.S.)

*Seqvuntur*

# Magnorum
## Fautorum atqve Amicorum Epp. & Epigrammata.

I.

S.

EX abundantia affectus in me Tui, *Vir Præ-Clariß.* incidisti in errorem eorum, qvi in re amata putant, se videre id, cujus ibi vix apparet umbra, vix vestigium. Absit enim, ut mihi tribuam, aut tribui patiar ea, qvæ de me scripsisti tam liberaliter, ut, qvid eorum ad me pertineat, ipse agnoscere non possim. Certabo autem tecum non laudando (Virum enim laudatissimum laudare qvid opus?) sed amando & officia, si qvæ à me possint expectari, exhibendo tibi Tuisq; promptissimè. En prima heic specimina. Versus enim, qvales omninò per negotia, vix juxta

votum tuum, fundere potui, ſubjicio, tuoq́; *Schwerdfegero* paucisſimis verbis prolixiſſimam offero benevolentiam:

*Libenter hoc & omne militabitur*
*Bellum in tuæ ſpem gratiæ.*

Gratias etiam ago pro tranſmisſis lucubrationibus eruditiſſimis maximas, & ſimiles ſubinde, qvod eſt doctiſſimas, expecto. Interim vale, mihiq́, qvod facis, favere perge.

* * *

ORbis in exiguis Te cernitur auſpice chartis,
Maximaq; eſt moles, libera mole, Liber.
Debitor hinc Tuus eſt Orbis: qvid qvæſo rependet?
Diffundet per ſe nomen is ipſe tuum.

*Lipſiæ die 26. Maji, Anno*
*cIↄ Iↄc LXXII.*

L. Val. Alberti,
SS. Theol. P. P. Extraord.
Log. & Metaphyſ. Ord.

II.

# VIRO
*Excellentiss.*
# DNO. CHR. FUNCCIO
# ELIAS THOMÆ.
*S. P. D.*

UTinam, Vir Præ-Clarissime, qvantæ voluptati mihi literæ tuæ fuerint, qvas nudius tertius accepi, possem exprimere. Mirabar silentium tuum, & simul dolebam, tanta potiundi fautoris spe nihil tale metuentem excidisse. At enim verò, beasti me humanitate plenissimo responso, & proclivem ad commercia hæcce, multo meo cum gaudio invitasti. Non stabit per me, qvin posthac freqv●ntiâ literarum, qvod in Palæstra nostra devoramus tædium, edulcoremus: cupio qvippe amicitiam tuam sartam mihi tectamq; manere. Et qvia jam inde

de ab anno qvadragesimo qvinto in Tacitum, ex omni Scriptorum genere qvàmplurima collegi, qvę absolvere σὺν τῷ πολυελέῳ θεῷ animus est, ac primùm ea accepero Vienná, ubi in manibus magni alicujus Ministri jam à qvinqvennio hærent, tecum ea, priusqvam lucem videant, communicabo. Tibi interea gratias ago, qvas meretur tua benevolentia, benignumq́; de studiis meis judicium; atq́; fidem facio, gratissima mihi fuisse præclara, qvæ misisti, industriæ tuæ specimina. Gratulor qvin imò tam eruditi Operis, haud dubiè famam tuam adaucturi, egregiè succedentem editionem: mitto etiam nonnullos versus, qvos inter occupationes varias effundere licuit. Si persvaderi potes, longè me esse ad hæc talia difficilimum, propensionem animi in te mei facilimè co-

cognoſces. Nempe, qvomodo negarem aliqvid Viro, qvem, licet maximi faciam, magis tamen amo? Cæterùm video, te ipſius Operis tui œconomiam accommodaſſe ingeniis qvibusvis, atq; id egiſſe, ut vel tardiores & ſtupidiores, qvid docere velis, qveant percipere: qvo ipſo ſuperare mihi videris, imò ſuperaſſe, Hornium, qvi neq; in Orbe Imperante, neq; in Orbe Politico illud aſſeqvitur. Ut taceam ea, qvæ ex Jure publico qvàm commodiſſimè proponis. Qvanqvam enim videri poſſit intumeſcere moles, ob qvæſtiones inſerendas; tantum tamen hoc ipſum obeſſe neqvit, qvantum prodeſt inde emergens perſpicuitas. Si de hoc inſtituto tuo fuiſſem factus certior, autor tibi ſvaſorq; extitiſſem, ut ex Klenkii Inſtitutionibus Juris naturalis, Puffendorffio item

atq;

atq; Gulielmo Grotio, Hugonis fratre, de Principiis Juris, tum naturalis, tum civilis, qvædam præmisisses. Deprehendo enim magis magisqve, ex illis fundamentis omnia esse deducta, qvæ fusissimè scriptores æstimatissimi effuderuut. Fortè autem, si tibi non licuerit huic meditationi vacare, ipsemet aliqvid moliar, occasione Juris publici, qvod, si nostram exceperis Germaniam, in Orbe propemodum toto negligitur. Et hæc de his, &c.

* * *

PRæclarum protrudis Opus, *Celeberrime FUNCCI!*
Te præcone probo fruitur Germanica tellus,
Et *tibi* sceptra novi dant argumenta laboris.
Entheus exiguo nescit se claudere tractu
Fervor, & ætherei das fœnora multa talenti.
Cogentur rigidi fasces submittere *Momi*,

Invidiosa cohors. Regnantûm scribere fastos,
Ad famam satis esse putas, non indigus auræ
Vulgaris: studio tam pulchro maxima regna
Incrementa suæ debebunt florida famæ,
Et varius sceptri leget incunabula Princeps.
Hinc Te posteritas, mi *FUNCCI*, sera loqvetur,
Atq; ego constantis statuam *Tibi* signa favoris.

*Uratislaviæ, prid. Cal. April. cIↄ Iↄc LXXII.*

III.

## Vir Excellens Præclarissimeqve,

FAutor atq; Amice multis nominibus mihi æstimate; tardè, ut vides, respondeo, post trium Mensium spatium demum affectûs Tui sinceri documentum simili Litterarum affatu retalians: respondeo tamen, &, qvàm nuperis qvidem

Nun-

Nundinis rogatus debebam, ob irruentia autem impedimenta non una expedire gratulationem non poteram, in præſens ſimul lætus gratusq; tranſmitto. Non feres, credo, tantillam moram ægrè. Scholaſticus, ſi qvis alius, ſibi relictus non eſt ſemper. Adhæc didiceram ex ore præſtant. DN. KÆSTNERI, maturato non eſſe opus; intra Semeſtris intercapedinem vix abſolutum iri opellam. Neq; fefellit utrumq; Opinio. Adhuc, eodem teſte, ſub prælo ſudat Orbis particula, Orbi erudito propediem comũnicanda. Nec Amori, in primis Litteris candidè promiſſo, huc usq; deceſſit aliqvid, immò acceſſit plurimum. Cum qvo enim Amicitiæ fœdus pepigerim, Lectio pagellarum, à Bibliopola Veſtro ſuppeditatarum, magis magisq; edocuit. Optarem verò eti-

am, ut Bonitatis æqvè, ac Amoris Augmento compensaretur Tarditas! Dignus qvippe egregiâ Acclamatione egregius Libellus. Ast non vanè vereor, ne valdè displiciturum sit hoc Testimonium meum, festinato, ut omnia, raptu conceptum. Namq; cum tale Inscriptionum genus succinctam pariter & acutã scribendi rationem reqvirat, hoc meum tantò erit ingratius, qvantò ab isto Charactere recedit longiùs. Gratificor tamen, & Judicium qvalecunq; de invidendo Tuo Conatu ingenuè explico; spe fretꝰ certissimâ, Animi, qvàm Artis, apud Te æstimium fore majus. Tibi jam integrum est, Vir Cl. sive supprimere penitus Laborem, à Capite, Doloribus post morbum residuis fatigato, profectum; sive mutatum probè, ubi displicuerit, cæteris adjice-

re congratulantibus. Præſtat (ita ego ſentio,) Verbulorum qvorundam, qvàm Amici, ejusdemqve præclari, facere jacturam. Cæterùm, ut cœpiſti, ita, qvod facis, perge redamare Amore Tui æſtuantem.

* * *

Appropera, Rerum Politicarum amantiſſime,
atq;
cùm jam ſine criminis notâ avaro
eſſe liceat,
E BREVIARIO HOC
FUNCCIANO,
qvantum libuerit, de-
prome.
Erras,
ſi è parvo libello parva
Tibi usq; promiſeris.
Uti enim in magno Volumine
exigua,
ita ex adverſo in exiguis
Chartis inexpectata
ſæpè
Prudentia recondita jacet.

Jacet & heic loci talis.
Offendes in Corpuſculo
hujus Scripti,
non Antiqvi,
(namq; hoc ſolo delecta-
ri velle vana qvædam
ſuperſtitio eſt,)
ſed hodiè-Imperantis
Orbis
Hypotypoſin.
Reperies,
ſive Circulus converſantem,
ſive Aula ſvaden-
tem,
ſive Arena belligeran-
tem, Politicum de-
ſideret,
pro re natâ
Materiem, Conſilium,
Auxilium.
Morum qvippe, Axiomatum, nec non
Finium,
(qvibus ritè cognitis
rectiùs utiqve judicamus,
deliberamus, militamus,)

accurata ibidem Notitia.
Reperies, ne diu Te
detineam,
in parvo libro magnum
Thesaurum.
De his certior factus, Lector
Amice,
gratulare Tibi,
Orbem universum in Nuce
qvasi habenti;
magis tamen Orbi ipsi,
tàm aptum sui Pictorem
consecuto.
Ut verò etiam dignum
Labore Præmium reportet Autor
Cl. gratus,
ne Vitæ Famæve Brevia-
rio, sed Auctuario,
inseratur,
Voto & Testimonio
Tuo,
æqvè ac ego qvalicunqve
meo, effice.

*L. M. Q. scr.*

M. GEORGIUS Wende/
in Gymn. Wrat. Magdal. Phil. Pr. Hist. & Eloq.
Prof. in Illustri Societ. Fructifera Plan-
tans cognominatus.

IV.

*Præcellentissimo Viro,*

DNO. M. CHRISTIANO FUNCCIO,

Gymn. Gorl. Rectori & Directori,

ut merentissimo, ita famigeratissimo,

*egregium*

ORBIS HODIE-IMPERANTIS BREVIARIUM

edenti,

*S.P.*

Licet putetur esse ponderosius
Onus vel ipsô Caucasô: Scholasticæ
Moderarier fasces Rei nunc temporis:
Ubi Musa (dictu triste!) mula redditur:
Et Gratiæ parum merentur gratiæ:
Pubesq; mordet frena contumaciùs:
Horuncce fascium tamen moderatio,
Cui perdius das sedulam, pernoxq; das
Operã, Lycei Portio FUNCCI, optima
Nostri, facessit haud Tibi negotium
Tantum: sagacis ingenI qvò commodes
Minùs freqventiorem opellam fascibus:
Qveis cernimus, legimusvé terras flectier

Nomi-

Nomine celebres hunc per Orbem cognitum.
Tua nempe mens, labore frangi neſcia,
Sic litterariæ modô vel qvôlibet
Annititur juvare commodum rei.
Melius qvid ergo, certius qvid augurer:
Qvàm nominis famam tui perenniter
Fore ſplendidam docti per Orbis angulos:
Polita qvotqvot Scripta viderint tua:
Ut FUNCCIUS ſis nomine, ac ſimul omine?
Qvid? Ambigis? Fidem Tibi Sileſia
Cum Miſniâ ſat eruditis litteris
Signavit: immò & Auſtriam nôſti optimè
Firmâſſe cum Pannoniâ hactenus fidem.
Terrarum idem cur cæteræ non factitent?

*Dn. Compatri, Affini, & Collegæ obſervanter colendo debitæ gratul. ergò ex affectu ſinceriſſimo L. M. Q. accinebat*

MARTINUS RICHTERUS,
Gymn. modò laud.
Con-Rect.

*Allu-*

V.

*Allusio ad Cognomen*

*Præ-Clarissimi*

# Dn. AUTORIS,

## cum voto pro incolumitate Regnorum & Imperiorum.

ECce novas pergit Stricturas edere Noster
FUNCCIUS ingenii: nomen & omen habet.
Illas Stricturas emittit in omnia Regna,
Scitè descripsit qvæ breviore Stylo.
Has per Stricturas claras fit clarus in Orbe
Penè per Eoas, Hesperiasqꝫ plagas.
Felix, qvem Phœbus, qvem plurimus ambitus Orbis
Utibilem novit artibus, atqve Stylo!

Hasce

Haſce perilluſtres Stricturas Zoilus, ater
Nec Momus ſtingvet, Vir Venerande, Tibi.
Japetionides, retulit qvi primus ab aſtris
Ignem, Stricturas indidit haſce Tibi.
O longùm FUNCCI ſcintillet fervida Virtus,
Edat Stricturas ingeniumqve ſagax;
Atqve terat longùm Scholicam felice Coniſtram
Gymnade, Mercurios fingat & arte ſuâ!
Pax obſcuratur divinæ nubibus iræ,
Scintilla & Belli gliſcit ubiqve novi.
In multis etiam Mars luctifer orbibus Orbis
Sævit, in Imperiis jam variatqve Statum.
Ex Aſiæ latebris Ottomannica Beſtia magnæ
Ungvibus hamatis Sarmatis arva terit.

Proh

Proh dolor! hæc Aqvilas Romanas Bestia nido
Nec non Sarmaticas pellere sæva cupit.
Sed DEUS infringat Turcæ conamina sæva,
Inq; Notos, qvicqvid triste minatur, eat!
Servet & Imperia cum Regnis omnibus, almam
Clementer pacem restituatqve, precor.

*Honoris & Observantiæ ergò scribebat*

ANTONIUS Schmidt.

ERO-

# EROTEMATICA
## BREVIARII
# HISTORICO-
# POLITICI
Qvadripartiti
## PRÆCOGNITA
De
# NOTITIA ORBIS
## IMPERANTIS IN
## GENERE.

# PRÆCOGNITORUM EROTEMATICORUM De Notitia Orbis Imperantis in genere

## EROTEMA I.

*Eſtne aliqva liberalis & ingenua Diſciplina, à reliqvis diſtincta, qvæ de ſingulis Imperiis, eorumq́; inſtitutis, moribus, artibus imperandi, & ſimilibus, agat?*

DAri talem peculiarem Diſciplinam, vel inde nonnemo noſtri Seculi Politicorum colligit: qvòd multa hujusmodi civilis Prudentiæ Studioſo in particulari cognoſcenda, qvæ tamen ad nullam aliam Diſciplinam commodè referri poſſent, neqve in alia tractari ſolerent. Accedit juxta illum & hoc: qvòd diverſum à reliqvis Diſciplina illa finem habeat: ut ſciret nempe & cognoſceret civilis Prudentiæ Studioſus, qvid in ſingulis Rebuspubl. hoc tempore & hoc rerum ſtatu obtineat, & qvibus mediis hæc vel illa Reſpublica ſuſtineatur ac gubernetur.

## II.

*Qvò alii referunt Diſciplinam hanc?*

Sunt, qvi referant ad *Politicam*, eandemqve *POLI-*

*POLITICAM SPECIALEM* appellitent: in qvibus KECCERMANNUS. Sunt, iiqve longè plurimi, qvi politicam singularum Regionum descriptionem in *Geographia* tractare soleant. Sunt deniqve, qvi partem *Historiæ Polit.* sive *Pragmaticæ* faciant.

III.

*Numne autem rectè refertur præsens Disciplina ad Politicam, vulgoq́ue constituitur Politica specialis?*

Non videtur rectè eò referri *consideratio hujus vel illius Reipubl.* minusqve rectè *Politica specialis* dicitur. Nam *Politica*, prout inter partes Philosophiæ Activæ recenseri, vulgoqve tractari solet, uti cæteræ illius partes, in generalibus subsistit, nec ad singularia descendit. *Politica* autem *specialis* ea potius censenda, qvæ generalia præcepta constituendæ administrandæqve Reipubl. ad singulas species, *Regnum Aristocratiam, Democratiam*, applicat, & naturam earum atqve arcana specialia mutuaqve discrimina seorsim pertractat. Sicuti Metaphys. specialem dicimus, qvæ seorsim considerat decem summa Genera Entis; Physicam specialem, qvæ causas & affectiones corporum naturalium in specie hac illâve exponit, & similiter in aliis.

IV. *An*

IV.

*An rectè in Geographia politica hæc singularum Regionum Descriptio tractari solet?*

Planè perperam id fit à *MERCATORE* in *Atlante* & *ABRAHAMO ORTELIO* in *Orbis terrarum Theatro.* Geographia enim, scientia Mathematica, solùm eatenus Orbem terrarum spectat, ut superficiem habet, certâ magnitudine præditam: per qvam in suas partes est divisibilis. Qvarum ipsam longitudinem, latitudinem, formam, situm, ordinem commensum, cæterasqve proprietates, à qvantitate dependentes, partim explicando perseqvitur, partim aptè repræsentando ob oculos ponit. Si qvid igitur præterea tractationi suæ inserit Geographia, id omne aut ex *Historia*, aut è *Notitia Imperiorum peculiari* mutuò accipit, atqve sibi tandem transcribit: ut retineat & excitet Lectorum animos, qvi nudâ Regionum enumeratione ac descriptione plerumqve somnolenti redduntur.

V.

*An rectè deniq; Historiæ Politicæ, seu Pragmaticæ, qvam vocant, pars constituitur imperantis Orbis Notitia?*

Nec hoc rectè fieri putatur: qvum omninò differat *Orbis Imperantis Notitia* ab *Historia Politica* seu *Pragmatica*. *HÆC* enim maximè particularia perseqvitur, & singulas actiones

cum

cum annotatione temporis, loci, ordinis, personarum, aliarumqve circumstantiarum exponit, insertis, ubi opus, caussis, prætextibus, eventibus & judiciis : ut è *Dubiis Politicis* maximè liqvet, qvæ, ex omni temporum memoriâ collecta, ventilata, & decisa edidit *CYRIACUS LENTULUS* : ut & è *Disqvisitionibus Polit.* h. e. è LX. Casibus Politicis, ex omni historia selectis, liqvet : qvos jam ante in Belgio *M. ZUERIUS BOXHORN.* ediderat, de singulis varias Sententias ac Decreta, variosqve Eventus proponens, exactumqve de iisdem ferens judicium. *ILLA* autem paulò generaliori tractatione totam faciem ac statum uniuscujusqve Reipubl. velut unô intuitu proponit animo.

## VI.

### *Annon interim aliqvid commune Notitia Rerumpubl. cum Historia Pragmatica habet?*

Habet hoc cum Historia Pragmatica commune : *qvòd cum illa maximam partem civilis observationis & doctrinæ constituat.* Nam utraqve longè solidiùs & liberaliùs veram solidamqve prudentiæ civilis institutionem, qvàm Præcepta Politices, profitetur. Fieri siqvidem neqvit : ut civilis prudentia è præceptis generalibus, aut solis, aut potissimùm maturè & feliciter & ad vitam civilem ac imperiorum regimen aptè comparetur : eò qvod illa propriè in iis censeatur, qvæ artem non habent, & ad qvæ

non

non tam regulis, qvàm obſervationis cujusdam propioris inſpectione opus eſt.

VII.

*Notitia eadem in qvo convenit de reliqvô cum Hiſtoria?*

In eô cum *Hiſtoria* convenit: qvòd, ſicuti *hæc* omnis exempli documenta, in illuſtri poſita momento, ſuppeditat, unde, qvisqve ſibi ſuæqve Reipubl. qvæ imitetur; unde fœdum inceptu, fœdum exitu qvod videt, capiat, ita illa ſolida fundamenta toti *de Rebuspublicis*, ſeu *Civili Philoſophiæ* ſuggerat. Utpote qvæ non poteſt exactè, niſi per *obſervationem exemplorum*, in ſingulis tractari. Atqve hoc conſilio ipſe *Ariſtoteles* non ſolùm *L. II. Polit.* deſcriptionem variarum Rerumpubl. inſtituit; ſed etiam in peculiari Opere πολιτειῶν earum mores, inſtituta, ac diſciplinam deſcripſit. De qvo plura *Nonnes. in Not. ad Vit. Ariſtot.* à ſe primùm editam, *No. 44.*

VIII.

*Anne & aliqvid Diſciplina noſtra cum Politicâ habet commercii?*

Id ſanè commercii cum *Politica* habet: qvod ex ea omnes terminos ſumat, eosdemqve ſuo inſtituto applicet, qvos in *actu ſignato* illa tractat, definiendo nempe eos ac dividendo. Tales termini ſunt *Magiſtratus, Reſpublica ſimplex* & *mixta, recta* & *corrupta, Regnum, Dominatus, Ariſtocratia, Democratia, &c.* Qvorum eſſentiam

tiam ac naturam ſecundum ſe non ſpectat, aut explanat noſtra Diſciplina : Sed ſaltem in *actu exercito* illos applicat, conſiderando aliqvid, cui natura illorum conveniat. Cognoſcit nempe, non *qvid Reſpublica ſit* & *qvotuplex* : ſed *qvalis hæc vel illa ſit Reſpublica*, & *qvomodo, jam olim conſtituta, hodie domi foriſq; adminiſtretur.* Cognoſcit, non *qvid Regnum, qvid Dominatus, qvid Ariſtocratia, qvid Democratia* : ſed, *ubinam gentium hodiè talis vel talis Reipubl. Status floreat; qvi ejus ortus; qvæ incrementa* & *decrementa; qvæ adminiſtrandi ratio; qvi præcipui Magiſtratus* & *miniſtri; qvæ opes, qvæ potentia, qvæ vires, qvi reditus, &c.*

IX.

## *E dictis qvid patet?*

Patet inde hoc : *qvòd Imperantis Orbis cognitio inter Hiſtoriam & Politicam teneat medium, è domeſticis fluens principiis.* Negari interim hoc neqvit : qvòd *Notitia hæc non ſolùm magnam partem ex Hiſtoria deſumatur, ſed ipſi etiam Hiſtorici ſubinde ſtatum ejus Reipubl. cujus geſta relaturi ſunt, breviter deſcribere, & operibus ſuis alicubi inſerere ſoleant :* ut in *Archontologia* ſua *Coſmica* præ cæteris *JOH. LUDOVICUS GOTHOFREDI* facit. Atq; eopſe intuitu (qvòd nempe multa Diſciplina hæc participet de *Politica*, plurima autem de *Hiſtoria*) non adeò ineptè *BREVIARIUM* hoc noſtrum, qvod *ORBIS eſt IMPERANTIS, HISTORICO-POLITICUM* ſalutari meretur. Non incommodè

alii Doctrinam hanc de Imperiis *NOTITIAM ORBIS HISTORICO-POLITICAM* appellant: Non nemo *Scientiam Mundi* dixit. Nec incommodè illam *Politicæ ſubordinari* dicunt, *ſicuti mixtæ ſcientiæ Mathematicæ ſubordinentur Arithmeticæ & Geometriæ.* Namqve ut illæ certas ſpecies qvantitatis, prout in cœlo, terrâ, ſono, pondere, ædificiis etiam reperiuntur; ita hæcNotitia certas Species Reipubl. eoqve pertinentia, prout in hoc illove populo, in hac illave parte Orbis terrarum deprehenduntur, conſiderat.

*X.*

*Qvibus ergò alis ad cognitionem Orbis Imperantis ſubvolandum eſt?*

Alæ, qvibus ad hanc cognitionem ſubvolandum, certisſimæ duæ ſunt, *Hiſtoria* & *Politica.* Ut enim ſcire posſimus, qvomodo ſingula ſe habeant in Orbe Imperante, *Hiſtoria* conſulenda. Ut autem intelligamus, qvomodo iſta judicari debeant, *Politica* adeunda.

*XI.*

*Qvomodo mihi jam Doctrinam de Imperiis, ſeu Diſciplinam Orbis Imperantis, deſcribes?*

Poſſum illam hunc fermè in modum deſcribere: *qvòd ſit ſpecialis & diſtincta plerorumq;*

*Impe-*

*Imperiorum Orbis univerſi, qvæqve in iis civilis prudentiæ Studioſo animadvertenda ſunt, Scriptorum fide dignorum relatione percepta, cognitio.*

## XII.

## *Cur per* ſpecialem *deſcribis &* diſtinctam cognitionem?

Ita eqvidem deſcribo *Orbis Imperantis Diſciplinam:* qvia illa, non contenta nudâ Imperiorum enarratione, cuncta paulò accuratiùs inveſtigat atqve pertractat, qvæ ad regimen & ſtatum eorum ſpectant. Atqve hac ipſa diſtingvitur notâ à *generali & ſuperficiariâ cognitione Imperiorum*: qvæ cùm in *Polit. ſpeciali*, tùm in *univerſali Hiſtoria* tradi ſolet. Hujus ſiqvidem eſt breviter enarrare: qvæ ſingulis mundi ætatibus Imperia floruerint; qvando orta, aut everſa; qvaſqve inſigniores mutationes paſſa fuerint.

## XIII.

## *Cur* plerorumqve *dicis, non omnium,* Imperiorum?

Ita dico: qvia Diſciplina hæc ſolùm de iis agit Orbis Imperiis, qvorum ſtatus ac Regimen nobis cognita ſunt ac perſpecta. Siqvidem ut olim, ita hodienum multa in Aſia, Africa atqve utraqve America ſunt Imperia, qvorum ſtatum & regimen ignoramus. Immò multorum ne qvidem nomina novimus.

XIV.

*Quæ verò ſunt illa civilis Prudentiæ Studioſo maximè animadvertenda?*

Ad tres Claſſes revocari poſſunt. *Alia* enim ex *Hiſtoria* deſumpta: *alia* ex *Geographia*: *alia* deniqve, & *pleraq́;* qvidem, *hujus Diſciplinæ* ſunt *propria.*

XV.

*Quæ ex Hiſtoria ſunt deprompta?*

Deprompta ex hâc ſunt (1) *cujusq; Reipubl. ortus, ejusq́; tempus, occaſio, titulus*: (2) *incrementa & decrementa*: (3) *inſigniores mutationes ſtatus, potentiæ, amplitudinis, belli pacisq; tempore factæ*: (4) *familia & Genealogiæ eorum, qvi pro tunc & nunc imperant, qvæq; hinc ortæ cognationes & affinitates cum aliis Principibus.*

XVI.

*Quæ è Geographiâ mutuò accepta?*

Sunt mutuò acceptæ hinc *ditiones, qvæ cuiq; Imperio ſubjiciuntur, earumq́; nomina, ſitus, magnitudo, fines, flumina, arces, caſtella, natura & qvalitas Locorum*: & qvæ præterea, à Geographis tradita, uſum in adminiſtratione Reipubl. & conſiliis ac judiciis formandis præbere poſſunt.

## XVII.

## *Qvæ propria illa Disciplinæ hujus sunt?*

Sunt hæc, qvæ paulò πολιτικώτερα, & immediatè regimen Reipubl. respiciunt. Talia sunt (1)*Regiminis publici forma & leges fundamentales:* (2)*Ratio administrandi & præcipui Magistratus ac Ministri:* (3) *Status Religionis, &, qvi ab eo magnam partem dependet, rei literariæ:* (4) *Opes, potentia, vires, reditus, itemqve expensæ Reipubl. aut imperantium:* (5) *Fœdera aut inimicitiæ cum aliis Rebuspubl. earumq́ causſæ:* (6) *Prætensiones & illustres controversiæ cum vicinis aliisq́, nec non fundamenta ac prætextus, qvibus nituntur:* (7) *Ordo vel ipsius Reipubl. vel imperantium respectu aliorum Imperiorum ac Principum, & fundamenta, qvibus controversiæ de Præcedentiâ superstrui solent:* (8) *Ratio Status & Arcana potiora:* (9) deniqve *prudentum judicia de cujuscunq́ Reipubl. cùm formâ & Legibus fundamentalibus, tùm statu præsenti.*

## XVIII.

## *Qvis Disciplinæ hujus & qvotuplex usus?*

Usus & fructus cognitionis Rerumpubl. est longè maximus. Longè plus siqvidem facit ad civilem comparandam prudentiam, qvàm rerum gestarum Historia. Ratio hujus rei est: qvoniam ille, qvi vult Rempubl. administrare, debet formam & ideam illius comprehendere. Hoc verò non fit ex historia universali,

ſed ſingulari. *Alter fructus* tractationis hujus eſt: ut poſſimus rectiùs perſvadere. Qvisqvis nempe tenet Rerumpubl. notitiam, is poteſt exemplis ſibi apud alios fidem facere. *Tertius uſus* eſt: qvòd ad praxin politicam, h. e. actuum civilium negotia, neceſſaria ſit cognitio Rerumpubl. Omnis enim praxis rerum civilium verſatur in Republ. aliqva. *Qvartus fructus* eſt: qvòd notitia ſingularum Rerumpubl. homini conciliet exiſtimationem & autoritatem. *Qvintus fructus* eſt ingenua voluptas: qvæ extra ſe percipitur.

*XIX.*

*Qvotuplex verò hæc ipſa Orbis Imperantis Notitia eſſe putatur?*

Eſt duplex: *aliæ Orbis Imperantis priſci*, alia *Orbis Imperantis hodierni.*

*XX.*

*Undè haurire licet priſci illam Imperantis Orbis Notitiam?*

E variis Rerumpubl. veterum Deſcriptionibus: qvas & veteres ipſi, & neoterici edidere Scriptores.

*XXI.*

*Qvinam ſunt veteres illi Scriptores?*

In his primus eſt ipſe ARISTOTELES. Ille enim hoc conſiliô, ut poſteris *notitiam Orbis Imperantis priſci* ingeneraret, non ſolùm in *Librum IIdum Politicorum* deſcriptiones variarum

rum Rerumpubl. ſummà cum curâ & diligentiâ intulit; ſed etiam *peculiari Opere* πολιτειῶν 258. juxta alios 250. aut 255. Reſpubl. harumqve mores, inſtituta & diſciplinam tradidit. Collegit autem *Operis hujus* poſt alios *Fragmenta* è variis Scriptoribus ISAACUS CASAUBONUS: leguntur q; pasſim in *nuperis Editionibus Politicæ Ariſtot.* ſubnexa. Scripſit circa idem tempus *Librum* περὶ πολιτειῶν ſ. *de Rebuspubl.* HERACLIDES PONTICUS, Speuſippi primùm, pòſt Ariſtot. Auditor: qvô varias Græcorum Reſpubl. earumqve mutationes, regimen & mores expoſuit. Ejus *Excerpta* pariter Græcè Latineq; edita habentur. Ante utrumq; eodem inſtitutô *Athenienſium & Lacedæmon. Reſpubl.* deſcripſit XENOPHON, *duobus Libellis*: qvi hodiè inter Opera ejus leguntur, longeq; aptiores ad civilem prudentiam prædictis ſunt Fragmentis.

*XXII.*

## *Qvinam ſunt Neoterici?*

E *Neotericis*, qvi *veteres* deſcripsêre *Reſpubl.* præcipuè commendari merentur *UBBO EMMIUS*, qvi *Græciæ veteris*; *CAROL. SIGONIUS*, qvi *Italiæ* æqvè ac aliqvot *Græciæ Reſpubl. NIC. CRAGIUS*, qvi *Lacedæmon. GVILIELM. POSTELLUS*, & *JO. MEURSIUS*, qvi *Athenienſium Rempubl.* & *BARTHOL. KECECRMANNUS*, qvi *utramq;* idem *SIGON. CUNÆUS, MENOCHIUS*, *BERTRAMUS*, qvi *Rempubl. Ebræorum*, & *ANT. THYSIUS*, qvi *potiſſima Imperia vetera* in *Monumentis Rerumpubl. veterum* expoſuit.

XXIII.

*Porrò, unde hodierni Orbis Imperantis haurienda notitia?*

Certè, qvicqvid de ſtatu ac regimine Imperiorum ſciri poteſt, id vel *experientiâ propriâ*, vel *aliorum relatione* cognoſcitur. *Experientiâ* propria qvidem: qvum aliqvis ipſe Rempubl. capesſit, & rebus gerendis, Conſiliarii, Magiſtratus, Legati, Secretarii, aliave hujus generis munia ſubiens, intereſt; aut, peregrinatione in diverſas terrarum oras ſuſceptâ, variarum gentium mores, inſtituta, regimen, potentiam, coràm oculis auribusq́; percipit. *Relatione* aliorum verò: qvum easdem res aut è colloqviis & narrationibus, aut etiam Epiſtolis prudentum ac peritorum hominum, aut è variis Scriptoribus editis ineditisqve cognoſcimus.

XXIV.

*Qvinam ſunt editi illi hodiernarum Rerumpubl. Scriptores?*

Singularum Rerumpubl. deſcriptiones, è variis Scriptoribus collectas, laudabili conſiliô circiter *L. Volum.* ſed mole exiguis, in Belgiô edidêre *ELSEVIRI*, eâ diſpoſitas ſerie, ut, qvi de antiqva & nova Italia, de Regnis Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Sveciæ, Daniæ, & aliarū Provinciarū, de Imperio Orientali Occidentaliq́;, aut de Venetorum, de Helvetiorum Republ. & reliqvarū Gentium adminiſtratione ſcripſerunt, totidē, *Naudæi* judicio, velut Enchiridiis & Manualibus includantur, non ſine exigua Studioſorum Poli-

Politices utilitate. Harum Rerumpubl. optimas in unum Volumen, ampliore formâ excusum, collegit *JOH. DE LAET*, *Antverpianus*: cui & *Hispanicam*, omnium amplissimam, debemus Rempubl. Qvanqvã haut dissimulandum, illarum Rerumpubl. Scriptores valdè industriâ, judiciô, propositô discrepare: qvod dudum etiam *BOECLERUS* in *Scholâ Hist. Princip. c.1. §.22.* observavit. Nec contemnenda verò *LUCÆ DE LINDA Orbis & omnium ejus Rerumpubl. est Descriptio.* Utut enim passim judicium & amplior doctrina desideretur in illo: ex optimis tamen scriptoribus sua congessit, & ad nostri temporis statum accommodavit. Debet & ipse propter ordinem à se observatum reliqvis, qvi qvidem in lucem tenus hac prodiêre, præferri. Enarrat & hodiernas, si non omnes, plerasqve tamen Respubl. *JOH. BOTERUS* in *Relat. Polit.* & *FRANCISCUS SANSOVINUS L. de gubern. Regnorum*, uterqve Italus, & singulari scientia rerum civilium clarus: nisi qvod neuter omnia attingat. Longè pleniùs igitur cuncta executus est *Autor Libri Gall.* qvi olim scriptus sub tit. *Statuum Impp. & Principatuum Mundi*, postremò cum Inscript. *Novi Thesauri Mundi* Paris. editus. Hunc unum sanè, si paulò diligentiùs ac fideliùs Autor scripsisset, Librum reliqvorum locô babendum esse, *Gabr. Naudæus* in *Bibliogr. Polit.* rectè judicat. Cæteri, qvi seorsim hujus vel illius Reipubl. saltem Europææ, statum, vel sub aliis Titulis alioqve proposito eandem de-

ſcripsêre, ſunt *MART. CROMERUS*, *ALEXAND. GVAGNIN. PHILIPP. HONOR.* qvi *Rempubl.* ſ. *Statum Regni Polon. Lituan. Pruſſ.* & *Livon. SMITHUS*, qvi *Anglicanam*; *GVIL. POSTELLUS*, qvi *Gallicanam*; *CASP. CONTARENUS*, Patricius Venetus, qvi *Libris VII. Venetorum*; *SIMLERUS*, qvi *Helveticam*; *UBERTUS FOLIETTA*, qvi *Genuenſem*; *UBB. EMMIUS*, qvi *Friſiæ Remp. BOXHORN.* & *MART SCHOOCK*, qvi *Belgium fœderatum* diſtinctè deſcripſerunt: qvorum hic qvidem illius faciem qvà univerſalem, qvà particularem (qvalis nempe cum ſub Celſiſſimis Principp. Auriacis, Gubernatoribus ſuis militiæqve ſupremis præfectis erat; tùm hodiè maximè eſſe cognoſcitur) exhibet. Nec ſpernendus *Liber. Ital.* nondum editus: qvi inſcribitur *del Vermo* Italiæ, i. e. *de Regimine Italiæ*. Hoc enim Libro omnium Italiæ Principatuum ac Rerumpubl. Status, administratio, potentia, reditus, & expenſæ &c. breviter recenſentur.

## XXV.

## *Qvinam ἀνέκδοτοι illi hodiernarum Rerumpubl. ſunt Scriptores?*

Præcipui in hoc genere ſunt Viri undiqvaqve celeberrimi, *HERMANN. CONRINGIUS*, & *JOH. ANDR. BOSIUS.* Horum enim ille privatô Collegio *Enarrationem omnium Rerumpubl. præter German.* hic autem *Orbis hodierni Notitiam*, ſ. *Hiſtorico-Polit. præcipuorum Imperiorum hodiè florentium Deſcriptionem*,

*nem*, privatô itidem Coll. proposuit. Uterqve magno cum Studiosorum applausu munere suo laudabiliter est functus. Unde nec diffiteor: me omninò plurimum utriq; (*huic* qvidem in ipso limine, *illi* verò in Operis cursu) debere.

### XXVI.

### *Qvi verò præter totidem recensitos Script. Polit. in eodem studii genere conducere possunt?*

*Historici* plurimùm qvoqve ad cognitionem Rerumpubl. nostri ævi conducent: qvippe qvi omnium populorum nostri ævi res gestas fideliter exponunt. In iis autem ferè unus laudandus *JACOB. AUGUSTUS THUANUS.* Is enim non dubitavit conscribere Historiam universi Orbis, sed sui ævi. Qva & occasione de omnibus Rebuspubl. totius Orbis disserit.

### XXVII.

### *Qvot Classium tandem censes esse Politias in hoc universo terrarum Orbe?*

Qvanqvam Politiæ universi Orbis, hodiè qvidem florentes, nobisqve cognitæ, pro diversa terrarum partitione variè dividi ordinariqve qveant: Nos tamen impræsentiarum, neglectis partitionibus cæteris, etsi accuratioribus, universam illam Politiarum multitudinem, longè lateqve patentem, pro diversitate, potentiæ, magnitudinis ac titulorum, qvibus vel Imperantes, vel Imperia ipsa insigniri so-

lent, ad IV. Classes cum Hornio revocamus: ut sic omnino *Qvatuor BREVIARII* nostri *HISTORICO POLIT.* emergant *Partes*, ipsumqve verè sit *qvadripartitum*.

*XXVIII.*

*Qvæ sunt qvatuor illæ Politiarum universi Orbis Classes?*

*Prima* Classis est IMPERIORUM: *altera* REGNORUM: *tertia* DUCATUUM: *qvarta* RERUMPUBL. Sic ergò qvatuor genera Politiarum, hodienum in Orbe universo florentium, erunt: IMPERIA, REGNA, DUCATUS, RESPUBLICÆ.

*XXIX.*

*Qvid vocas heic Imperium?*

*Imperium* speciatim heic voco: *qvod plura sub se continet, aut olim continuit Regna.* Qvo ipso qvidem sensu Imperator debet esse *Rex Regum*, & Reges sibi aliqvos subjectos habere, aut habuisse.

*XXX.*

*Qvid vocas Regnum?*

*Regnum* speciatim mihi heic est: *qvod subjectos sibi habet plures Duces & Principes.* Sicuti Princeps, qvi plures sub se Comites; Comes, qvi plures sub se Barones; Baro, qvi plures sub se Nobiles; Nobilis, qvi plures sub se Rusticos habet, propriè dicitur.

*XXXI.*

XXXI.

*Qvam distinctionem inter Imperia & Regna ponis?*

Distinctionem nominalem potius, seu titularem, qvàm realem vel auctoritativam pono.

XXXII.

*Sed qvid vocas heic Ducatum?*

*Ducatum* s. *Principatum* speciatim heic voco, & intelligo: *qvi sui juris est hodie*, & *ab extrinsecâ superioritate liber.*

XXXIII.

*Qvid vocas Rempublicam?*

Speciatim *Rempubl.* heic dico: *qvæ libera est, ac contradistingvitur Imperiis, Regnis ac Ducatibus*, habens sibi subjectas jure majestatico plures provincias & urbes, imò interdum etiam Regna & Ducatus, suis Legibus propriis ac institutis omnes minoris momenti Respubl. superans. Sic itaqve Reipubl. vox paulò strictiùs heic loci accipitur: prout tamen *Aristocratiam* æqvè ac *Democratiam*, vel etiam *ex utraq; mistam Rempubl.* suo significatu comprehendit.

XXXIV.

*Imperia præcipua qvænam hodie sunt?*

Sunt *1. Germanico-Rom. 2. Turcicum, 3. Russicum, 4 Persicum, 5. Habessenum, 6. Fez-Maroccanum, 7. Mogolicum, 8. Tartarico-Sinicum, 9. Japonicum.*

XXXV.

*Qvænam præcipua sunt Regna?*

Sunt *1. Hispanicum, 2. Lusitanicum, 3. Gallicum, 4 Britannicum, 5. Danicum, 6. Svecicum, 7. Polonicum, 8. Hungaricum, 9. Indica.*

XXXVI.

*Qvinam præcipui sunt Ducatus?*

Sunt (1) *Magnus Ducatus Florentiæ : (2) Ducatus Sabaudiæ & Pedemontii ; (3) Ducatus Borussiæ, (4) Ducatus Holsatiæ.*

XXXVII.

*Qvæ sunt præcipuæ illæ Respublicæ?*

Sunt *Respubl. (1) Veneta, (2) Genuensis, (3) Rhætica, (4) Helvetica, (5) Belgica.* Qvibus duæ minores accedunt, *Ragusa & Lucca.* Accedit & *Chilensis in America* Respubl.

## XXXVIII.

### *De qvibus Politiis cognoscendis præcipuè sollicitus esse debet civilis Prudentiæ Studiosus?*

De *Europæis*, respondeo. De his enim cunctis proditæ habentur origines & progressus, mutationes insigniores, Familiæ imperantium, Regiones subjectæ, Genius & ingenium Populorum, forma Regiminis & potentia, Status Religionis & Prætensiones illustres. Accedit: qvòd Europa ipsa ab annis mille nongentis ampliùs summi in terris Imperii sedes fuerit: nunc etiam sedes Christianæ sit Religionis. Ne dicam: qvòd, etsi cæteris terræ partibus magnitudine inferior, incolarum tamen pietate, virtute, freqventiâ, moribus, studiis, vivendi consvetudine, &c. longo intervallo illas superet.

## XXXIX.

### *Qvæ Europææ sunt Politiæ?*

Ex *Imperiis* sunt *Imperium Germanico-Rom.* & *Turcicum*: E *Regnis omnia*, præter India: *Ducatus* item *prædicti*, & *omnes*, cùm *majores*, tùm *minores*, *Respublicæ*.

## XL.

### *Qvomodo omnium commodissimè Europææ distribui possunt Politiæ?*

Com-

Commodissimè possunt distribui ratione *situs* in *Occidentales*, *Meridionales*, *Septentrionales* & *Orientales*.

XLI.

*Quæ sunt Occidentales?*

Sunt *Regnum* (1) *Hispanicum*, (2) *Lusitanicum*, (3) *Gallicum*, (4) *Britannicum*, (5) *Respubl. Rhætica*, (6) *Respubl. Helvet.* (7) *Respubl. Belgica*.

XLII.

*Quæ sunt Meridionales?*

Sunt (1) *Regnum Hungar.* (2) *Magnus Ducatus Florentiæ*, (3) *Ducatus Sabaudiæ*, (4) *Liberæ Respubl. Veneta* nempe, *Genuensis*, *Lucensis*, *Ragusa*.

XLIII.

*Quæ sunt Septentrionales?*

Sunt (1) *Imperium Germanico-Rom.* (2) *Imperium Moscoviticum*, à Norvvegia & Svecia usqve in Asiam excurrens, (3) *Regnum Svecicum*, (4) *Regnum Polonicum*, (5) *Regnum Danicum*.

XLIV.

*Quæ sunt Orientales?*

Orientalis Politia Europæa est una, nempe

*Im-*

*Imperium Turcicum*, minimâ ſui parte ad Europam pertinens.

XLV.

*Qvæ origo Europæarum harum Politiarum?*

Omnes (1) originem habent mediatam. (2) Pleræqve, exceptis qvibusdam Rebuspubl. & Principatibus Ital. vi cœperunt, & invitis aliis libertatem arripuerunt. (3) Aliæ ultimæ ſunt antiqvitatis; aliæ mediocris; aliæ deniqve nuperæ, & vix ſeculo antiqviores.

XLVI.

*Qvæ Europææ Politiæ ultimæ ſunt antiqvitatis?*

Ad primam hanc Claſſem referuntur Politiæ: qvæ ante Caroli M. mortem floruêre. Tales ſunt *Imperium Romano-German. Regnum Francicum* ſ. *Gallicum*, *Hiſpanicum*, *Danicum*, *Svecicum*, *Reſpubl.* deniqve *Veneta.*

XLVII.

*Qvæ ſunt ætatis mediocris?*

Referuntur huc, qvæ inde à Caroli M. morte usqve ad Caroli V. Imperium ortæ: ut ſunt *Regnum Portugallicum*, qvod in Alphonſo Rege circa Annum Chriſti 1140. *Magnus Ducatus Florentiæ*, *Reſpubl. Genuenſis* & *Lucenſis*, qvæ ſub Rudolpho Imp. ſeculo XIII. *Regnum Polonicum*, qvod Anno 1295. qvo Boleslaus ab Ottone III.

Imp.

Imp. Rex declaratus, cœpit. Pertinet & huc *Imp. Turcicum*: utpote cujus origo vera ad *Osmannum*, hodiernæ Familiæ Imperatoriæ conditorem, & ad A. C. 1300. referri debet. Nec minus ad Classem hanc posteriorem referendum *Imperium* est *Russicum*: qvippe qvod eum Demetrio 1378. cœpit. Referenda & ad eandem Classem *Helvetiorum* est *Respubl.* Anno 1316. stabilita, & *Rhætica*, qvæ 1471. cœpit.

XLIIX.

*Qvæ nuperæ sunt Politiæ, & vix seculô antiqviores?*

Ad postremam hanc Classem referri debent, qvæ intra hos centum annos, & qvod excurrit, ortæ: ut sunt *Respubl. Genevensis*, qvæ Anno 1535. & *Respubl. Belgica*, qvæ Anno 1579. egit radices. Nuperrimus in hâc Classe præter *Ducatum Holsat.* est *Ducatus Borussiæ*. Ante paucos enim annos Fridericus Wilhelmus, Elector Brandeburgicus, à Rege Poloniæ Casimiro in Ducatum hunc plenam liberamqve potestatem accepit, omnibus in eundem juribus suis Rege ac Regno renunciante.

BRE-

# BREVIARII
# HISTORICO-POLITICI

*Quadripartiti*

## PARS PRIMA,

*Erotematicâ Methodô*

exhibens

Præcipua Orbis Hodie-Imperantis

# IMPERIA.

# CAP. I.

## DE IMPERIO GERMANICO-ROMANO.

### Erotema I.

*In qvibus rebus Notitiam Imperii nostri maximè consistere putas?*

UT aliarum Rerumpublicarum, ita & Imperii nostri Notitia (intelligo autem hoc nomine qvicqvid ad accuratissimam descriptionem S. R. I. tam in materialibus, qvàm in formalibus, ut loqvuntur, pertinet) intra hos fere cancellos est constricta: ut attendatur juxta Philosophi præscriptum ad Imperii (1) *Senatum*, (2) *Magistratum*, & (3) *Judicia*. Tantùm addatur aliqvid de Terra ipsa, qvæve hæc habeat ad victum, & ad pacis bellive artes omnes idonea: ut & de ipsis Imperii civibus, adeoqve & de eo, qvænam terræ ad civitatem nostram pertineant hodie, aut olim pertinuerint. Qvæ tamen Qvæstio non tam de Republ. est ipsa, qvàm de Subjecto.

### II.

*Imperii nostri Notitiæ qvando & qvomodo nihil magni deerit?*

Nihil magni eidem deerit: si apud animum constiterit, qvomodo ab initio in hunc usqve diem

diem affecta fuerit, aut penes qvos ſteterit poteſtas illa ſumma decernendi aliqvid de bello & pace, de ſocietatibus aut fœderibus, de morte aut exilio civium Imperii noſtri, qvos *immediatos* vulgò vocamus, de bonorum publicatione aut confiſcatione, de referendis rationibus (qvâ in poteſtate τὸ κύριον ſitum Reipubl.) tum qvemadmodum hæc adminiſtrari ſoleant. Non deerit qvicqvam: ſi noverimus omnem Magiſtratuum noſtrorum naturam, (inter hos autem & Cæſaris, & Ducum, & Comitum officia numero) qvot nempe Magiſtratuum munia Imperium noſtrum agnoſcat; qvibus temporibus illa definierit, qvomodove illa conſtituat, i.e. qvibusnam illa committat, & per qvos, ſortitione, an ſuffragiô, an certô natalium jure. Nec tandem deerit aliqvid: ſi Jurisdictionis Imperialis ratio perſpecta fuerit; circa qvæ & qvomodo illa verſetur; judices verò è qvibus & qvomodo creentur.

### III.

### *Unde autem Notitia hæc omnium feliciſſimè poterit comparari?*

Non aliunde niſi è *rerum German. Monumentis*: hac qvidem ratione, ut conſulamus rerum German. gnariſſimos; ut antiqviſſima ſcrutemur monumenta; ut excutiamus recluſa nobis ſcrinia; ut magna cum curâ omnia inſpiciamus, unde Imperii noſtri memoriam tutò licet repetere.

IV.

## Qvænam sunt Monumenta illa Rerum Germanicarum?

Licet à Majoribus nostris parvo numero ad nos transmissa fuerint: posteaqvam tamen Typograph. inventa, studiis ac curis clarissimorum Virorum à ducentis abhinc annis, in tantâ copia tamqve præclara Rerum Germanicarum Monumenta haberi cœperunt: ut Hist. Imp. nostri hodie cognitu sit facillima. Habemus nempe hodie *Leges, tempore Caroli M. & pòst usitatas*, in *Corpore Legum antiqvarum* CL. LINDENBROGII: suppetunt nobis *Leges Saxon* & *Svevicæ*, qvibus Germania penè omnis seculis multis floruit. Nec desunt nobis hodie *Comitiorum Decreta omnia à temporibus Friderici III. Imp.* in unum *Corpus Recessuum Imperii* collecta ac digesta. Antecedentium insuper temporum *Instituta publica* pleraqve nobis dedit aliqvot *Constitut. Imperialium Tomis* MELCHIOR GOLDASTUS, vir, cui ingenium ut capacissimum, ita, accedente inusitatâ industriâ, tantùm non omnigenâ doctrina planè subactum erat. Pertinent & huc Tomi der Reichs-Satzung: pertinet eodem *Rationale Consvetudinum Goldasti*, die Reichs-Handlung *Goldasti*, &c. *Historica Maj. nostrorum Scripta* è situ & sqvalore producta iterum hodiè operâ potissimùm SCHARDII *Tomis IV. RerumGerman.* habentur: qvibus addendi sunt tres *Tomi Pistoriani*; unus *Urstisii*; unus *Reuberi*; tres *Freheri*. Atqve hoc conjunctim nobile

bile illud *Corpus* est *Historiæ Germanicæ*: præter qvod in Eruditorum qvoqve Bibliothecis *Repræsentatio Reipubl. German.* habetur, f. *Tr. Varii de Sacri Romano-Germ. Imperii Regimine, Variorum eorundemq; præclarissimorum Autorum.* In his sanè cùm varia Germanicæ Antiqvitatis Monumenta, tùm verò illustres Juris publici de Imp. Rom. Statu Controversiæ pertractantur. Generaliter tamen omnium antiqvorum Script. totiusqve Imperii Historiæ instar esse potest CHRISTOPH. LEHMANNI CHRONICON SPIRENSE: utpote qvod universæ Germ. res gestas complectitur. E recentioribus præcipui sunt *Joh. Sleidanus* & *Thuanus*, Gallus genere, ingenio & literis vir verè magnus & nobilis, qvi 130. Libris ætatis suæ Histor. summo judicio & fide prudentissimè conscripsit. Habemus *Theatrum Europæum*: cui adjiciendi *Actorum publicorum* sunt *Collectores*; *Christ. Lehmannus*, qvi ea collegit imprimis, qvæ ad *Pacem Religiosam* spectant; *Hordlederus de causis Belli German.* & *Lundorpius* ad nostra tempora continuatus; & *Adolph. Brachelius* cum *Thuldeni Continuatione*. Locum deniqve heic *Diarium Europæum* meretur: utpote qvod Opus iis apprimè utile, qvibus non semper Archiva Principp. inspicere contingit.

V.

*Qvid jam post amplam hanc Scriptorum Rerum German. enumerationem colligis?*

Col-

Colligo acutè: *Notitiam* Juris publici ei, qvi ad partem Reipubl. Germanico-Rom. aliqvando administrandam aptum se reddere velit, non sufficere: nec ipsum Jus publicum rectè addisci posse absqve cognitione universi status Germanici: qvum pars, in qvantum est pars, propter totum sit, & essentiam suam toti debeat: insuperqve de parte deliberari non possit, nisi toto perspecto corpore. Jus autem publ. cum cognitione Status minimè confundi debet: adeoqve nec ipse Status Imperii nostri ex Jure publico est addiscendus.

VII.

*Notitia ergo Status Imperialis & Notitia Jurispubl. qvomodo differunt?*

Magna heic juxta *Principia Polit.* est differentia. Distingvunt enim inter *universi Status cognitionem*, & inter *notitiam jurium alicujus Status publicorum*, qvæ de Regimine tantùm sunt. *Notitia Juris publici* pars saltem cognitionis illius est, qvâ Status Imp. comprehenditur. Unde nec Jus Imperii ignorare poterit: qvisqvis Statum penitus novit. Contra ea verò, qvi *Jus* saltem scit *Imperii*, non illicò conditionem omnis Imperialis Status scire potest.

VII.

*Usum verò ipsius Juris publici qvis perspectum habere poterit?*

Nemo perspectum hunc habebit: nisi qvi sciat,

at, qvâ occasione, & qvomodo leges constitutæ; qvomodo olim se habuerint; qvæ mutationis ratio fuerit; an singulorum, an omnium; an qvorundam concernant utilitatem; an rectè ubiqve observentur, an verò hodierni mores iis adversentur, &c.

IIX.

*Qvis scire talia & alia potest?*

Talia & alia feliciter scire potest: qvi probè perspectam sibi ac cognitam cùm universi corporis German. tum singulorum ejus membrorum naturam habet, atqve adeò scit: *qvænam singularum ejus partium Ratio Status s. Interesse; qvæ religio, qvi mores, qvæ fœdera, qvæ custodia finium, qvi reditus, qvæ vis militaris, qvæ commercia, qvæ alimentorum ratio, qvæ dissidia aperta & gliscentia, externa & interna, & qvæ præterea ad integram Imp. nostri cognitionem facere possunt.* Circa hæc ut plurimum qvidem Jura publica versantur; sed ex ipsis Juribus publicis neqvaqvam addisci possunt.

IX.

*Unde qvæso Jurium publ. notitia petenda?*

Non sanè petenda est è Jure publico Justinianeo, (uti nonnulli volunt,) qvum pauca in eo sint huc spectantia: sed ex *Aurea Caroli IV. Bulla*, è *Recessibus & Constitut. Imperii*, è *Capitulationibus Cæsarum*, ex *Instrumento Pacis Cæsareo-Svecico*, & *Consvetudinibus publicis*.

X.

*Qvinam Instrumentorum Rerumpubl. præcipui sunt Interpretes?*

Illi, qvi Instrumenta hæc publica illustrarunt, sunt inter præcipuos JOH. LIONNÆUS, qvi *V. Tomis Opus consummatissimum de J. P.* edidit, enucleatius nobis ab *Oldenburg.* sub Tit. *Limnæi Enucleati* redditum: HERMANNUS CONRINGIUS, Doctor ille famigeratissimus, qvi primùm cognitionem Status & Jurium Imp. erudito Orbi manifestavit, liberè, modestè tamen, in egregiis *Libellis* de *Germano Romanorum Imperiô*, de *Finibus Imperii*, inq; *Notis ad* LAMPAD. differens: REINKINGUS de *Regimine Secul. & Eccles.* BURGOLDENSIS deniqve, qvi *Instrumentum Pacis* non ita pridem à se illustratum edidit sub Tit. *Notitiæ Rerum Illustrium Imper. Romano-German. tripartitæ.* E Scriptoribus hisce, aliisqve non enarratis, Notitia Jurium Imp. satis abundè hauriri atq; comparari poterit.

XI.

*Præmissis præmittendis dicito nunc mihi:* qvæ origo sit & progressus nostri Imperii?

Fundamentum & primum, qvod dicitur, lapidem posuit JUL. CÆSAR; AUGUSTUS parietes; TIBERIUS verò tectum Politici hujus ædificii absolvit: adeoqve fundatam ille atq; auctam nobis Romanam Monarchiam omnibus numeris stabilivit. Sic itaqve *Octavius*

Cæs.

*Cæſ.Auguſtus, Julio* ſuccedens, atq; non ſolùm togæ, ſed & qvàm maximè belli artibus Monarchiæ ſuæ faſtigium confirmans, *Romani Imperii non tam conditor eſt, qvàm auctor illius & amplificator*. Poſteris enim reliqvit Imperium mari terraq; ampliſſimum, Oceano nempe & omnibus longînqvis ſeptum.

XII.

## *Imperium Romanum qvando fuit ampliſſimum?*

Imperium Romanum Sol magnus mundi oculus nunqvam potentius & amplius adſpexit, qvàm ſub Imp. TRAJANO: utpote ſub qvo ipſo ad abſolutæ felicitatis cumulum perductũ habetur: uti qvîdem è *Plinii Jun. Panegyr.* ſatis ſuperq; conſtat. Ad Tigrim qvippe, Armeniæ fluvium, ab Oceano Cantabrico & ab Oceano Atlantico ad Sinum usq; Perſicum; porrò à monte Atlante ad Sylvam Caledoniam usqve, imò & ad Albim Germaniæ fluvium, & ultra Danubium ſe extendebat, XC. Gradus in longitudine ſuâ continens.

XIII.

## *Qvod præcipuum tunc Arcanum Romani erat Imperii?*

*Præcipuum Rom. Imperii Arcanum*, curatiſſimis ſimulacris involvendum, & à vulgi militaris intelligentiâ ſubmovendum, *in eo erat ſitum: qvod penes militem eſſet, Impp. ſolio admovere & deturbare.*

XIV.

*Qvid Arcanô hoc evulgatô contigit?*

Arcanũ hoc posteaqvam evulgatũ esset, milesq;, præcipuè Prætorianus, existimaret, in suâ potestate esse, Impp. Romano Orbi dare; misera pariter Imperii & Imperatorum extitit conditio. Constat enim è Rerum Rom. Annalibus, milites non rarò levi de caussâ eos, qvibus Imperium detulerunt, non modò destituisse, sed per tumultum qvoq; occidisse, offerendo imperium illi potissimùm, à qvo concitatus fuerat, & donativum expectabat.

XV.

*Qvando igitur Imp. Romanum primùm collabascere cœpit?*

Cœpit primùm sub LICINIO VALERIANO, & sensim posteà collabascere. Postqvam enim ille Christianos miserè persecutus esset: omnis fortuna & felicitas evanuit, undiq; in Imperio Romano seditionibus & bellis ortis. Irrupêre nempe in Italiam Germani: irrupêre Persæ, &c. Nunqvam tamen à violentis ferocissimarum gentium incursionibus penitus everti atq; exscindi potuit.

XVI.

*Sub qvo Imperatore iterum movit lacertos, & qv. redditâ juventute reviruit?*

Factum id sub Constantino M. Is enim bella

la domeſtica ſopiverat, Tyrannos frenârat, Barbaros atq; hoſtiles gentes Imperio ejecerat.

XVII.

*Sed qvænam denuò poſt ſuprema illa Conſtantini Magni fata plurimùm Rom. debilitarunt Imperium?*

Duæ heic ſunt potiſſimæ decreſcentis Imperii cauſſæ. *Prima* eſt *ſedis Imperialis, Româ Conſtantinopolim facta, translatio*. Nudata enim hoc pacto non tantùm fuit Roma, ut ornaretur Conſtantinopolis; ſed etiam Legiones validiſſimæ â ripa Rheni & Danubii in Orientem cœperunt dimoveri. *Altera* eſt *Imperii, filiis Conſtantini, Conſtantino nempe* II. *Conſtanti* & *Conſtantio, in tria Regna* Anno Dom. CCC XXXVII. *facta diviſio*. Etenim, qvum filii hi inter ſe armis decertarent, ita ſe invicem conſumpſerunt: ut Imperium qv. exangve corpus remanſerit.

XIIX.

*Qvos Solœciſmos Politicos commiſiſſe Conſtantinum M. heic putas?*

Primò meritò hic arguitur in Conſtant. M. *ſolœciſmus Polit. qvòd Imperii ſedem in novam illam Romam, Conſtantinopolim* puto, *transferre occeperat*. Cogitare enim ille debuiſſet, omnem mutationem in Politicis haberi periculoſam, & non raró aliqvid monſtri alere ſubditos: qvando Domini tam longè abſunt. *Inſignem* qvoqve *Solœciſmum Polit.* in eo commiſit Conſtant. *qvòd, Politicas Auguſti literas ne-*

*gligens, validissimas Legiones ad Rhenum & Danubium*, in qvibus qv. murus aheneus adversus Germanos consistebat, *inde in Orientem revocârat.* Cogitare enim debuisset, magnum Imp. corpus multis manibus, præprimis in liminibus ac claustris, esse tuendum. Porrò qvoqve Constant. malè Imperio consuluerat: *qvòd inter filios totum in partes diviserat.* Cogitare enim debuisset, vim unitam esse fortiorem.

XIX.

*Qvid porrò caussæ ruinæ huic Imperii Romani subest?*

Insigniter qvoqve ruinam Militaris ac qv. Martii Imperii promovit: *qvòd Imp. Theodosius M.* qvi postremus Imperium in Occidente & Oriente integrum tenuit, *rebus omnibus feliciter gestis, duos filios consortes Imperii fecerat, Arcadium Orienti, Honorium Occidenti* præficiens. Sic enim pro uno mox duo Regna extitêre, non alii usui, qvàm ut divulsus Orienti Occidens Barbaris eò faciliùs succumberet.

XX.

*Qvomodo dividi Romanum tunc cœpit Imperium?*

Dividi cœpit in ORIENTALE & OCCIDENTALE: donec Odoacer, Herculorum Rex, magno cum exercitu Italiam ingressus, in tam arctas angustias conjecit *Fl. Momyllam*, qvem, qvòd exiguæ staturæ esset, *Augustulum* vocabant: ut præ desperatione se Imperio

Oc-

Occidentali abdicaret. Factum id A. D. CCCCLXXVI. Urbe jam qvartùm à Barbaris occupatâ.

XXI.

*Sub cujus ergò Imp. regimine in Occid. videmus præcipuè illius Solœcismi Polit. fructus, qvem Constant. M. in removendis Legionibus à Rheni ac Dan. ripis commisit?*

Videmus fructus illius sub HONORII maximè regimine. Barbari enim tunc per latè patentem portam finibus ac latibulis suis proruperunt, Imperiumq; Occidentis valdè dilacerârunt, Gothis Italiam, Hispanias verò & Gallias Vandalis, Svevis & Alanis rapinis ac incendiis vastantibus imperioq; eripientibus.

XXII.

*Decrementum Imp. Occidentalis sub qvo Imperatore accidit omnium gravissimum?*

Sub VALENTINIANO sanè *IIItio*, qvicqvid de Imperio in Occidente reliqvum fuit, per barbararum gentium infusionem avulsum proprios ferè Reges sibi sumsit. Ita *Hispania* Vandalis, West-Gothis, ac Svevis; *Gallia* Francis ac Burgundis; *Britannia* Pictis, Scotis, Saxonibus, Anglis; *Pannonia* post alios Hunnis ac demum Hungaris cesserunt.

XXIII.

*In qvot & qvænam tunc Regna Imperium Occidentale dissolutum abiit?*

QVum Occid. Imperium à Barbaris hinc inde diriperetur: sub *Valentin. III.* è direptis Provinciis exortum *Regnum 1. Francicum, 2. Anglicum, 3. Burgundicum, 4. Alemannicum, 5. Bojorum, 6. Ost-Gothorum* in Pannonia, *7. VVest-Gothorum* in Hispania, *8. Vandalorum* in Africa. Hæc Regna omnia circa idem ferè tempus eruperunt.

XXIV.

*Sed qvis Impp. res Imperii in Occidente restituit in melius?*

Imperium Romanum, qvod, in *Augusto* maximum, in *Augustulo* in Occidente valdè diminutum, atq; ad alios translatum fuerat, Gothis Italiam ab A.C. 476. usq; ad Ann. 511. qvietè tenentibus, in melius restituit *D. Imp.* JUSTINIANUS: dum per fortissimum maximèqve strenuum Ducem *Bellisarium* Gothis Italiam rursus cœpit eripere, atq; Romano Imperio, cujus vis & majestas in Oriente supererat, rursus adjungere. Neq; tamen Gothis excisis Italia Romanis integrè reddita.

XXV.

*Qvid Romano post Justiniani tempora mali contigit Imperio?*

Hoc mali contigit: ut *Occidentale Imp.* paulatim rursus in direptionem abiret, Longobardis Italiam fœdè lacerantibus, eamqve, pulsis Cæsarum præsidiis, penè omnem, exceptâ *Româ* ejusq; pomœriis, *urbe Venetiarum, Pentapoli & Exarchatu Ravennensi*, sui juris facientibus. O-

*rien-*

*rientale* verò adeò invalidum remansit: ut vix aliqvot vicibus *Constantinopolim* contra Saracenos defendere, multò minus Occidenti opem ferre potuerit. *Cœperunt* namq; *Orientale Imp. vexare Anno DC. XXII. arma & hæresis Muhammedana, breviq́ tempore à Saracenis oppressæ fuêre, præter Syriam, Ægyptum, & Archipelagum, Africa, Sicilia & Hispania.*

XXVI.

*Imperii Occidentalis reliqvias per qvos interim Impp. Græci sub ditione suâ tenuêre?*

Missis EXARCHIS (i.e. *Principibus præcipuis,* qvi Germ. Ertz-Hertzoge) adhuc sub imperio illas qv. reliqvias Imp. Occident. per annos 175. continebant. Fuit autem sedes illorum *Ravennæ*: primusq́; à *Justino II. Imp.* eò missus erat LONGINUS, homo impurus atq́; sceleratus. XIV. & ultimus *Eutychus* fuit à Leone III. missꝰ.

XXVII.

*Qvid damni intulêre Exarchi hi Italiæ?*

*Exarchi* hi, qvum Longobardos in se irritarent, magnas vastationes & clades intulêre Italiæ. Atq; sic tandem illæ reliqviæ, paulò antè enumeratæ, etiam Longobardis, præter duas urbes, *Romam* ac *Venetias*, cesserunt. *Qvæ duæ urbes, Longobardici Regni temporibus, Romani Imp. nomen retinuêre.* Reliqva verò omnia Longobardici Regni titulo venerant.

XXIIX.

*Tàm miserè proinde rebus Imp. Occident. sese habentibus, qvis eas denuò restituit in melius?*

Id fecit CAROLUS M. *Hic* enim A. C. DCCCI. *Occidentalis Imp. Titulos est adeptus:* ita qvidem Occidentali Imp. ab Orientali avulso, ut Neapolis & Sipontum Orientem versus cum Sicilia Græcorum esset, Beneventum remaneret Longobardis: Veneti neutri parti adscriberentur: Status Ecclesiæ liber esset: reliqvum Carol o M. cederet. Sic igitur divisio Imperii habuit initium à translatione sedis imperialis Româ Constantinopolim; crevit distractione in plures Principes: pervenit ad ἀκμὴν Caroli M. assumptione.

XXIX.

*Carolus ille M. utrum origine Germanus, an verò Gallus?*

*Natione, Lingvâ, & Moribus Gallum fuisse Carolum,* BODINUS scribit: cui adstipulatur THOLOSANUS, aliiq; Galli, nudis assertionibus, non rationibus ducti. Id autẽ vel propterea faciunt: ut inter qvamplurimas & hanc justam prætensionum suarum in Imperium nostrum caussam habere videantur: *qvia Carolus, primus è gente suâ Imperator, homo Gallus fuerit.* Nos Germani verò cũ CUSPINIANO, cũ AVENTINO cumq; FREHERO multisq; aliis, *Carolum M. in Germaniâ Francicâ natum, indeq; & ratione Stirpis, & ratione Patriæ dicendum habendumq; esse Germanum,* contra Gallos in hodier-

diernum usq; diem propugnamus. Interim, ut paullò aptius ad qvæstionem propositā respondeatur, *non ineptè* nonnemo censet: *qvòd distinctim, vel juxta Carolinum ævum, vel juxta hodiernum, sit respondendum.* Si secundum priùs, dico: *Carolus non Germanus,* (habito scil. ad hodiernam German. respectu) *sed Francicus est, tam ratione Stirpis, qvàm ratione Patriæ:* eò qvòd Pater Pipinus Rex Franciæ (qvæ olim Gallia dicta) non Germaniæ fuerit. Si verò secundum posterius, ex habitu nempe Germaniæ post Caroli M. tempora, respondendum, dico: *Carolus M. ratione stirpis & ratione Patriæ est Germanus:* eò qvòd Franci, è qvorum prosapia Carolus, nationis sint German. & Ingelheimium qvoqve natale Caroli solum, in Regno Germaniæ hodierno die sit situm.

## XXX.

### *Qvibus limitibus tunc, qvum Carolo M. Cæsareus Titulus deferretur, Imp. Romanum circumscribebatur?*

Valdè angustis limitibus id Caroli M. tempore circumscribebatur. Posteaqvā enim subjecisset sibi Carolus Longobardorum Regnum: Orientales Cæsares non nisi exiguam Italiæ partem, *Beneventanum* scil. *Ducatum & Calabriæ ultima,* in sua potestate habebant.

## XXXI.

### *Qvô jure verò Carolus M. ad Imperium pervenit?*

Multi putant; triplici jure ad Imp. Rom. perveniſſe Carolum M. (1) *jure belli:* qvòd, Deſiderio Rege Longobard. devicto, Regnum Italiæ virtute bellicâ occupârit. (2) *Jure vocationis & electionis*, à Pontifice & Populo Rom. inſtitutæ. (3) *Jure geminæ transactionis:* Eſt autem prima ac potiſſima illa *Carolo-Nicephoriana:* altera *Carolo-Michaëlica*. Nicephorus namq; miſſis ad Carolum Legatis totum Occid. Imperium eidem conceſſit: qvod Michaël Imperator deinceps conſummavit.

XXXII.

*Ecqvid tibi videtur de hoc triplici jure?*

Sanè, qvum jus belli ad Coronam Romanam extendi neqveat (hoc ſiqvidem non niſi ad Regnũ Italiæ, ſive Longobardiæ, applicari poteſt, utpote qvum Regnũ Italiæ & Imp. Rom. diſtinctæ tunc eſſent Reſpubl. & Imperii Romani titulũ Carolꝰ nõ violenter, ſed cõſenſu Pontificis & Populi Rom. primùm uſurpârit) facilè ſuâ mole jus illud belli in Carolo cadit. Cadit & alterũ jus, nempe Electionis Romanorũ. Nondum enim, ſi rectâ viâ id reputamꝰ, Carolũ in novis honoribus certũ reddere hoc jus poterat: qvũ Romani nondum ab Imperio Græcorum emancipati eſſent; ſed via facti, occaſione Iconomachiæ & inductionibus Rom. Pontificum, legitimis ſuis Dominis legitimũ obſeqvium denegarent. Qvare *omnium* heic *firmiſſimum manet jus illud Caroli tertium, jus nempe transactionis cum Impp. Orientis:* uti aliàs transactio, uno datô,

al-

alterô retentô, res controversas stabilire, & exitu utrisqve partibus gratô concludere solet.

## XXXIII.

### *Qvæ interim occasiones illæ sunt, qvibus Imperium Occidentale, à Græcis ad Germanos devenit?*

Sunt (1) *turpis Imperatorum vita, horumq; prostitutio.* Non enim turpiter tantùm vivebant Impp. Gr. sed & se ipsos prostituebant, altero alteri nasum amputante, ut *Justiniano II.* contigit. Sic & tempore Caroli M. Irene mater filio Constantino eruerat oculos. (2) *Magna animorum inter Græcos Impp. & Romanos Pontifices contentio.* Oriebatur autem hæc rebellione solemni adversus *Leonem Isaurum Iconomachum*, ob sacrarum imaginum cultum. Tunc enim *Gregorius II.* Papa, ictô cum Francis fœdere, tributa Rom. urbis & Italiæ inhibebat, teste ZONARA & THEOPHANE. (3) *Muliebris Imperii aversatio.* Ægrè enim Romani, qvi muliebrem impotentiam & servitium fœminæ nunqvam ferre potuerant, ferebant, mulierem Imperio præesse: Irenem puto, Leonis IV. uxorem, Atheniensem: qvæ sexum supergressa, viriles gesserat animos, nec saltem pro marito Imperii flexerat habenas; sed & defunctô maritô filii Constantini VII Porphyrogeniti nomine omnia ab arbitriô suo suspenderat.

## XXXIV.

## *Annon autem Papa Rom. est, qvi Imperium transtulit in Carolum Magnum?*

Ita qvidẽ BELLARMINUS scribere non veretur, *Papam Rom. Imperium Romanum in Carolum transtulisse, illudq; à sede Papali dependere.* Sed satisfecêre non tantùm dudum Bellarmino ARNISÆUS *Diss. de translat. Imp. adversus Bellarm.* & GISB. VOETIUS *P.II. select. Dispp. Theolog.* dum ibidem ad *Qvæst. Historico-Theol. de translat. Imp. à Gr. ad Francos* distinctè & eruditè respondet: verùm etiam multi Pontificiorum JCti id ipsum negitant. Facilis autem est responsio è tritâ juris regula: *Nemo plus potest juris in alium transferre, qvàm ipse habuit.* Imperi sanè jus omne non penes Papam erat, sed penes Orientis Imperatores. *Nec qvicqvam Papa, præter illa recens à Pipino & Carolo M. concessa, possidebat. Possidebat autem ea instar clientis sub Patronis & Defensoribus Francis:* qvum nec Romanis ipsis qvicqvam superesset ultra tertium lapidem. Dicendum etiam, *Pontificem,* si illum tanqvam primarium urbis Rom. Civem & Membrum populi Rom. consideremus, *non qvidem solum, sed cum aliis civibus Romanis Romani Imp. fragmenta in Carolum M. transtulisse. Ad inaugurationem,* qvam objiciunt, qvod attinet: nihil aliud illa erat, qvàm nuda ceremonia. *Coronæ* verò *impositio,* qvam populi consensu peregit Leo Papa, Impera-

rato-

ratorem non effecit, ſed factum declaravit. Neqvaqvam interim declaratione hâc Pontificis, proclamatione item populi Rom. in qvos jura competentia Impp. Gr. nondum detulerant, ceu ex *Actis Conſtant* tempore Pipini & Nicephori tempore Caroli M. liqvet: ſed *unâ ac ſolâ transactione Caroli cum Nicephoro, & deinceps cum Michaele, Imperatoria demùm dignitas in Occidente pleniſſimè ſtabilita habetur.* Undè &, Carolum M. ante transactionem cum Græcis Imperatoriũ titulum dubium adhuc reputâſſe, legimus.

## XXXV.

### *Carolus M. qvid Imperatorio titulo accepit?*

Accepit eopſe *jus omne in urbem Romam, Pontificem, Exarchatum Ravennæ, & alia oppida qvædam, extra Longobardici Regni fines ſita.* Qvod urbs Roma dominio Carolino indubiè fuerit ſubjecta, conſtat ex ZONARÆ in *vitâ Conſtantini & Irenes L. 3.* Conſtat & liqvidò ex *Annalibus Francicis*, jurisdictionem ac merum mixtumq; Imperium Urbis fuiſſe tum penes Carolum. Habebat itidem Carolus Romanos in cenſu, Romaqve, teſte *EGINHARTO*, habebatur pari cum aliis Carolini Regni metropolitanis urbibus conditione. Unde & patet, *Petri Patrimonium, cujus primaria Civitas Ravenna, in dominio qvoq; Carolino fuiſſe.* Qvis enim credat, Romam inferiore fuiſſe conditione Ravennâ? *Ipſum Pontificem fuiſſe ſubjectum Carolo,* patet è cauſſa Leonis Papæ. Hujus

enim

enim examen instituisse Carolum adhuc Patritium Anno 800. *Anastasius* & *Autor Annal. Franciæ* testantur. Liqvet idem etiam ex adoratione, qvâ more antiqvorum Principum Carolum jamjam coronatum in iisdem *Annalibus ad A. C. 801.* excepisse memoratur Leo. Præter dominium hocce in urbem Romam, Patrimonium D. Petri, inqve ipsum Papam, Imperatorio titulo Carolus sibi & successoribus suis multum honoris acqvisivit. Nam apud omnes Christianos ac moratiores Gentes hactenus *Cæsarum nomen præ regio reverentiam aliqvam meruerat.* Unde hodieqve Turcarum Imperator tali encomiô Christianorum Imperatorem ornat: unter den Potentaten JEsu dem Vornehmsten.

## XXXVI.

### *Siccine verò Carolus M. primus est, à qvo translatum Imperium R. ad nos Germanos habetur?*

Ita scil. est: qvòd *Carolus M. primus augustissimam illam dignitatem Imperialem ad nationem Germanicam transtulerit:* qvam tamen ereptam huic cupiunt Galli. Sanè Carolus M. & Carolomannus fratres Regnum patris defuncti occuparunt, illudqve sine ulla animorum dissensione ita inter se diviserunt: *ut Carolomannus Regnum Galliæ, s. Franciæ Occidentalis, obtineret. Carolus M. verò Regnum Germaniæ, s. Franciæ Orientalis.* Qvi & ipse Regni sedem constituit *VVormatiæ*; & deinde, loci amœ-

amœnitate ductus, *Aqvisgrani*. Unde nec ipsi Christianissimi Regis Legati in *Orat. qvam Anno 1543. Spiræ ad Sacri Imp. Ordines congregatos habuisse* leguntur, *Carolum M. Germanici Imp. Autorem æqvè ac Propagatorum* vocare dubitant.

## XXXVII.

### *Qvis deinceps Imperatorium decus nobis Germanis vindicavit?*

Qvum Germaniæ Reges à *Ludovico Germanico* usqve ad *Ottonem M.* Imperatorium titulum non affectassent, nec rebus Italiæ turbidis se immiscuissent, tandem Otto, æqvè ac Carolus M. autoritate & Pontificis R. (qvi adhuc tum *primarium* agebat *Civem Rom.*) & Populi Rom. Regno Italiæ sibi subacto, Imperator renunciatus, vindicavit rursus Germanis Imperatorium decus: Atqve ita ille Germaniæ per Cæsareum titulum restituit *imperium summum ac perpetuum in urbem Romam, Papam ac patrimonium*, qvod vocant, *Petri*, seu Romaniam, h. e. in potentem illum Italiæ Principatum, in qvo P. R. supremæ dominationis jus exercet. Arguit prius illud Nomen Imperatorium: qvod ea tempestate *dominium Urbis* significabat. Confirmat id ipsum *Juramentum fidelitatis*: qvô se Ottoni obstrinxerunt Romani Cives, & qvidem tribus vicibus, ut LUITPRANDUS & REGINO notant.

XXXVIII.

## XXXVIII.

*Anne autem Cæsareo titulo Germaniæ universale qvoddam Mundi dominium est concessum?*

Fatendum id omninò heic loci est: *qvod Cæsareo titulo Germaniæ nostræ neq; dominium totius terrarum Orbis, neq; jus illum omnem occupandi sit concessum.* Qvid? qvod & illud heic ultrò largiendum: *ne qvidem in omnia, Romanis aliqvando possessa, Germaniæ aliqvod jus datum esse.* Dare enim Germaniæ non potuêre Romani, qvô ipsi carebant. Romanus siqvidem populus ne qvidem Caroli M. ævô habuit qvicqvam juris amplius in Italiam Longobardicam, Hispaniam, Galliam, Britanniam, Daciam, Pannoniam & Germ. partem aliasqve veteres suas provincias: multò minus ætate Ottonis M. Qvæ sub Ottone autem Cæsare non fuêre Rom. juris, illa etiam à Romanis tum non accepit Germania: adeoqve ne nunc qvidem Germaniæ in aliqvam Provinciarum illarum Imperii Occidentalis veteris jus aliqvod imperandi competit.

## XXXIX.

*Subiitne & ipsum Germaniæ Regnum in Romani Imperii, per Carolum & Ottonem M. ad Germanos translati, vicem?*

Vehementer errant, qvi id credunt. *Germanicum* enim *& Italicum Regnum*, etsi *Romani*

*Impe-*

*Imperii appellationem ſuſcepêre, urbi tamen Romæ nihil debent: ſed ſunt peculiares & diſtinctæ Reſpubl. à Romano Imp. totô cœlô diſtantes:* qvæ deinceps cum Imperio Romano in unum coaluêre corpus. Certè ne tunc qvidem, qvum maximè latè pateret Urbis Imperium, in ejus ditione fuit magna Germania, qvæ trans Rhenum eſt & Danubium. In Italiam item Longobardicam, non minus atqve in alias Occidentalis Imperii provincias, jam circa Caroli M. ævum omne jus ſuum perdidiſſe Romanos, CONRINGIUS *cap. 5. Libri de Germ. Imp. Rom.* oſtendit.

XL.

*Dic mihi nunc ſodes, an Regnum Germ. propriè Imperium dicatur Romanum?*

Regnum Germaniæ propriè non poſſe Imperium dici Romanum, BURGOLDENSIS *Parte 1. Notit. Rer. Impe Diſc. IV.* tribus probat Argum. primum in Formâ Syllog. fortè eſt hoc:

*Qvodcunq; urbs Roma non exercet in ſubjectas Romæ provincias, propriè non poteſt dici Imperium Rom.*

*Atqvi Regnum Germaniæ non exercet urbs Roma in ſubjectas Romæ provincias:*

*E. Regnum Germaniæ propriè non poteſt dici Imperium Romanum.*

Alterum Argumentum eſt:

*Imperium Rom. propriè hoc eſt, cujus jura ab urbe Româ dependent:*

*Sed*

*Sed Germaniæ jura ab urbe Româ non dependent:*
*E. Regnum Germaniæ propriè non est Imp. Rom.*

Tertium formatur his verbis:
*Distincta coronatio & inauguratio distincta arguit Regna s. Imperia:*
*Atqvi duæ sunt coronationes, altera, qvâ Rex Germ. altera, qvâ Imperator Romanorum coronatur:*
*E. Regnum Germaniæ & Imp. Romanum duo sunt distincta Regna*, & per consequens *illud propriè non potest dici Imp. Romanum.*

XLI.

*Qvomodo igitur Imperium nostrum hodie dicitur?*

Dicitur *non simpliciter Romanum; sed Imperium Romano-Teutonicum, s. Romano-Germanicum*, das Römische Reich Teutscher Nation. ROMANUM nempe dicitur *ratione originis:* GERMANICUM verò *ratione Subjecti recipientis.*

XLII.

*Rectius qvomodo id diceretur?*

Rectiùs audiret nobis omnibus *Germanico-Romanum Imperium:* eò qvod victores sint Germani & Domini Imp. Rom. (exigui scil. illius urbici) Ambigua namqve significatio Imperii Romani multùm obscuravit jura auctoritatemqve Germaniæ: dum prono errore sub-

ſubdita illius Imperii credita, qvæ tamen nunqvam perdomita à Romanis. Qvin imò Germanico Regno acceſſit Rom. Imperium. Sic igitur appellatio illa, qvâ Regnum Germ. Romanum dicitur Imperium, Germaniæ accrevit: qvæ aliàs nobiliſſima regionum eſt Europæ.

## XLIII.

### *Sed qvâ ratione Titulus ille Germaniæ Regno ſeſe affricuit, ut dici Romanum cœperit Imperium, cùm tamen illud non ſit Romanum Imperium?*

CONRINGIUS putat ex errore vulgi hoc ita eſſe factum. *Credidiſſe* enim, ſcribit, *Veteres Germanos, qvod Imperium Rom. dignitate Regno Germ. & Longobardiæ præcelleret: Idq́; nomen,* idem tradit, *à Conradi III. & Frid. I. ætatibus aſſumptum eſſe:* qvò in ſanctiore exiſtimatione eſſet Germ. Regnum. At verò veriſimilior BURGOLDENSIS mihi videtur ſententia, qvum ſcribit: *Titulum iſtum deſumptum eſſe à primaria urbe totius mundi, Româ: cui de jure à temporibus Ottonis M. Rex Germaniæ imperare debebat. Habebat olim,* inqvit ille, *Imperator tria Regna,* 1. *Germaniæ,* 2. *Italiæ,* 3. *Romanum.* In his tribus Regnis nulla erat urbs dignior, nulla celebrior, qvàm Roma. Sic igitur, qvum tres iſtæ Reſpubl. qv. unum corpus conſtituerent, ab ea, qvæ opinione erat auguſtior, nomen petere placuit: qvemadmodum aliàs à pri-

à primariâ urbe, vel arce, Regna ac Principatus dici solent.

## XLIV.

### *Scire nunc qvàm maximè vellem, anne & ex usu sit Reipubl. nostræ Titulum Romani Imperat. retinere?*

Posset aliqvis omninò dubitare: *an ex usu id sit nostræ German. Reipubl.* hic enim titulus Germaniæ magis nocuit, qvàm aliqvot mille armati. Sub illo siqvidem *Pontifex R. qui de facto hodie urbis Romæ Dominus est*, jus qvæsivit sibi in ipsum Germaniæ regnum. Idem tamen Titulus in bonum usum receptus, & rectè intellectus, nec tolli potest, nec debet. *Importat* enim *dominium in urbem Romam, dominium in Papam ac Patrimonium D. Petri.* Verum qvidem est, *Imperium Rom. astutè è manu Cæsaris excussum; adeoq; nullum amplius actu superesse Imperium Romanum in manu nostri Cæsaris.* Nihilominus tamen Imperator noster *integrum adhuc habet jus Imp. Romani*, i. e. *Dominium in urbem Romam, Papam & Patrimonium Petri.* Accuratissimè proindè CONRINGIUS *L. de Fin. Imp.* demonstrat, *Papam neq; donationis*, neqve *præscriptionis titulo esse securum.* Hundert Jahr Unrecht ist keine viertel Stunde recht. Nuda igitur possessio, qvam Papæ heic allegare solent, non dat jus aliqvod possidendi: si alter, qvi possessione expulsus, nunqvam non reclamat.

XLV.

Redeo ad Carolum, M. & ex Te in reditu hoc qværo: *qvamdiu permanserit in Caroli M. familia Occidentis Imperium?*

*Permansit paulò plus qvàm centum Annis in Caroli M. familia.* Defecit autem hæc in *Ludovico IV.* Arnolphi filio A. C. 912. omni hæreditatis jure abscripto.

XLVI.

*Deficiente autem Caroli M. familiâ, qvid Occidentis Imperio contigit?*

Deficiente in Regio Francorum solio stirpe Caroli, à qvo Imperatoria dignitas Germaniæ Regno, s. ut tum vocabatur, Regno Francorum Orientali, accesserat, eadem obtinere cœpit constituendorum elligendorumqve Imperatorum ratio, qvæ Regum esse solet. *Liberrimâ* autem *electione Germaniæ Procerum Regnum Germaniæ fuit delatum Ottoni* Saxon. Duci, qvi tamen, senium caussatus, oblatam dignitatem recusavit. Ottonis itaqve consilio electus Rex Germ. fuit CONRADUS, hoc nomine primus, Dux Franconiæ: qvem nonnulli adhuc Caroli posteris accensent. Hujus itidem consilio electus fuit Rex Germ. Ottonis Saxonis fil. HENRICUS AUCEPS: qvi, solâ contentus Germaniâ, à Pontifice qvamvis invitatus, Imperatorium titulum noluit recipere.

XLVII.

*Qvæ obtinere tunc cœpit Imperialis Constitutio?*

Obtinere cœpit expressa hæc Constitutio: *ut nullus, nisi Germanus, Imperatoriam dignitatem obtineret.* Nusqvam autem Lex eadem de *eligendo solùm Germano* extat, nec hodie qvidem, nec in ipsa, qvæ dicitur *Aurea Bulla*: sed sola consvetudinis, qvæ paria cum Lege facit, ratione vigoreqve conservatur ac sustinetur.

XLVIII.

*Qvæ rationes sunt Imperialis hujus Constitutionis?*

Rationes sunt hæ: ne (1) *splendor Imperii, per Ottonem M. firmiter in Germaniam traductus, ad exteros transferretur*: (2) *Qvòd originarii melius Patriæ affectu, qvàm exteri, ducantur.*

XLIX.

*Fuitne constanter id observatum, ut nec qvisqvam, qvi non esset nativitate & lingvâ Germanus, ad Imperium legitimè promoveretur?*

Qvanqvam valdè seqviori ævo Constitutio illa Imperialis *de non eligendo Imperatore, nisi qvi esset Natione & Lingvâ Germanus,* ampliata habeatur in electione *Caroli V.* & *Ferdinandi I.* (qvippe qvi natus Madriti, indeqve difficillimè loqvebatur Germanicè) fuit tamen prisco tem-

tempore constanter id observatum: nec Germani unqvam passi sunt sibi vel ab Italis, vel à Gallis, aut aliis Nationibus eripi Imperatoriam Majestatem.

L.

## *Qvænam tempora heic excipiuntur?*

*Excipiuntur tempora illa corrupta: qvibus Imperium venale potius erat, qvàm justâ ac legitimâ ratione collatum.* Tunc enim præcipue sub illo diuturno interregno XXII. annorum, post mortem *Friderici II.* acceptô aurô elegerunt Imperii Proceres (1) *RICHARDUM*, Ducem Cornubiæ, fratrem Henr. *III*. Regis Angl. (2) *ALPHONSUM X*. Regem Cast. meliorem Astronomum, qvàm Principem. Is qvippe, constructis *Tabb. Alphonsinis*, in qvas 400000. aureos impenderat, astrorum scientiam ab interitu vindicavit. Qvare, qvum præter Studia omnia negligeret, jussu Pontificis Ao. 1273. *Rudolphus Habsburg*. electus fuit: cui & Ao. 74. omne jus concessit.

LI.

## *Annon & alius exterorum præter hos aliqvando Imperio suffectus?*

Electorum nonnullorum suffragio post mortem *Ludovici V. Bavari* diu pòst Imperator creatus *Eduardus III.* Rex Angliæ: sed Augustalia qvum non reciperet, ea *Friderico Marchioni*

*Misn.* tandemqve *Günthero Comiti Schwartzb.* obtulerunt.

LII.

## *Qvis igitur succedendi modus seqviori isthoc ævo obtinuit?*

Laxior obtinuit eligendi qvædam ratio: ut omninò, sublatâ successione hæreditariâ, modus succedendi in Imperio Rom. per electionem valeret. Viguerat utiqve Ottonum perindè ac Caroli M. ætate in Regno Teutonico successio hæreditaria, & plenior unà resp. Romanorum Imperii potestas donec minueretur paulatim, & propè convelleretur, prodito vitiosi moris exemplo: qvô plus venerationis Pontifici, qvàm honoris Imperatori dabatur. Et licet *Lehmannus Chron. Spir. L. V. c. 17.* electionem heic asserat, eoqve alleget Wittichindum, Ditmarum & complures: nec tamen qvicqvam momenti habet, qvod ex eligendi verbo colligit. Nam successio sæpe explicatur imagine electionis: ut propterea non continuò desinat successio: tùm verò electio illa non tam prima juris regnandi concessio, qvàm solemnis declaratio saltem ac renunciatio fuit. Cæteroqvin *Conring. Dissert. de Septemv.* Successionem partim hæreditariam fuisse, partim electitiam, scribit. Qvod si asseratur, nova emergeret Qvæstio: *successio, an electio valuerit majori parte?* vulgò putant, præpolluisse hanc; sed alii, *illam.* Nos dicimus, *successioni electionem fuisse admistam.*

LIII.

## LIII.

### *Liberrima autem electio qvandò primùm fieri cœpit?*

Cœpit primùm fieri: qvum Henr. IV. imperante, Proceres Germaniæ rebellarent, ipsiqve frigidam suffundente Pontifice, in Imperatorem insurgentes, eundem solio deturbarent: Tunc, tunc Constitutio hæc in Forchheimiensi conventu, qvam & Pontifex corroboravit, Ao. 1077. edita: *Ut regia potestas nulli per hæreditatem, sicut antè fuisset consvetudo, cederet: sed filius Regis, etsi valdè dignus esset, per electionem potiùs spontaneam, qvàm per successionis lineam Rex proveniret: si verò non esset dignus filius, vel si nollet eum populus, qvem Regem facere vellet, haberet in potestate populus.* Sunt verba Brunonis, qvi ipse huic conventui interfuit ap. *Strauch. Diss. Exot. p. 42.*

## LIV.

### *Penes qvos electio tunc Imperatorum stabat?*

Stabat primò penes *totum populum*, h. e. penes *Germaniæ Principes, Episcopos, Nobiles & Civitates.* Mox prolabebatur ad *Principes*, nullâ tamen factâ distinctione inter Electores & Principes alios. Posteà verò ob nimiam multitudinem Principum familiarumqve factiones constitui cœpere VII. *Electores:* qvibus cæteri Principes jus suum eligendi Cæsarem cederent.

LV.

## *Collegium hoc Electorale qvando demum cœpit?*

*Collegium Septemvirorum* tempore *Ottonis III.* auspiciis *Gregorii V.* Papæ cœpisse, communis fuit Chronologorum & JCtorum opinio: qvæ per duo Secula, & qvod excurrit, ab Anno 1250. ad annum circiter 1500. constans & perpetua fuit. Sed silent de ea re σύγχρονοι Scriptores. Et post Ottonem proximi Successores Henr. II. & Conradus Salicus, *Ottone Frising.* teste, ab omnibus Imperii Proceribus sunt electi. Sunt item: qvi Septemvirorum Electorum institutionem *Friderico* II. adscribunt. Sed Friderici nullâ hâc de re extat constitutio. Qvin potius *Speculum Saxon. Artic. 36.* testatur, tum temporis adhuc omnes Principes Imperatorem elegisse. Verissima proindè sententia est: *Septemvirorum Electorale Collegium mortuô demum Friderico* II. *in diuturno illo interregno cœpisse.*

LVI.

## *Qvando autem jus è Gente suâ eligendi Imperatorem Septemviri isti publicè adepti sunt?*

Etiamsi illi præ reliqvis Germ. Principp. autoritate in electione Impp. jam ante Friderici II. tempora eminuerint: attamen, qvum nonnisi tanqvam *Imperii Officiales* haberentur, certum est, post Friderici demum tempora, rebus per Germaniam mirè turbatis, hos *Septemviros*

*viros Officiales* ſibi ſolis jus Imperatorem eligendi ſumſiſſe. Qvod ubi in conſvetudinem, per aliqvot actus in interregno poſt Frid. II. confirmatam, abiiſſet: Carolus IV. Imperator illam per A. B. confirmavit. Atqve tunc verè publici juris eſſe cœpit. Qvid? qvòd ex eo tempore hi VII. Principes Electorum titulum ſibi adſciverint, qvô antè non erant inſigniti. Nec minus etiam tunc illi ampliori qvàm reliqvi Principes, dignatione æſtimari cœpêre.

## LVII.

### *Cur jus hoc ſoli illi adepti ſunt?*

Hoc ideò factum: *qvòd ſoli illi in Principum numerô publicis Imperii officiis hæreditariâ qv. ſucceſſione eminerent.* Undè *Officiales* ABBATI URSPERGENSI appellantur, *ubi de electione Philippi Svevi* agit. Sic ergò ex ordine Eccleſiaſtico adſciti ſunt in Electorum numerum *Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Archi-Epiſcopi:* qvia jam olim *officia Archi-Cancellariorum Imperii* adminiſtrârant; ille qvidem *German.* iſte *Galliæ;* hic verò *Italiæ.* E ſeculari ordine ſimiliter *Officiales* admiſſi ſunt. *Palatinus* nempe, qvia *Dapifer; Dux Saxon.* qvia *Mareſchallus; Maggravius Brandeburg.* qvia *Camerarius;* & *Rex Bohemiæ*, qvia *Pincerna* Imperii.

## LVIII.

### *Electorum qvot ſunt Ordines?*

Suut duo: *Eccleſiaſtici* enim ſunt alii, alii *Seculares.* Utriqve ab *eligendo* dicti: qvòd jus

eligendi soli habeant, idqve munus & soli peragant: ultrà qvod & jus capitulandi se habere privativè qvoad alios Status prætendant.

LIX.

*Ecclesiastici cur Electorum Collegio additi?*

Arridet *BURGOLDENSIS* inter alias hæc sententia: *qvòd illud vel propterea sit factum, qvia tres illi Archi-Episcopi, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, essent Archi-Cancellarii.* Qvod autem Ecclesiastici facti Cancellarii, vel inde esse putat *BURGOLDENSIS*: qvòd istis temporibus, qvibus orti, omnis literatura in claustris Monachorum hæreret: vel ex devotione, s. potiùs superstitione, antiqvorum erga religionem & religiosos.

LX.

*Electores qvomodo vocat Imperator?*

Qvamvis communiter Elect. Ecclesiasticos NEPOTUM nomine salutet Imp. Unsern lieben Neven und Churf, Seculares verò Oheim: hæc tamen differentia der Oheimen und Neven non semper, nec ubiqve ab Impp. observata. Communi proinde nomine omnes Oheimen audiunt.

LXI.

*Cur Ecclesiasticos Elect. speciatim Imperator salutat Nepotes?*

Qvia, sicut Nepos è fratre nobis dicitur, qvi fra-

fratris est filius; Nepos ex Sorore, qvi sororis nostræ filius existit, ita ab Imp. vel Imperio, cujus soror dicitur Ecclesia, hujus autem creaturæ & filii qvadantenus Elect. Ecclesiastici, *Nepotum* nomine compellari solent.

LXII.

*Qvotnam hodie sunt Electores?*

Electorum numerum qvod concernit: is sanè per *A. B.* est *septenarius*; hodiè autem post conclusam *Pacem Monaster.* est *octonarius. Tres* sunt *Ecclesiastici*, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis: *qvinq;* sunt *Seculares*, Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburg. & Comes Palatinus Rheni. Nec verò octavus ille Electoratus simpliciter ac absolutè est constitutus; sed cum limitatione clausulæ *Instr. P. qvod si verò contigerit*, &c. hodie inter publica Imperii jura receptus.

LXIII.

*Cur septem olim Elect. constituti?*

Factum id, ut excluderetur à suffragiis omnis discordia. Nempe, ne à pari suffragiorum numero ulla discordia nasci posset, necessum erat: ut senis, de duobus Ordinibus jamjam factis, Electoribus unus adhuc adderetur, qvi & ipse officio prælustris esset. Vitandæ autem discordiæ adjectus *Bohemus* Publicistis putatur.

LXIV.

## *Quæ Electorum Ecclesiasticorum est Constitutio?*

*Electores Ecclesiastici* constituuntur, ut alii Episcopi Germaniæ: *electione* nempe & *collatione*. Et hujusmodi Archi-Episcopus, postqvam investitus est, jure Electorio fruitur, licet *confirmatio Pontificis* & *Consecratio* nondum accesserit. Competit enim Electio ipsis ut Principibus Imperii: adeoqve *sola electio erit necessaria*.

LXV.

## *Qvis primus est Electorum Ecclesiasticorum?*

Est *Moguntinus*, *ARCHI-CANCELLARIUS PER GERMANIAM*: qvi & *Collegii Electoralis Decanus*, Electionem namqve dirigit, solusqve effectivè est Cancellarius. Subscribit autem & subsignat vel ipse, vel per suum Vice-Cancellarium, qvæ nomine Imperii publicantur. Sigilli Imperat. Archivi & Matriculæ est Custos: Director & Protector Postæ Imp. solusqve loqvitur nomine Statuum.

LXVI.

## *Qvis ordine alter Elector Ecclesiasticus?*

Est *Trevirensis*, *ARCHI-CANCELLARIUS PER GALLIAM* & *REGNUM ARELATENSE*: qvod Otto M. Regno Germaniæ adjunxerat, atqve

atqve ita manserat usqve ad imperium Rudolphi Habsburgensis.

LXVII.

*Qvis Elector Eccles. tertius?*

Est *Coloniensis*, ARCHI-CANCELLARIUS PER ITALIAM, i. e. per Regnum, qvod fuit Longobardorum, perqve reliqvias veteris Imperii Rom.

LXVIII.

*Sed qvæ constitutio Electorum est Secularium?*

In *Electoribus Secularibus successionis linealis* obtinet species, qvam *agnaticam* vocant. Non enim eliguntur, sed mares maribus succedunt jure sangvinis. Ita autem successio illa heic obtinet: ut neqve Electoralis dignitas, neqve Electoratûs territorium ullam divisionem recipiant. Electoratus enim unà cum ditionibus annexis indivisibilis per Tit. 20. & 27. A.B. declaratur.

LXIX.

*Qvis primus est inter Elect. Seculares?*

Inter Archi-Principes Politicos primus est *Rex Bohemiæ*, *IMPERII ARCHI-PINCERNA.* Qvanqvam autem alii statuant, qvod Rex Bohem. tantùm intercedat paribus suffragiis: competiisse tamen Bohemo jus qvoqve eligendi Imperatorem jam à Seculo XI. continuâ pos-

ſeſſione usqve ad noſtram ætatem, *Goldaſtus Lib.3. de Rege Bohem. c. 6.* deducit.

LXX.

*Qvis proximus hodie eſt à Rege?*

Per *Inſtrumentum Pacis* hodie proximus eſt *Bavarus, R.IMP. ARCHI-DAPIFER:* qvum olim proximè Bohemum ſeqveretur *Comes Palatinus.*

LXXI.

*Qvis tertius eſt Electorum Secularium?*

Eſt *Dux Saxoniæ, IMP. ARCHI-MARSCHALLUS:* cui, vacante Imperio, *Jus Vicariatus* in locis, ubi *jus Saxon.* viget, competit.

LXXII.

*Saxonis hic Vicariatus qvando cœpit?*

Videtur ſtatum atqve fixum *Vicariatus Saxonici* jus ortum vel lege, vel conſvetudine, Seculo XIII. qvum nutaret Reipubl. Status: denuò verò Lege publicâ per A. B. & poſtea ſingularibus Tabb. à *Carolo IV. Imp.* confirmatum Seculo XIV.

LXXIII.

*Qvis ordine qvartus inter Elect. Seculares?*

Qvartus Secularium Electorum eſt *Marchio Brandeburg. IMP. ARCHI-CAMERARIUS:* potentiſſimus hodie inter omnes Electores.

LXXIV.

## LXXIV.

*Qvis nostro hoc seculo Secularium Electorum claudit agmen?*

Ultimus est *Comes Palatinus Rheni, ARCHI-THESAURARIUS* hodie *IMPERII.* Mortuo Imperatore & hic *Imperii* est *Vicariatus*, in locis qvidem, ubi *jus* viget *Franconicum.* Concertare tamen cum ipso de Vicariatu *Bavarus* cœpit, adjudicante eum huic Serenissimô nostrô Saxone. Vid. *Diar. Europ. ad 30. Apr. p. 79.*

## LXXV.

*Comes verò Palatinus Rheni unde hoc nomine dici meruit?*

Sic dici meruit non à *Palatio Trevirensi*, nec à *Castello, in Rheni alveo è regione Cubæ sito,* qvod vocant die Pfaltz: Sed à *Palatio Imperiali,* cui serviebant olim Comites Rheni. Nomen *Palatini* igitur merum officium ac dignitatem heic importat.

## LXXVI.

*Qvotnam præcipui olim Imperiales erant Palatini?*

Qvum Imp. Teutonicum *duplici* olim regeretur *jure, Franconico & Saxonico, illudq; tractum Rheni*, Belgium, Sveviam, Franconiam, Orient. Bavariam & Austriam ad Alpes usqve; *hoc* verò *tractum Saxon.* ad mare usqve Balticum, complecteretur: factum inde, duo

etiam præcipui Palatini haberentur, *Saxonicus* & *Rhenensis*. Atqve ab hoc alterô *Comites Palatini Rheni* omninò ortum suum trahunt.

LXXVII.

*Sic itaq; , dum Electio Impp. per constitutos Electores invaluit, ad qvam tandem eadem restringi cœpit Familiam?*

Ad *Familiam Austriacam*. Etenim, qvum per A. B. effrenis & exlex eligendi licentia, qvæ Seculô XIII. & XIV. miris modis turbaverat Imperium, feliciter refrenata esset, Seculô tandem XV. necessitas eò adegit Electores: ut à Friderici III. tempp. ex unâ hac Familia Impp. Romano-Germ. Regesqve Romani crearentur.

LXXIIX.

*Cur ad id qvidem Electores adegit necessitas?*

Qvia (1) nulla in Germ. Familia par ferendis sumptibus supererat: qvos Maj. Imp. reqvirit, omnibus Fisci bonis jam in privatam Principp. possessionem redactis. (2) qvia nec ulla Familia facilè obicem ponere Turcicæ poterat potentiæ.

LXXIX.

*Anne verò adeò benè hac ratione prospectum liberæ Electionis Legi?*

Qvanqvam non adeò benè prospiciatur *liberæ*

*beræ Electionis Legi, in Thesi consideratæ*, si ex una eademqve familia electiones non interrupta serie continuentur: benè tamen prospectum *liberæ Electionis Legi, in Hypothesi spectatæ*. Rectè enim cordatiores observant Politici: qvod, sicuti veteris Germaniæ moribus apprimè commoda fuerit illa ex successione hæreditaria & libera electione mista constituendorum Regum ratio; ita optimè contigerit German. ut à ducentis jam amplius annis cognita illa successio vetus ex parte ab Electoribus rursus observaretur. Qvod nisi factum fuisset: ne umbra qvidem Imperii Germ. jam superesset.

## LXXX.

### *Qvomodo interim præcaveri solet, ne ad meram successionem negotium hoc deveniat?*

Solet *juramento* in Capitulationibus præcaveri: ne taliter electus jus aliqvod hæreditarium sibi in Imperio arroget.

## LXXXI.

### *Qvid Imperii nostri interest, ut electio in certa familia hodie instituatur?*

Videtur eligendi hic modus ad tranqvillandum Imperium omnium optimus: arcanumqve Collegii Electoralis non paucis apparet, *unanimiter & constanter in serenissimâ domô Austriaca continuare electionem.*

## LXXXII.

### *Qvis nostri ævi Autorum satis acrem strinxit calamum adversus talem Electionem?*

Per implacabile odium adversus domum Austriacam in transversum raptus, Electionem hanc Imperatoris R. qvæ ad certam familiam, nominatim autem ad Austriacam, hodiè restricta habetur, satis acriter perstringere nostro ævo ausus est personatus ille *Hippolithus à Lapide L. de Rat. Stat. Imp. Germ.* Is ipse enim sibi persvaserat: *ob continuam Austriacorum successionem hodiè non amplius superesse in Imperio Electionem veram.* Qvare ad Hippolithi lectionem non nisi illustres animas accedere, eundemqve non nisi mâgno cum judicio perlegere oportet.

## LXXXIII.

### *Annon aliqvis sese hâc in re masculè Hippolitho à Lapide opposuit?*

Fecit id JOHANNES SLUTERUS, J. U. D. *Animadversione in Hippolithi à Lapide*, uti vocari voluit, *Dissertationem* de *RATIONE STATUS Imperii nostri Germanico-Rom.* honorem, existimationem, utilitatem, salutem S. Rom. Imp. impugnatam, præprimis autem læsam Cæsaream Majestatem, mascule è Capitulationibus Imperatoriis, cæterisqve Imperii Constitutionibus, Pactis & Actis publ. fide dignis Histor. & similibus fundamentis, accedente

dente aliqvando juris communis convenienti applicatione,& sanâ imprimis politica,ratione vindicans. Solidè & violentum Hippolithi consilium refutavit *Dn. Textor* in egregio *Tr. de rat. Stat. Imp. moderni verâ ac genuina. c. X. & XI.* multis parasangis Hippolitho melior.

LXXXIV.

*Ergone una Domus Austriaca est, qvæ satis utiliter hodiè Imperium tenet Germanico-Romanum?*

Est sanè Posteaqvam enim post diuturnum illud Interregnum ab obitu Frid. II. Imp. vel semel eligi tandem Anno 1273. in Imperatorem cœpit RUDOLPHUS, Comes Habsburg. autore Electionis hujus Electore Palatino existente: is utiqve unus erit, qvi præpotentem Domum Austriacam fundavit.

LXXXV.

*In hâc ipsâ Domô s. Familiâ qvando & à qvo & cur sumi ac usurpari ARCHIDUCUM cœpit Titulus?*

Respondet *Hippolithus à Lapide*, id factum sub *Maximiliano Primo*: utpote qvem usurpâsse constanter Titulum hunc, certum est. Rectiùs tamen dicitur ALBERTUS II. *Friderico Ernesto*, suo in sexto gradu, juxta supputationem Juris Civilis, agnato, qvi Anno 1440. in Romano successit Imperio, cognomento IIItius dictus, titulum hunc contulisse, & eâ qvidem

qvidem fini: ut Domus Auſtriaca præ cæteris antiqvioribus ac illuſtrioribus, Saxonicis præprimis & Bavaricis, Familiis emineret. Fuêre igitur MARCHIONES AUSTRIÆ usqve ad Henr. II. Leopoldi S. filium: poſtea *Fridericus I. Barbaroſſa* Anno 1156. *Henricum II.* Leopoldi S. Fil. conſtituit *DUCEM*. Qvo Titulo conſtanter uſi usqve ad *Fridericum IIItium.*

LXXXVI.

## Redeo è diverticulo in viam: ad Imperium nempe noſtrum redeo, dumq; redeo, ſcire idem ex te cupio: *qvinam hodiè in noſtro Imp. veri & genuini ſint Cives?*

*Veri & genuini propriiq; Imperii Germanico-Rom. Cives* ſunt ii: *qvi poteſtatem habent judicandi de iis, qvæ ad τὸ κύριον vel ſummam Reipubl.* (verſatur autem ea circa pacem & bellum, circa leges publicas rogandas vel derogandas, circa fœdera cum peregrinis, circa vitam, mortem & exilium civium, deniqve circa bona civium, aut confiſcanda, aut in commune diſtribuenda) *pertinent.*

LXXXVII.

## *Qvo nomine veniunt taliter definiti Imperii noſtri Cives?*

Rectè hi Cives STATUS & ORDINES IMP. Stände deß Reichs/appellantur: nempe qvod ſint totius Regni columnæ: vel qvòd, de anno 1521. recepti in Matriculam, legitimam

mam in Comitiis ſtandi habeant Perſonam, jure tamen hoc territorio qvodammodo connexô.

## LXXXVIII.

*Qvot ordinum ſunt hi, qvos &* immediatos *vocant, Imperii noſtri* Cives?

*Duorum* ſunt *Ordinum*: Alii enim ſunt CLERICI, alii LAICI, utriqve in Comitiis ſuffragandi jus habentes.

## LXXXIX.

*Qvinam ſunt Clerici illi?*

Sunt *Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Prælati, Magiſtri Ordinum militarium Sacrorum omnes*: qvotqvot hodieqve Imp. Germanici finibus continentur, & territorium aliqvod ab Imperio obtinent.

## XC.

*Anne & Clerici, qvi A. C. profitentur, hujus ſunt Ordinis?*

Licet prioris hujus ſint Ordinis: vi tamen Transactionis Pragenſis à Conciliorum jure excludi nonnullis putantur.

## XCI.

*Qvinam Cives Imperii ſunt Laici?*

Pertinent ad alterum iſtum Ordinem *Electores* (intellige *Seculares*) *Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones* & deniqve *Urbes variæ*: qvæ itidem, Imperii Legibus viven-

viventes, Territorium aliqvod Imperii obtinent.

XCII.

*Cives utriusq; Ordinis, qvatenus scil. Status sunt Imperii, qvot modis dividuntur?*

Dividuntur qvadrifariam: Ratione (1) *Territorii*, (2) *Dignitatis*, (3) *Religionis*, (4) *Personarum.*

XCIII.

*Qvomodo dividuntur ratione Territorii?*

Dividuntur ratione Territorii in *decem Circulos*, (*Grotius* X. Pagos *Hist. L. VII.* p. 344. vocat) qvorum, juxta *LIMNÆUM*, jura hæc sunt: ut (1) *qvilibet sibi possit eligere Ducem*, einen Kreiß-Obristen/ & *qvatuor illi adjungere Consiliarios Laicos*: (2) *ipsi inter se agere possint Conventus*, Kreiß-Tage/ in qvibus de re monetaria & pace publica deliberetur.

XCIV.

*Qvinam nominatim sunt X. illi Circuli?*

Primus est *Austriacus*: alter *Bavaricus*: tertius *Franconicus*: qvartus *Svevicus*: qvintus *Burgundicus*: sextus *Rhenanus superior*: septimus *Rhenanus inferior s. Electoralis*: octavus *VVestphalicus*: nonus *Saxonicus superior*: decimus *Saxon. inferior.*

XCV.

XCV.

*Cives Imperii qvomodo dividuntur ratione Dignitatis?*

Dividuntur hodie in VII. Classes: qvarum 1. *Electorum*, 2. *Archi-Episcoporum*, 3. *Episcoporum*, 4. *Principum*, 5. *Prælatorum*, 6. *Comitum*, 7. *Liberarum Imperialium Civitatum.*

XCVI.

*Qvomodo ratione Religionis?*

In *Catholicos*, sc. *Romanos*, qvi in Pace Relig. sub hoc nomine intelliguntur, & in *Protestantes*, sc. Augustanæ Conf. addictos: sub qvibus etiam hodie comprehenduntur *Reformati.*

XCVII.

*Qvomodo ratione Personarum?*

Dividuntur ratione Personarum in *Ordinis primi*, in qvo collocantur Electores: in *Ordinis secundi*, in qvo collocantur Principes, cùm Ecclesiastici, tùm Seculares, Reichs-Fürsten/ Comites, Reichs-Grafen/ & Barones, Reichs-Freyherren: inqve *Ordinis tertii*, in qvo collocantur Civitates Imperiales, Käiserliche Reichs-Städte und Freye Reichs-Städte.

XCVIII.

*Qvâ re maximè gaudent Imperii, qvos tenus hac variè divisos mihi dedisti, Status?*

Gaudent in suis territoriis *superioritate territoriali*, qvam Landes Obrigk. Landesfürstl. Obrigk.

brigk. Landshoheit und Herrligkeit vocant, eandem definientes: qvòd sit *potestas majestatica Statibus ratione territorii immediatè proprio ac pleno jure competens.*

## XCIX.

### *Principes ergò Imperii in suo territorio qvantum posse existimas?*

*Principes* (qvi *alii* in Comitiis *Scamnum Ecclesiasticum*; *alii Scamnum Seculare tenent*) *tantùm*, juxta tritam sermone Regulam, *in suo territorio possunt, qvantum Imperator in Imperio*: nisi aliud speciatim dispositum esse deprehendatur. Atqve sic omnimodam illi jurisdictionem, tàm Civilem, qvàm Criminalem, exercent.

## C.

### *Sed qvosnam tute, præter recensitos Imperii Status, immediatis illius annumeras Civibus?*

Annumero his *Nobiles Imperii Liberos*, die Freye Reichs Ritterschafft: qvi & ipsi fuêre olim Status, admissiqve ad Comitia; sed hodie Status esse desiêre. Id an casu factum, an consilio, & in favorem ipsorum (nam finitis Comitiis non obligantur stricto ad Comitiorum conclusa rata habenda jure, sed cum ipsis de *subsidio charitativo* est agendum) in dubio relinqvitur. Retinuerunt tamen Jura ac Privilegia Statuum, in *Franconicos, Svevicos, Rhenanos* commodè divisi.

## CI.

### *Qvinam mediati Cives sunt Imperii?*

*Mediati Cives*, vix tamen ac ne vix qvidem veri, genuini ac proprii Imperii Civis Definitionem subeuntes, *sunt* illi : *qvi non Imperatori & Imperio, sed aliis Superioribus & Statibus immediatis immediato subjectionis nexu devinciuntur*. Unde nec ipsi Status sunt Imperii.

## CII.

### *Qvæ horum est Divisio?*

Dividuntur in *Principes*, qvorum tres præcipuæ in Silesia familiæ numerantur, *Lignicensis*, *Teschinensis* & *Monsterbergensis*: in *Comites* & *Barones*, qvales *Comites de* Hardeck sub Austriacis : in *Nobiles*, qvi vocantur *Landsassii*: inqve *Civitates*, qvas vocamus *Municipales*, Land-Stådte.

## CIII.

### Missis Imperii Membris, videamus jam totius Imperii Caput: *Ecqvodnam autem illud est?*

Caput totius Imperii est IMPERATOR; qvi Titulus, pro insigni potestatis impositus Julio Cæs. perpetuo Dictatori creato, ad successores transiit. Imperiali autem Diademate hodie coruscat LEOPOLDUS, Magnus D. Ferdinandi III. Filius!

## CIV.

### *Qvæ nomina alia & Tituli sunt Imperatoris nostri?*

Dicitur & CÆSAR: qvod nomen initiô proprium, posteà hæreditario qv. jure unà cum ipsa dignitate Imperatoriâ transiit in Successores. Dicitur AUGUSTUS, ipsiusqve Uxor AUGUSTA, ab Octavio Augusto. Interdum additur Adverbium *Semper*: SEMPER-AUGUSTUS. Qvod jam Symmachi temporibus factum. Verti autem *Augustus* German. solet Mehrer deß Reichs/ & *Semper-Augustus* zu allen Zeiten Mehrer deß Reichs: qv. *Augustus* dicatur ab *augendo*, i.e. amplificando, *Imperio*. Salutatur porrò Imperator *SANCTISSIMUS*: qvia est maximè venerandus. DIVUS deniqve audit, appellatione hâc, qvâ Impp. olim *Divi* post mortem demum audiebant, ad viventes qvoqve adhuc, non sine notâ ambitionis aut adulationis, translatâ.

## CV.

### *Creatio Imperatoris Germanico-Rom. qvot & qvibusnam solemnibus fit Actibus?*

*Duobus solemnioribus* hodiè fit *Actibus*: *ELECTIONE* nempe & *CORONATIONE*. *ELECTIO* ordinariè fit *Franckofurti*, nec tamen necessariò. Nam *Ferdinandus I.* eligebatur Coloniæ, *Rudolphus II.* Ratisbonæ, *Ferdinandus II.* ibidem, & *Ferdinandus III.* Augustæ Vindelicorum.

rum. *CORONATIO* olim erat triplex: ſed poſt Caroli V. mortem Imperatores unicâ coronatione fuêre contenti, neqve Aqvisgranum, neqve Romam propter coronationem ampliùs petentes; ſed Frankofurti, vel etiam alibi, pro Germaniâ eam expectantes.

## CVI.

### *Imperatoria inſignia qvot & qvænam ſunt, qvibus novus ſuperbit Imperator?*

*Qvatuor ſunt regalia inſignia Imperii*, inqvit *PETRUS de ANDLO*, *Diadema, Gladius*, *Sceptrum*, & *Pomum aureum*, ſ. *Globus*. Præter hæc tamen qvatuor dignitatis Auguſtalis ornamenta propria plura eſſe clinodia, reliqvias & anathemata Scholiaſtes ejus feliciſſimus, *MARQV. FREHERUS*, rectiſſimè notavit. Sanè Globum ipſum, ſ. Sphæram auream crucigeram, qvod attinet, antiqvus admodum mos, Imperatorum imagines ac ſtatuas ita effigiare, ut pilam manu geſtent. Origo ejus moris à Cæſaris ævo eſſe videtur: cui Senatus Rom. *Dione* atteſtante, ſtatuam dedicaverat, Sphæræ impoſitam. Id verò ſignum nihil aliud qvàm Orbem hunc habitabilem indicat, & nationes in eô ſubactas, atqve Imperio parentes. Non qvòd Romani Cæſares omnes univerſi Orbis populos regerent, ſed Orbis tantùm S. Imperii Rom. populos: qvi tamen qvodammodo omnes, qvia præcipui.

CVII.

## CVII.

### *Coronandi autem Imperatorem jus cui maximè competit?*

De hoc jure mota ante paucos annos inter duos Ecclesiasticos, *Elect. Moguntinum* & *Coloniensem*, controversia, illô in perpetuâ ferè post A. B. observantiâ, hoc verò in *A.B.Tit.4.* *§.4.* sese fundante. Qvum verò res utrinqve ad arma spectaret, lis tandem ita sopita: *ut Coronatio in Diœcesi Coloniensi ab illius Archi-Episcopo; in Diœcesi Moguntina à Moguntino; extra utramq; verò ab utroq; alternatim peragetur.* Hinc Anno 1658. in coronatione sacratissimi nostri Imperatoris *Leopoldi* Missæ officium celebratum ab *Archi-Episcopo COLON.* qvi Cæsarem unxit: Coronam verò tres Electores Ecclesiastici simul Cæsareo imposuêre capiti.

## CVIII.

### *Qvæ, qvalis, ac qvanta Imperatori jamjam coronato accrescit potestas?*

Accrescit ei *potestas* non *absoluta*, sed *Legibus & Capitulationibus*, ut vocantur, *adstricta*: de qvibus qvidem servandis Imp. se juramentô obstringere solet. Etsi igitur Imperator *Legibus civilibus*, qvoad *vim coactivam*, ut JCti loqvuntur, solutus sit: *Contractus* tamen & *Pacta*, qvæ juris sunt Gentium, servare tenetur.

CIX.

CIX.

*Quæ & qvotuplicia Majestatis jura coronatus incipit habere Imperator?*

Duplicia habere incipit Imperator novus Majestatis jura: *communia alia cum Statibus, alia propria.* Hæc *RESERVATA Imperatoris* vocantur: de qvibus novum *JOH. STAMLERI Acroama* habemus. Nec tamen duplex exinde Majestas oritur. Sed una permanet, cum temperamento tamen qvodam, Reipubl. nostræ statui maximè salutari.

CX.

*Per qvot & qvosnam verò modos Imperatoris jurisdict. esse definit?*

Desinit esse per tres modos: (1) per *naturalem mortem*, qvæ solvit omnia. (2) Per *depositionem*, qvæ an jure fieri possit, disputari novimus. An rectè verò disputetur, ambigunt. (3) Per *abdicationem.* Remanet autem Majestas interim Imperii penes ipsum Corpus. Nec alibi ante novi Imp. electionem latitat, qvàm in ipso Imperii Corpore, penesqve Cives ac Proceres Reipubl. nostræ stat, non singulos qvidem, sed universos.

CXI.

*Imperatori ecqvid maximè incumbit?*

Qvum de rebus magni momenti, ut de pace & bello, de sumptibus in commune bellum erogandis, de fœderibus & re monetaria agen-

dum: incumbit hoc maximè Imperatori: uti de iis omnibus in Comitiis Ordinum deliberet.

CXII.

*Paulò ante Comitia qvid agere tenetur Imperator?*

Tenetur Legatos ad singulos Electores mittere, cumqve his de loco & tempore Comitiorum convenire: qvæ in Civitatibus Imp. Ratisbonæ potissimùm, celebrari solent.

CXIII.

*De Comitiis his qvid notandum præprimis censes?*

Id notandum præprimis heic est: *qvod Comitia intra terminos Imperii institui debeant.* Id qvod ita intelligendum: ut, qvod in X. Imperii Circulis non comprehenditur, id idoneus Comitiorum locus esse neqveat.

CXIV.

*Qvid autem fit ab Imperatore, Electorum consensu in re Comitiorum impetrato?*

Qvilibet Status specialibus literis ad Comitia vocatur. Moris autem non est: ut ante Cæsaream Propositionem in Comitiis Status Imperii confluant & deliberent: Communicatâ tamen Statibus Imperii Propositione ac Cæsarea voluntate, illi statim ad deliberandum de propositis negotiis conveniunt.

CXV.

*In ipsis Comitiis qvid agere solet Imperator?*

Solet Cæsarea Majestas maxima Imperii negotia Imperii Statibus per *Propositionem* qvandam, ut hodie vocatur, ad deliberandum proponere: qvô factô *tres Imperii Curiæ*, seu *Classes*, convenire, deqve rebus istis consultare solent. Necesse tamen est: ut prius *materia*, de qva deliberatio instituenda, *Statibus* significetur: ne imparati accedant.

CXVI.

*Qvæ sunt tres illæ Curiæ seu Classes Imperiales?*

Prior est *Electorum*: altera *Principum*: tertia *Civitatum Imperialium*.

CXVII.

*Directorium penes qvem est in Curia Electorum?*

Est penes *Electorem Moguntinum*: qvi vota colligit, & caussas proponit. Ultimô verò loco suffragium suum ferre solet. Qvod si inter se dissentiant, interrogatio continuatur: donec vel omnes, vel major pars negotium concludat.

CXVIII.

*Principum Curia in qvot Scamna dividitur?*

Dividitur in *Scamnum Ecclesiasticum* & *Seculare*. In Scamno *Ecclesiastico* Archi-Episcopi, Episcopi, Prælati; in *Seculari* Principes, Comi-

tes & Barones, nomine, non reipsâ, à Comitibus differentes, iisdemqve fruentes Privilegiis, sedent.

CXIX.

*Directorium penes qvem in hâc altera est Curia?*

In hac dirigunt & proponunt alternis vicibus *Austriacus* & *Salisburgensis.* Interrogandi verò jus post factam Propositionem habet *Vice-Mareschallus Imp.* qvi singulas Principum domos & Episcopatus nominare, aut, si de unâ domo plures adsint, lineas tantùm appellare solet. Atqve in hâc Curia majora qvoqve vota vim obtinent: nisi sit caussa ad religionem spectans, aut Evangelici & Romano-Cathol. inter se dissideant. Etenim, qvum horum in Comitiis prævaleant vota, saluberrimo consilio in nupero Pacis Instrumento cautum habetur: ut ne majora vota, tam in caussis Religionis, qvàm in omnibus aliis negotiis, in qvibus Catholici & Evangelici dissentiunt, vincant.

CXX.

*Penes qvem in tertia Directorium est Curia?*

In tertia Curiâ, (qvæ & ipsa in *duo Scamna, Rhenanum* & *Svevicum*, dispescitur) directorium semper illius loci Magistratus habet, ubi Comitia celebrantur. Solet autem non solùm qvælibet Civitas secum heic habere suffragium, sed & majora vota ibidem caussas decidunt. Et qvanqvam multæ antehac de Civitatum Imp. voto Controversiæ obortæ: nuper

per tamen ſtatutum, *illis, non ſecus ac reliqvis Imp. Statibus, votum*, ut appellant, *deciſivum tribuendum* eſſe.

CXXI.

*Factâ per majora vota Concluſione qvis Proceſſus in Comitiis ſervari ſolet?*

Solent Status tunc *Re-& Corre-ferre*, ut Verbis hâc in re uſitatis utar. Id autem h. m. fieri ſolet: Qvando de certo qvodam negotio in duabus Electorum & Principum Curiis deliberatio jam inſtituta, & concluſio facta, hæ duæ Curiæ conveniunt, ſententias ſuas exponunt, & periculum faciunt, num diſſidentes componere poſſint. Poſtea Civitatibus Imperialibus aut communis harum Curiarum concluſio, aut, qvod rarò fit, diſſenſio communicatur, & earum qvoqve vota exqviruntur.

CXXII.

*Anne & præter Imperialia illa Comitia alium nominare mihi poteris Conventum?*

Nominare poſſum *Deputatorum Conventum*, Deputation-Tag/ primùm decretô Auguſtano Anno 1555. inſtitutum. Per *Deputatos* autem intelligo, qvos Cæſar & Ordines delegerunt: ut, qvæ in publicis Comitiis explicari non potuêre, tractarent ſeorſim.

CXXIII.

*Qvotuplices Deputatorum ſunt Conventus?*

Sunt duplices: *ordinarii* alii, alii *extraordinarii in Comitiis*, wenn man zu Befõderung der Sachen einen Außschuß machet. Possunt Deputati hi vocari deß Reichs Außschuß. Unde in Comitiis, qvando novus punctus in deliberationem venit, qværi solet: *an Status de eo in pleno Senatu, vel coram certis Deputatis* (durch einen Außschuß/) *deliberare velint.*

CXXIV.

*Cur potissimum institui solent Deputatorum Conventus?*

Duabus de caussis: (1) *ut negotia circulorum Imp. per dissensionem enata, componantur:* (2) *ut negotia, qvæ in Comitiis expediri neqviverunt, decidantur.* Raro vero hodie priori de caussa tales instituuntur Conventus: posteriorem vero ob caussam freqventius.

CXXV.

*E singulis istis, qvæ respondisti tenus hâc ad proposita Erotemata, qvid innotescit?*

Non potest non, præter splendorem & non minimum Octovirorum Sereniss. autoritatem, Ordinum summa libertas omnibus hinc innotescere. Non enim solus Imperator, sed insimul membra Statusqve imperii in nostra Republ. subjectum summæ sunt Majestatis. Ostendunt id Comitia: in qvibus Ordd. tanqvam principales partes juxtà cum Imperatore de omnibus, qvæ ad statum Imp. Ecclesiast. ac Polit. conservandum vel defendendum pertinent,

nent, deliberare & decernere ſolent. Atqve hoc eſt: qvod *libertatis* nomine indigitari voluit Archiepiſcopus Moguntinus in voto ſuo Coëlectoribus expoſito, multum de ejus conſervatione ſollicitus ap. *Sleidan. L. 1. p. 20. 22.* Ab eo ne latum ungvem ibid. recedit Saxon. Dux. Frid. *Placere* enim *ſibi*, in Conclavi Electorali teſtatur, *ut Carolus Auſtr. renuncietur Cæſar.* Veruntamen certis id Legibus vult fieri: ut Germaniæ ſua libertas conſtet.

CXXVI.

*Qvis libertatem hanc ſummam exactius noſſe poteſt?*

Is ſanè exactius libertatem vivam Germ. noſtræ cognoſcet: qvi Leges altâ mente diſcutiet in Capitulatione Cæſ. præſcriptas. In his qvippe de limitata Imperat. ac Ordd. Imperii reſervata poteſtate ſatis informabitur. Non enim fas eſt Cæſari, ſine Statuum Imp. vel ſaltem Electorum conſenſu ac voluntate de rebus Imperii cum exteris Principibus fœdus inire, bellum intra vel extra Imp. fines ſuſcipere, vectigalia indicere, leges univerſales condere, &c.

CXXVII.

*Ejusdem libertatis exercitium qvis omnium exactiſſimè poterit nôſſe?*

Is exactiſſimè poterit hoc noſſe: qvi adibit Comitia, &, qvomodo Imperii negotia ibidem gerantur, perpendet. Experietur ſanè, *omnia*

*ibi non solius Imp. nomine ac nutu, sed universi Imperii Statuum consensu & autoritate, peragi atq; concludi, quæ unqvam in Comitiis tractantur & reciduntur.*

CXXVIII.

## Rebus Sacri Imperii nostri libero hoc pede, qvantum ad Comitia, stantibus, *Ego eqvidem ex Te jam cognoscere vellem:* Cujus Formæ illud ipsum sit?

Commnnis sententia est: *Reipubl. nostræ statum Monarchicum esse*, sed *Aristocraticè mistum, in qvo Imperatorem veneremur Monarcham. Monarchiam* nempe nostram Rempubl. esse volunt: nec tamen *simplicem*, qvalis olim à Jul. Cæs. ad Ottonum usqve tempora fuit; Sed *Aristocraticè mistam.* Nam Majestas, qvæ interImperatorem &Status siveOrdd Imp. post Ottonum tempora paulatim dividi cœpit, cum Statibus communicata hodie & ita distributa habetur: ut qvælibet pars & videatur Imperium habere & ab eo destituta esse. *Mart. Schoockius, statum German. purè Monarch.* & *Imperatorem purum Monarcham* his potissimùm Argum. declarat: qvia (1) *illi competat jus primariarum precum:* (2) *cujusvis generis ac dignitatis gradus conferat:* (3) *ab illo investituræ & feudorum principalium collatio obtineatur:* (4) *ipse Academias constituat* &c. Pro eadem sententia *Joh. Sluterus* pugnat *Diss. de Subj. summæ potest in Imperio Rom.* ipseqve præcipuam ratio-

nem

nem vel inde petit: *qvòd nullum inter univerſos Ordd. Imp. in Comitiis concluſum ſine Cæſaris approbatione vim obtineat, nonnullaq; ſolus Imp. extra communes deliberationes, non ab Ordd. commiſſo, ſed proprio jure expediat.* HIPPOLITHUS à LAPIDE contrà pro *pura pugnat Ariſtocratia*, Imperatorem Ordinibus ſubjiciens, nudiqve Magiſtratus dignationem velut precariò tot titulis ſuperbienti, concedens: *eò qvod Majeſtas ſeu ſumma poteſtas penes Ordd. foret: qvia eam* etiam tunc haberent, qvando nullus Imp. Aliter *Severin. de Monzamb. c. VI. de Statu Imp. Germ. §. 9.* ſentit. Is enim & ipſe caſtra Boxhorn. ingreſſus, & *Rempubl. mixtam* dari negans, rejectis aliorum ſententiis, ſuam tandem mentem aperit de Germ. Imp. formâ, atqve ſtatuit: *Germaniam eſſe irregulare qvoddam corpus monſtro ſimile, eamq; vel fœderatorum ſeu plurium civitatum aliqvod ſyſtema ultrò vergere, in qvo unus Princeps aut Dux fœderis emineat, ſimulacris regiis veſtitus.* Novam hanc opinionem tanqvam Chimæricam ac monſtroſam rejicit *Pacif. à Lap. Not. ac Strict. in Severin. Monz. Diſcurſu XII. §. VI.* Sed ſatis prolixè eandem vindicat *Sam. Pufend. Diſqv. de Republ. irreg. ad Cap. 6. Sever. Monzamb.* utile priùs, qvàm ad examinandas rationes, qvibus Severini Monzamb. ſententiam convellere alii haut dubitant, accedat, monere ratus: *Formam Reipubl. German. qvæ nunc eſt, haut qvicqvam originem trahere ex aliqvo fœdere expreſſo, & inanteceſſum aſſignatis*

*tis cuiqve juribus deſcriptoqve regiminis modo; ſed paulatim ex degeneratione à ſtatu Monarchico morbisqve invaleſcentibus proveniſſe.* Ita ſcil. ille dicit, qvumqve jam docuiſſet, ſtatum hunc, publicis hodie conſtitutionibus & conventionibus confirmatum, non amplius vitii vel παρεκβάσεως alicujus nomine venire poſſe, tandem concludit: *Germaniam Rempubl. irregularem eſſe, qvæ neqve Regnum, neqve ſyſtema ſociorum ſit, ſed aliqvid inter hæc duo interjectum, & de utroqve participans, de poſteriori tamen plus, qvam de priori.*

CXXIX.

*Mira ſententiarum divortia, audio: Tu verò in definienda Forma Reipubl. noſtræ cui aſtipularis ſententiæ?*

Aſtipulor ſententiæ receptæ, atqve non *puram* & *unam*, ſed *ex Monarchia & Ariſtocratia æqvaliter ferè*, ſi maxima Reipubl. negotia reſpiciantur, *contemperatam* pono *Reipubl. noſtræ formam.* Nempe *ne* ſumma unius poteſtas ad extrema degeneret, obex eſt Ariſtocratica libertas: ne verò hæc in effrenem eat licentiam, impedit illa.

CXXX.

*Ecqvem Scopum Reipubl. noſtræ eſſe putas?*

German. noſtræ Scopus non eſt plura qværere

rere variis ex caussis, sed tueri præsentia, & data, occasione recuperare amissa: qvod deliberatè, justè tamen facit.

CXXXI.

*Qvæ Ratio Status nostri est Imperii?*

Qvanto cum ardore ad extremum usqve halitum libertatem suam Germani propugnârint, ex omni Historia satis constat. *Prima* ergò *Germaniæ cura est: ut Principatum libertate Ordinum, libertatem vero Principatu temperet, ne in Principatu dominatus, in libertate nimia regnandi licentia reperiatur.*

CXXXII.

*Qvæ Leges fundamentales?*

Sunt (1) *Aurea Bulla*, (2) *Capitulationes*, (3) *Recessus Imperii*, (4) *Pax Religiosa*, (5) *Instrumentum Pacis*. Id namqve & ipsum qvod ad fundamentales Imperii leges referre debeat, ex *Instrumento Pacis Artic. 17. §. pro majori*, constat.

CXXXIII.

*Aurea Bulla unde dici sic meruit?*

Meruit sic dici ab *aureo sigillo*. Erat enim scripta in *Pergameno 24. fol.* transfixusqve iste liber habebatur cum filis sericis glauci & rubri coloris involatis, Bulla seu Sigillo aureo Imperiale appendente.

## CXXXIV.

### *Eam qvis promulgavit?*

Sanxit & promulgavit Auream Bullam *Carolus* IV. *Imp. in Comitiis Norimberg. Anno C. 1356.* ut esset ab illo tempore *perpetua lex Imp. sanctaq; & inviolabilis constitutio:* qvâ continerentur Privilegia, Libertates, Ordo & mutuus Respectus inter Imp. & Principes.

## CXXXV.

### *An Aurea Bulla in dubium unqvam vocari cœpit?*

Ita qvidem vult HORNIUS, dum tradit: *nostrâ memoriâ Auream Bullam in dubium fuisse vocatam, propter Controversias inter Electorem Palatinum & Bavariæ Ducem, qvæ finiri prius non potuerint, qvàm in Pacis Monaster. Instrum. octavus Electoratus institueretur.* Sed ego distingv. heic esse puto inter *mutationem totalem* & *partialem.* Aurea siqvidem Bulla si fortè mutata in Electorum numero fuit: nec tamen mutatio illa *totalis* est censenda.

## CXXXVI.

### *Qvæ Capitulationes sunt Imperatoris?*

Sunt, in qvibus promittitur à recens creatis Impp. *se nullum jus sibi suæve familiæ hæreditarium unqvam in Imperium arrogaturum; neqve qvicqvam unqvam contra Electionis & Electorum libertatem ac prærogativas atten-*

*attentaturum; nulli cuiqvam bellum facturum; nullum externum militem in German. ducturum; nulla labefacturum fœdera; nulla indicturum tributa; nullum Imperii Principem sua sententiâ proscripturum; sine cæterorum saltem Electorum assensu; imò & se velle, ut liberum sit Electoribus sine consensu Cæsaris Romanum Regem eligere.* Qvæ ultima clausula ideò est inserta: qvia *RUDOLPHUS* II. nunqvam pati voluerat: ut se vivo alius designaretur. A MATTHIA igitur clausulæ hujus factum initium.

CXXXVII.

*Regem Romanum qvem vocas?*

Regem Romanum voco: qvi vivo Imp. eligitur in spem successionis indubiam.

CXXXVIII.

*Qvæ discrimina sensibilia sunt inter Regem Romanum & Imp. Romanum?*

Discrimina apud *LIMN. T. I. Jur. publ. Rom. L. II. c. 15. p. 170.* sensibilia sunt hæc: (1) *Imperatoris insigne est Aqvila biceps, Regis simplex;* (2) *Imperator Bullâ, Rex Roman. Sigillô tantùm utitur;* (3) *Imperator vocatur Semper-Augustus, Rex tantùm Augustus;* (4) *Imp. Regem vocat tantùm* Ihre Liebden; *Rex Imperatorem,* Ihre Majestät/ *vel* Ihre Liebden und Majestät / vel etiam *Dominum suum.*

CXXXIX.

*Qvæ ac qvalis potestas s. jurisdictio est Regis Romani?*

Est *delegata*, non *ordinaria s. propria*: qvia, si Rex Rom. haberet jurisdictionem ordinariam, vivi Imperatoris imminueretur jurisdictio. Qvum tamen Electionis hujus finis non sit vivi Imperatoris potentiam imminuere; sed illam certæ tantùm personæ in antecessum delegare. Aliter verò Rex Rom. consideratur: qvi in casu vacantis Imperii eligitur, mox in Cæsarem promovendus. Hic enim à Cæsare non nisi nomine ferè differt: qvum qvi vivo Imp. eligitur, nihil ferè Imperatorium aut Regium facere possit, nisi ex commissione Imperatoris.

CXL.

*Qvi finis electi Romani est Regis?*

Est, ut (1) *evitetur Interregnum*: (2) *ut absente fortè Imp. sit, qvi vices ejus subeat.*

CXLI.

*Sed, ut redeam ad Capitulationes, qværo idem: annon potestati Imperatorum derogent?*

Subtiliter *LIMN.* distingvit *L. I. c. XI. n.101. seqqv.* inter *Imperatoriæ potestatis summitatem* & *plenitudinem*. Priori casu Capitulationes Imperatori nullo modo qvicqvam detrahere, dicit: qvum nemo superior sit Imperatore in Imperio. Posteriori verò casu, eam Capitula-

tio-

tionibus coarctari & obstringi, docet: qvum animum suum Electores declarent, qvod & qvantū imperii ei & in eum translatum velint.

CXLII.

*An & constans ac perpetua formari potest Capitulatio?*

E futuris id constabit temporibus: qvæ novas deproperant edere formas. Poterit interim *constans* vocari *qvoad jura Statuum:* qvæ ita relata esse debent in Capitulationem: ne aliqvid detrimenti patiantur.

CXLIII.

*Qvi ergo jus capitulandi propriè habent?*

Prætendunt id privativè qvoad alios Status Electores. Sed objiciunt reliqvi Status illa ex Instr. Cæsareo-Svec. formalia: *In proximis Comit. agatur de certa constantiâ Cæsarea Capitulat. concipienda.* Ex hoc patere ajunt Status: *jus concipiendæ Capitulationis competere etiam aliis Statibus, & qvidem conjunctim.*

CXLIV.

*Recessus Imperii qvid sunt?*

*Recessus Imperii*, Reichs-Abschiede/sunt communes Imperii, i. e. Imperatoris & Statuum, constitutiones, ad Imperii negotia spectantes, variis in Comitiis sancitæ. Continentur autem in his præter Leges fundamentales, multa qvoq;, qvæ privatorum negotia concernunt.

CXLV.

## CXLV.

### *Pace Religiosâ & Privilegiis Imperii qvot & qvænam Religiones hodie tolerantur?*

Tres in Imperio Religiones hodiè tolerantur: (1) *Evangelica*, qvam vulgò *Lutheranam* vocant: (2) *Romana*, qvam *Catholicam* appellant: (3) *Reformata*, qvam *Calvinianam* dicunt.

## CXLVI.

### *Qvæ Pax est illa Religiosa?*

Est, qvæ, ne Religionis causâ cuipiam lis moveretur, post *Transactionem Passaviensem* publicè in *Comitiis Augustanis Anno* 1555. sancita, confirmata, & demùm per *Instrumentum Pacis Artic. V.* uberiùs declarata.

## CXLVII.

### *Qvid per Instrumentum Pacis intelligis?*

Intelligo per id *Cæsareo-Svecicum Pacis Osnabrugo-Monaster. Anno 1648. factæ Tractatum*: qvi ipse præter *Proœmium* & *Epilogum* constat *Articulis* XVII. Exprimitur autem eorum Summa Versiculis seqq.

*Articulis septem & denis Pax Sveciæ constat:*
*PRIMUS amicitiæ conjungit fœdere partes:*
*Præteriti immemores vult læsos esse SECUNDUS:*
*Pristina restituit TERNUS sua jura cuiq;:*
*Enumerat QVARTUS speciales restituendos:*

*In*

*In Sacris QVINTUS conflata gravamina*
*solvit:*
*Helvetiis SEXTUS dat libertatis honorem:*
*SEPTIMUS in fœdus Calvinum Pacis ad-*
*optat:*
*Jura Politiæ Statibus BIS QVARTUS ad-*
*umbrat:*
*Flori restituit veteri commercia NONUS:*
*Bellorum DECIMUS partitur præmia Svecis:*
*Brandeburgiaco UNDECIMUS Pomerana*
*resarcit:*
*Mechlenburgiacis BIS SENUS adempta*
*rependit:*
*Brunswigum DECIMI demulcent munera*
*TERNI:*
*Dat Confessori DECIMUS solatia QVAR-*
*TUS:*
*Hassum TER QVINO placant & Clerus &*
*Hassus:*
*Arma BIS OCTONUS sistit Pacemq; reducit:*
*SEPTIMUS hanc firmat DECIMUS redditq;*
*perennem.*

CXLIIX.

*Ad dirimendas autem controversias forenses qvot & qvænam suprema Judicia nostrum habet Imperium?*

*Duo prætoria* ad dirimendas controversias forenses in Germania constituta habentur *Judicia. Judicium* nempe *Imperiale Aulicum* & *Camerale Spirense*: qvibus accedit *Rothweilen-*

*se*

ſe paulò inferius Judicium. *Illud* Viennæ eſt ab Anno ſuperioris Seculi 49. deqve Feudis Regalibus ac novis Vectigalibus, qvæ absqve Imp. & Elect. conſenſu ſecundum noviſſimam Imp. noſtri Capitul. inſtitui non poſſunt, excluſâ Camerâ tantùm judicat, ex utriusqve Relig. Perſonis conſtitutum. *Iſtud* Spiræ eſt, inq; Cauſſis illis, qvæ ad ipſum pertinent, æqvalem cum Imperat. poteſtatem habere à multis creditur. Ordinatur partim ab Imp. partim ab Elect. & reliqvis Imp. Statibus. Hoc in tractu Rothvvilano jurisdictionem, nec tamen univerſalem, exercet, à Conrado IV. Duce Svev. poſt Lothar. Sax. Rege Rom. Ao. 1147. creato, inſtitutum.

## CXLIX.

## *Qvis Cameram Imperialem, ſ. alterum illud ſupremum Dicaſterium, qvod Camerale vocant, inſtituit?*

Inſtituit id *Anno 1495. Maximilianus* I. & Spiram tranſtulit *Carolus* V. ut perpetua hæc ſedes Cameræ Imperialis eſſet, cum exceptione tamen certorum caſuum. Id autem factum circa *A. C. 1530* à qvo & tempore per totam Europam Camera Spirenſis celebrari cœpit, repræſentans *graviſſimum Juſtitiæ Conſilium*: ita ut non maximæ tantùm controverſiæ illius judicio ſubmittantur; ſed & ipſe Imperator judicem in cauſſis civilibus eam agnoſcat, idemqve ſe ipſum eò citet. Proſtant exempla paſſim,

ſim, ut: Wir Maximilian / erwehlter Römiſcher Käiſer / entbieten dir Maximilian Ertz-Hertzogen zu Oeſterreich &c.

CL.

*Qvæ Prætenſiones hodienum noſtri ſunt Imperii?*

Qvemadmodum Prætenſiones in multas Italiæ ditiones habet: ita in Pontificum qvoqve bona jus ſibi tribuit Imperium. Atqve adeò, omnes Romani Pontificis terras, ſaltem Italicas, limitibus Imperii comprehenſas eſſe, plurimi ſtatuunt. Qvid? qvod magnus ille JCtus *Anton. de Roſellis L. de Monarch.* ſcribere non dubitârit: *Pontificem in dictis bonis utile tantùm dominium jurisdictionis habere, qvum directum ſit penes Cæſares.* Prætendit & Imperium in Regnum Galliæ Arelatenſe. Undè & hujus reſpectu Archi-Epiſcopus Trevirenſis *ARCHI-CANCELLARIUS* vocatur *per Galliam* & *Regnum ARELATENSE.* In potiſſimam tandem Lotharingiæ partem jus aliqvod adhuc hodie prætendit Imperium, imprimis in ipſum Lotharingiæ Ducatum: qvum perpetuum ſuperioritatis exercitium in Ducatum hunc per 700. circiter annos Imperium deducat.

CLI.

*Qvos hoſtes præſentiſſimos Imperium noſtrum habet?*

Hoſtes Imperii Germanico-Rom. antiqvi erant (1) *Hungari*, qvi præcipuè Seculô IX. & X. uni-

universam Germaniam armis pervagati: (2) *Slavi*, iidem cum *Vandalis*, qvorum se Reges Ducesqve nominant Sveci ac Megapolitani: (3) *Normanni*, qvi ex Insulis Sveciæ & Daniæ potissimùm oriundi, Belgium, Angliam & Galliam, jam à primo Christi Seculo infestârant. Hodierni autem hostes sunt *Turcæ*: maximè postqvam *Neosolum* & *Varadinum*, claustra ac claves German. trans Danub. præterito bello Hungarico occupârunt.

CLII.

*Qvæ adversus incursiones hostium Claustra habet Imperium?*

Versus *Turciam* habet VIENNAM: versus *Poloniam* WRATISLAVIAM: versus *Daniam* HAMBURGUM & LUBECAM: versus *Belgium* COLONIAM AGRIPPINAM: versus *Galliam* ARGENTORATUM.

CLIII.

*Qvas habet vires?*

Qvantas copias Germania in aciem educere possit, inde apparet: qvòd Imperatori ultra ducentorum millium exercitum suppeditare possit. Et, si tantùm Cœnobiorum & Diœcesium ratio habeatur, illisqve Ecclesias parochiales addideris, qvilibet autem loc usunum suppeditet militem, vicies centies mille homines armatos in promptu facilè futuros esse, perhibent.

CLIV.

*Anne & potentiâ qvadam navali Imperium nostrum valet?*

Omnis

Omnis potentia navalis Germaniæ eſt penes *Civitates Hanſeaticas*, *Hamburgum* præprimis & *Lubecam*. Sed qvum præcipuus illarum civitatum ſcopus ſit *libera Mercatura*, navibus ſuis non pro Imperii German. ſed ſua ſalute ac commodo utuntur. Unde & eſt: qvod nunqvam Impp. Germaniæ aliqvid eximium mari potuerint efficere.

CLV.

*Ecqvod illuſtre ſibi ſignum noſtrum habet Imperium?*

Habet *Aqvilam*: qvam *auream* nonnulli exhibent. Et Jul. Cæſarem *auream Aqvilam in campo purpureo* habuiſſe, poſterioribus tamen temporibus candorem fulgoremqve Aqvilæ in nigrorem converſum fuiſſe, & hoc per Caroli M. ſucceſſores Francos, aut Germanos, cum adjectione aurei clypei & fulvi vexilli, factum eſſe, ferunt. Alii autem id à Julio Cæſare, vel Octaviano Auguſto, primò factum exiſtimant.

CLVI.

*Biceps autem per qvem Aqvila hæc fieri cœpit?*

Per *Conſtantinum M.* hujusmodi figuræ primordia data fuiſſe, nonnulli ſcribunt: ut Orientis & Occidentis Imperium deſignaret. Næ tali Signo Conſtantinopolitanos etiam Impp. uſos fuiſſe, ex eorum figuris, Nicephoro *Gregorâ* præfixis, *Marqvard. Freherus Not. in Petr. de Andlo L. 2. c. XIV.* demonſtrat. *Significabant* enim, inqvit ille, *Imperium ſuum in Europam & Aſi-*

*Asiam, Orientem & Occidentem, respicere.* Qvamvis idem signum in antiqvioribus etiam Rom. Impp. operibus absqve tali mysterio cernere liceat: ut è columna Antonini notavit *LIPS. in Analect. Milit. Rom. p. 111* hariolatus, legionem gemellam denotari per duas Aqvilas, in unam sic mixtas.

## CLVII.

### *Aqvila eadem qvare coronata habetur?*

Factum id ipsum esse, qvidam arbitrantur: qvòd soli Aqvilæ tanqvam avium cæterarum Regi corona debeatur: vel qvòd more antiqvo non solum Aqvilarum, sed etiam Leonum, Taurorum & aliorum animalium imagines, Coronâ adornatas, per Principes gestari invaluerit: vel etiam, ut sit certum præeminentis dignitatis Imperialis signum: qvalem scil. in mundo Cæsarea habet sublimitas.

## CLIIX.

### *Aqvilam eandem cur cernimus Crucem, Globo Imperiali insculptam pictamve, gestare?*

Et Imperatorem nostrum Orbis Dominum ac Christianum esse monstrat; qvum omnium Christianorum insigne crux sit: & Ecclesiæ Christianæ Tutorem, Advocatum & Defensorem eundem esse, satis arguit.

CLIX.

CLIX.

*Cur Aqvila Romana vocatur?*

Fit hoc, secundum qvorundam opinionem, tùm qvòd hodiè in locum Urbis Romanæ successerit Orbis Romanus, Romaq; non amplius Caput, sed pars sit Imperii Rom. adeoqve omnes, qvi in Imperio Rom. militant, ac si Romæ militarent, habendi sint: tum qvia populus Rom. idem dicendus, qvi olim fuit, qvanqvam accessione extraneorum mistus, mansitqve penes eum Imperium, tanqvam penes Corpus, in qvo esset & viveret.

CLX.

*Unde deniq; Imperium nostrum audit Sacrum?*

Accessit inter publicas formulas, inqve Stylo Curiæ, ceu loqvimur, authenticum id decus elogii solemnis Romano Imperio accrevit: ut jam à multis Seculis audiat SACRUM. Unde autem & cur fiat, alii alias exqvirunt, ac tradunt caussas. Multi à Religione, vel communiter vel singulariter, vel è libero & expedito judicio, vel ex studiô & commodô partium rationem arcessunt: qvia Imperiũ hoc à sanctissimo DEO prædictum, constitutum, & hucusqve servatum sit: qvia hoc Imperium Sanctum Sanctorum, i.e. Christum nascentem, complexu suo foverit, & ad judicium novissimum venientem deinde visurum sit: qvia Sanctæ Ecclesiæ Christianæ nobilissimam partem comprehendat: qvia ex sacro & civili ordi-

ordine corporis tanti compages aptata sit. Nolo addere, qvod & falsum & sanctimoniæ Imperii nostri haut rarò adversum fuit, ob sanctitatem Pontificis: qvem Verticem & caput Imperii *jactare* non verentur, qvi sanctum summumqve & unicum Caput Imperii Imperatorem venerari profano ausu dedignantur. Nonnulli deniqve, ad sonum vocis intenti, *sacrum* qv. magnum, aut venerabile, aut inviolabile Imperium interpretantur. Cujus generis plura apud *BESOLDUM* & *SPEIDELIUM* in *Lexicis Juris publici*, apud *LIMNÆUM* item, habemus. Aliter tamen *JOH. HENR. BOECLERUS*: qvi, ut *Dissertat.* de *Sacro Rom Imp.* Anno 1663. scriptâ, ante cætera tempus formulæ hujus, in usum publicum receptæ indagaret, operæ precium faciebat; si ex illius temporis conditione investigari aliqvid de consilio recipiendi posset. Ille siqvidem, ubi, Imperatorem nostrum rectè *Christianissimum* dici, superiori seculô *HENR. BEBALIUS* ap. *Schardium Tom. 1. p. 254.* demonstrasset, *dici & esse* vult *SACRUM Imperium*: cui *Christianissimum præsit Caput; cui & Christianitatis totius cura semper visa eximiè competere.* Addit: *SACRUM dici & esse Imperium, cui Ducatus in bello sacro, qvod Christianis adversus* ἀσπόνδους *Turcas perpetuum esse debebat, communi Christianorum gentium suffragiô deferatur.*

## Cap. II.

### De

# IMPERIO TURCICO.

### Erotema I.

*Qvod alterum Imperium magnum est Orbis hodie-Imperantis?*

Est IMPERIUM TURCICUM: qvippe qvod hodiè potentissimum maximeqve nobis formidabile. Est enim Germaniæ nostræ perqvàm vicinum. Ideoqve & ipsum statim post Germanico-Rom. Imperium poni debet, &, si non admodum planè ac plenè, confusè tamen, cognosci.

### II.

*Unde, & cur Turcicum hoc dicitur Imperium?*

Ita à *Gente* dicitur: cujus nomen ratione *originis* nonnihil obscurum: ratione *usus* non Persis minùs execrabile, qvàm hodiernis Muselmannis Imperii Osmannici exosum. A *Turcis* nimirum, qvi *Turckæ* olim & *Turchi* dicebantur, nomen suum *Turcicum* habet *Imperium:* eò qvòd non longè post ortum Islamismum in ipso Saracenico Imperio ita illi inclarescere cœperant, ut veteris Monarchiæ Saracenicæ vires penè æqvarent.

## III.

### *Qvo aliô illud venit nomine?*

Dicitur aliàs IMPERIUM MUHAMMEDANUM, à *Muhammede* nempe, insigni illo Arabum impostore: qvem non tantùm ut magnum Prophetam venerantur Turcæ; sed & universi terrarum Orbis Principem divinitùs constitutum esse credunt. Qvid? qvòd & illi credant, DEUM hunc rogasse, ut semper aliqvis esset, qvi ipsius in terris vice fungeretur.

## IV.

### *Muhammed qvalis vox, & qvid significat?*

Certè MUHAMMED, à qvo *Muhammedani*, & *Muhammedanum Imperium* dictum, illis meritò accensendus, qvi nominis qvidem præstantiâ cedunt nemini; at morum pravitate, vitæqve corruptione nulli sunt secundi. Est enim *Muhammed* vox Arabica, à Verbô חמד & per μετάθεσιν מחד *laudavit, gratias egit*, desumpta. Undè & Conjugatio secunda, sive Dagessata illa *Chammada*, significatione intensâ, *valdè celebravit*, significat. Atqve ab hâc Conjugatione ejusq; Participio passivo emergit מחמד *valdè celebratus*. Adeò ut vi Etymi Arabum מחמד idem prorsus sit ac Ebræum איש חמודות *Vir desideriorum, Dan. 10. v. 11.* Græcis Ἐράσμιος, Latinis *Desiderius*: qvod nomen Magni illius *Roterodami* fuit.

V. *Cu-*

V.

*Cujus Nationis Muhammed erat?*

Erat *natione Arabs*, è *Mecca* urbe Arabiæ desertæ oriundus. Qvæ ipsa urbs Arabibus Muhammedanis adeò sacra & venerabilis: ut ipsius caussâ nihil non velint. Tanti autem vel propterea faciunt hanc urbem: qvia (1) in ea Muhammed Pseudo-Propheta natus: qvia (2) in ea revelationum suarum partem accepisse se fuit mentitus Muhammed: (3) qvia locus ille à tempore Muhammedismi celebris ob peregrinationes religiosas esse cœpit, qvas instituebant Arabes. Accedit huc (4) magna templi Meccani Majestas & magnificentia: cui ipsum Hierosolymitanum templum volunt cedere.

VI.

*Cujus erat professionis?*

Erat *professione* sua *Pseudo Propheta*, annô ætatis 40. nova sua dogmata spargens: qvibus & mox magnam autoritatem, haud secus ac sibi ipsi, conciliavit. Nam (1) scenæ nôrat lepidè inservire: (2) colloqvia divina doctè mentiebatur: (3) arcanas ab Archangelo Gabriele revelationes eleganter jactabat.

VII.

*Qvam condidit sectam?*

Condidit *Muhammedismum*: qvi sic latè indè à primis suis incunabulis est grassatus: ut non Orientem modò, sed & Occidentis ali-

qvot plagas, qvod negat tamen *Bellarminus*, occupârit.

VIII.

*Qvo Anno Christi efflorescere cœpit Muhammedismus?*

Effloruisse maximè creditur *A. C. 622.* sua incrementa habens (1) ex Mamlucis, h. e. ære emptis, vel prœlio captis: (2) ex iis, qvi vi coguntur: (3) ex his, qvi sponte, vel spe lucri, vel servandæ vitæ, succumbunt: (4) ex decimis.

IX.

*Dic mihi jamnunc sodes, qvinam generalißimo Muhammedanorum nomine intelligantur?*

Intelliguntur hoc nomine: *qvotqvot Muhammedis*, Pseudo-Prophetæ illius & magni impostoris, *anilia commenta receperunt, legemq́; Alcorani, tanqvam cœlitus delapsam, honoribus proseqvuntur divinis.*

X.

*Qvo usitatißimô aliàs nomine innuuntur Muhammedani?*

Usitatissimè Arabibus מסלמין *Moslemin*, vulgò *Moslemanni*, nuncupantur, à Verbo Arab. סלם *salvus, incolumis fuit*, qvod in IV. Conjug. אסלם significatione mutata, est *credidit, fiduciam omnem in DEO collocavit.* Hinc, inqvam, in Participio pluraliter מסלמין *Moslemanni* dicti sunt: qv. *credentes, toto pectore DEO confidentes.* Qvid? qvod & ab eodem

dem Participio, in usum peculiarem à Pseudo-Propheta detorto, eodem sensu occurrat ipsum Præteritum אסלם פי אלדין *fidem Muhammedicam amplexus est.* Undè nomen אסלאם *Islamismus, Religio Muhammedica.* Et אהל אלאסלאם *populus Islamismi*, i.e. veræ & orthodoxæ fidei asseclæ. Sic autem dicuntur omnes Muhammedani per universum Orbem, atqve hâc voce à Christianis ac Judæis se segregant. Existimant enim, se solos esse *credentes* ac *fideles.* Unde & Christiani ac Judæi *Gauri* illis communiter, h. e. *infideles* & *increduli* dicuntur.

## XI.

### *E qvo fonte uberiorem tibi de Muhammede & Muhammedanis haurire licet notitiam?*

Haurire hanc ex *JOH. HENRICI HOTTINGERI Historia* licebit: qvippe qvæ è variis Orientalium Monumentis de *Muhammedismo* ejusqve *caussis*, imprimis de *Muhammede*, ejus *moribus, parentibus, patria, nativitate, educatione, Pseudo-Prophetia* &c. pluribus agit.

## XII.

### Redeo ad rem, & ex te in reditu meo qværo: *qvæ ac qvotnam Imperia Muhammedana se mutuò exceperint?*

Cumprimis *qvatuor* qv. *Imperia Muhammedana*

*dana* ſeſe mutuò exceperunt: ita qvidem, ut extincto uno, ſtatim enaſceretur alterum, idqve pari ſemper felicitate fieret.

## XIII.

### *Qvodnam primum Imperium eſt Muhammedanum?*

Eſt illud *Saracenorum*, ſ. *Agarenorum*, *Arabicum*. Arabes enim *Agareni*, vel, ut *Ptolemæus* ſcribit, *Agræi*, vaſtum illud Imperium Muhammedanorum fundârunt: qvod ſatis diu duravit per *CALIPHAS*, qvi ſedem ſuam collocârant in urbe *Bagdag*.

## XIV.

### *CALIPHA vi nominis ſui qvis eſt?*

Eſt idem ac *Vicarius Muhammedis*: vel plane ut inter Chriſtianos Pontifex Rom. *Succeſſorem ſeſe Petri*, imò & *Vicarium Dei* in his terris venditat. Unde & nos [illegible] gemine, qvàm Caliphæ illi Muhammedano Pontifex Rom.

## XV.

### *Primus ille Caliphatus qvamdiu duravit?*

Etiamſi primi illi Caliphæ perpetuâ ſibi ſucceſſione ſucceſſerint: captâ tamen urbe Bagdad, *primus Caliphatus* prorſus periit, qvem dicere poſſes *Agarenum* ſ. *Arabicum*. Deſiit autem ille per irruptiones Tartaricas, duce *Gingis Chan*, i.e. *Rege Regum*. Hic nempe, ante re-

te regnum occupatum dictus *Tamachin, Anno post natum Christum M C C.* & ita *ante 400. annos* primam fregit Caliphatum.

### XVI.

*Sed perge, & dic mihi, qvodnam secundum & tertium Imperium sit Muhammedanum?*

Qvum, extincto Caliphatu priori, paulò post similis Caliphatus in Asia minori emergeret, Imperium Muhammedanum successivè duplex esse cœpit: *Caliphatus* nempe *Togranus,* & *Caliphatus Aladinius.*

### XVII.

*Qvodnam qvartum Muhammedanum est Imperium?*

Est *Osmanicum:* qvod ab aliqvot jam seculis toti terrarum Orbi fuit formidabile. *Novum Constantinopolitanum* hodie dicerem: veluti Græcorum, qvod ante habuerunt, *Constantinopol. vetus,* Constantinopoli utrisqve sedem Imperialem præbente.

### XVIII.

*Unde verò Osmanicum dici meruit?*

Meruit sic dici à *conditore* suo *Osman* vel *Othman:* qvi, natione Turca, filius erat *Otrogoruli,* à contemptissimis operis ruralis molestiis in Asiæ min. partibus, ab Aladino Sultano concessis, ita emergens, ut ipse suam felicitatem soli acceptam ferendam videret Numini.

## XIX.

### *Osman ille vel Othman qvam condidit Familiam?*

Condidit ſuo nomine *Familiam Oſmanicam*, vel *Othomanicam* : qvæ nunqvam interruptâ ſerie nobis Imperatores dedit moribus ac inſtitutis diverſis, ſtudiô tamen dilatandi imperii pleroſqve avidiſſimos.

## XX.

### *Familia hæc qvod peculiare dedit Imperio Turcico nomen?*

Qvum in hunc usqve diem *Familia Oſmanica* Imperio præſit Turcico, *Domus* vel *Porta Oſmanica*, aliis *Ottomannica*, die Ottomannische Pforte/ vel etiam *Aula Porta* peculiariter vocari inde cœpit.

## XXI.

### *Oſman vel Othman ille qvô tempore peculiarem cœpit conſtituere Rempublicam?*

Qvum Majores Oſmani hujus, è Perſia in Aſiam à Tartaris expulſi, apud Sultanos Guniæ tantam jam obtinuiſſent gratiam, ut imperii conſeqvendi ſpem conciperent; ille tandem *A. C. 1300.* peculiarem cœpit Rempubl. ac potentiam in Aſia minori conſtituere, ſedem regiam ponens in urbe *Pruſa* ſ. *Burſia*, Bithyniæ ad montem Olympum urbe.

XXII.

*Sed qvâ terrarum parte Osmanidæ primùm potiri cœpêre?*

Cœperunt primùm potiri *Asia Minori*: qvam appellârunt *Natoliam*, à voce Gr. ἀνατολή. Ab hac, insto, voce Turci formârunt suam Natoliam: qvemadmodum Constantinopolim corruptè vocant *Stampol*.

XXIII.

*Qvò porrò Osmanidæ Turcicum propagarunt Imperium?*

Propagarunt illud deinde, trajecto Bosphoro Thracico, in *Thraciam*, sed Regni constitutâ *Adrianopoli*: demùm verò occuparunt etiam *Constantinopolim*, atqve eò sedem imperatoriam transtulerunt. Sic itaqve tres Osmanidæ habuerunt Sedes Imperatorias, *Bursiam*, *Adrianopolim*, *Constantinopolim*.

XXIV.

*Qvos ac qvantos Imperii fecêre progressus Osmanidæ?*

Tantos fecerunt progressus: ut non temerè reperias Familiam aliqvam in toto Orbe, qvæ adeò subitò & tàm firmum constituerit Imperium. Nempe nullus in Orbe Monarcha post Romanos fuit; qvi tot ditiones tam arcto temporis spatio suô imperio continuerit.

XXV.

*Qvam latè ergò patet Imperium Osmanidarum?*

In *Asia*, *Africa* & *Europa* latissimè patet. *Patet*, insto, *Imperium Turcicum hodiè per magnam Europæ, per magnam Africæ, per magnam Asiæ partem, à Danubio ad Tigrim, à Lybia ad Russiam usq; extensum*: ut non inveniatur Imperium, qvod cum hoc comparari possit. *Longitudo* igitur illis ab Ortu usqve ad Occasum, nempe *à Tigri* fluvio usqve ad *Golfum di Venetia* 600. milliaria Germ. à mari autem Persico usqve ad Regnum Tremisanum 800. milliaria complectitur. *Latitudo* circiter 640. hujusmodi milliaria continet.

## XXVI.

## *Qvæ caussæ tam feliciter ampliati Imperii Turcici?*

*Variæ* heic sunt caussæ; tùm *ratione Dei*, cujus est regna transferre; tùm *ratione ingratorum hominum*, qvi beneficiis creatoris abutuntur; tùm etiam ratione ipsorum *Turcarum*, qvi ad exeqvenda DEI judicia sub prætextu propagandæ religionis Islamicæ magno fervore rem sunt aggressi.

## XXVII.

## *Qvi fontes, è qvibus tam ampli Imperii notitia hauriri possit?*

De rebus Turcicis varios reperiri licet Scriptores, *Arabes*, *Græcos*, *Latinos*, *Germanicos*, & *aliarum* etiam *Gentium*: sed non omnes pari sunt Autoritate: nec ex omnibus ita bene omnia poterunt accipi. Interim, si qvis qvid accuratius velit legere, & qvidem in specie de *Imperio*

*Aga-*

*Agareno*, Historiam Saracenicam Venerabilis *GEORGII ELMACINI*, hactenus ἀνέκδοτον, adeat velim: cui Tit. *Historia Muselmannorum, inde à Muhammede, Abulkasemo ad Imperium Atabaceum, composita à SCHEICHO GEORGIO ELMACINO, filio Abuljaseri, Elamidi, filii Abulmocaremi, filii Abultaybi.* Prodiit hæc tandem è Codice Biblioth. Heidelberg. cum Versione Lat. *TH. ERPENII.* Scripsit enim Historiam suam *ELMACINUS* Arabicè: qvem & hominem Christianorum sacris imbutum fuisse, tutissimè *JOH. HENR. HOTTING. Biblioth. Orient. c. 2. p. 78.* ex Historia ejus V. T. colligit. Ibi siqvidem Oracula Prophetarum, Davidis cumprimis, de Deitate filii, æternitate, passione ac morte illius ad Messiam luculentissimè refert & applicat: qvæ omnia à Muhammedanis Scriptoribus nunqvam possunt sperari. Videtur tamen nimis blandè tractasse. Muhammedem ac Muhammedanos, forteqve calidioribus votis salutem eorum commendasse DEO, qvàm aperti illi hostes Christi, qvorum perniciosa religio è faucibus Orci eructata, mereantur. Inter *Græcos* cæteris *LAONIC. CHALCOCONDYLAS*, *Atheniensis*, est præferendus. Scripsit is *X. Libros de Orig. ac Reb. gest. Turcarum ab A. C. cIↃ CC XCIV. ad annum XIII. Mahometis I.* qvi est Annus Christi cIↃ CCCCLXII. Inter *Latinos*, qvi res Turcicas tradidêre, primas meritò tenet JOH. LEWENSLAVIUS s. LEON-

CLAVIUS. Is qvippe, cum Legato Cæsareo *Davide* Ungnade profectus Constantinopolim, summo ibi studio exactam rerum Turcicarum acqvisiverat notitiam. Qvo & ipso ille studiô effecit: ut, qvum aliàs valeret variâ doctrinâ, Libri ejus omnibus aliis sint præferendi. Edidit autem LEONCLAVIUS Scripta varia. Nam primò ille, *annô* nempe *88. super. Seculi*, SULTANORUN OTHOMANNICORUM edidit ANNALES, à *Turcis suâ lingvâ scriptos:* qvos ipse *Latinè* vertit, usus interprete Turcico Cæsareo. Annalibus hisce, qvi omnes versantur circa res Othomanicas tantùm, annexuit deinde *Supplementum* aliqvod de suo: & præterea insigne Opus sub Tit. PANDECTARUM HISTORIÆ TURCICÆ subjecit. Magni faciendum illud ab omnibus est: qvi ad accuratiorem rerum Turcicarum notitiam adspirant. Opus namqve satis amplum est, ac plura continet, qvibus illustrari Historia omnis & Descriptio Reipubl. Turcicæ potest. Idem LEONCLAVIUS posteà edidit *Anno super. Seculi 91.* HISTORIÆ MUSELMANNICÆ OPUS, admodùm rarum inventu. Fuit enim illud petitum ab omnibus gentibus, nec minus etiam ab omnibus, qvi paulò doctiores accuratiùs qvid de rebus Turcicis legere desiderârunt. Præter recensitos Rer. Turcic. Scriptores operam heic qvoqve locarunt JOH. BAPTISTA MONTALBANUS in *Rerum Turcicarum Commentario:* MICH. BAPSTIUS *&* MART. BARLET. in *trib. Chronicorum Turcic. Tom.*

AUGE-

AUGERIUS GISLEN. BUSBEQVIUS *in* IV. *Legat. Turcic. Epp.* CUSPINIANUS in *Libro de Turc. orig.* Magnum etiam nomen meretur *Descriptio Aulæ Turcic. & Othomanici Imp.* Autore ANT. GEUFRÆO, Eqvite Gallico. Edidit & egregiam singulari Opusculo *Rei Turcicæ Descriptionem* JOH. *de* LAET. Laudabiliter item de *Turcis horumq; vario Statu Politico*, de *Religione* illorum, nec minus de *Scholis* & *Studiis Turcarum*, deqve *Oeconomia illorum* JOH. HENR. HOTTING. P. III. *Compendii Theatri Orient. c.1. seqq.* differentem habemus. Habemus & diligentissimam Descriptionem Status Imperii Ottomannici: qvæ extat *Diar. Continuat. XXI. p. 2. seqq.*

## XXVIII.

## *Qvis scopus verò ac finis ejusdem est Reipubl. & qvomodo is se habet?*

Omnia si perscrutemur, haud difficulter nobis apparet: *regi omnem illam Rempublicam non ad utilitatem populi, sed omni ex parte ad utilitatem dominantis.* Ergo populi in vasto hoc imperio Turcico non habetur ratio, nisi saltem per Accidens. Et certè populi ibi miserrima est conditio. Licet enim aliqvis natus ex antiqvissima prosapia, & nobilissimo sit genere: nullo tamen habetur locô.

XXIX.

*In qvot Classes, ut melius pateat finis ac scopus Reipubl. Turc. incolas mihi dividis?*

In duas Classes illos divido: in *Turcarum* nempe *originariorum* Classem, & in Classem *reliqvorum, qvi bello victi.*

XXX.

*Qvi Turcæ sunt originarii?*

Pauci horum hodieqve supersunt in Asia Minori, & qvidem ad Pontum Euxinum: & Mare Caspium, qvâ parte est *Turkestan*, q. d. *Turcarum Patria.* Vixerunt hi olim in Tartaria & Persia: postea verò è Persia irruperunt in illas partes Asiæ, qvas hodienum tenent.

XXXI.

*Qvo loco illi habentur?*

Planè nullo habentur locô. Etiamsi enim major illis libertas concedatur: remoti tamen sunt ab omnibus & pacis & belli officiis. Nec ad ullum genus militiæ admoventur. Nullus siqvidem originarius Turca miles est gregarius. Ecce enim dedêre id operam Imperatores Turcici: ut redigerentur originarii Turcæ in mollitiem, & redderentur imbelles. Persvaserunt utiqve illis, posteaqvam Asiam Min. subegissent: ut imposterum domi otiosi desiderent: ita posse eos feliciter vivere, nec amplius ita debere vagari. Et verò Constantinopoli Comœdiis exagitari solent, ut rustici, & apud Græcos olim servi ex Gethis & Dacis.

Nem-

Nempe, si velint Turcæ exhibere personam effœminati ac mollis animi, Turcam exhibent originarium. Sic itaqve facilè apparet, illorum salutem planè non attendi in Imp. Turcico.

XXXII.

*Anne autem reliqvorum, qvi bello victi adsunt, salus qværitur?*

Qværitur *non per se, sed per accid.* Id qvod apparet: (1) *qvia Turca durissimis tributis omnes suos subditos, præter originarios Turcas, exhaurit:* (2) *qvia Turca, respectu propriæ utilitatis, solet interimere proprios fratres, & ita ne sangvini qvidem proprio parcere, ut tranqvillum habeat Imperium:* (3) *qvia Turca ita gerit Rempubl. ut non dubitet Christianis parentibus ipso facto eripere prolem masculam, & qvidem nunc qvinto, nunc sexto anno, nunc etiam, qvando ipsi lubet.* Solet autem hunc puerorum raptum instituere in Europa, non item in Asia; qvoniam existimat Europæos esse ingenio excelsiori, & ad labores militares magis aptos, Asiaticos verò molles.

XXXIII.

*His ultrò citroq; consideratis qvid apparet?*

Apparet jam: *Rempubl. Turcicam regi ad utilitatem dominantis, & planè ex hujus arbitrio omnia pendere.*

XXXIV.

## XXXIV.

### *Utilitas hæc qva in re creditur consistere?*

Creditur consistere in *lato imperio*. Tum enim demum Turcarum Imperator se credit felicem: si latè imperet. Sic igitur breviter rem possumus concipere: *Scopum Imp. Othomanici esse utilitatem dominantis, & utilitatem hanc consistere in lato Imperio.*

## XXXV.

### *Qvæ inde forma Reipubl. Turcicæ fluit?*

Qvod Rempubl. hanc & ipsam formam illius attinet: sciendum est, esse *Imperium Despoticum*, sive *planè absolutum*: qvod qvidem vel opponitur *Imperio legitimo*, vel pro *Monarchiâ* sumitur inter *Regnum & Tyrannidem mediâ*: qvam *Dominatum* vocant Politici. Est enim Imp. Turcarum absolutus Dominus, omnesqve ejus subditi pura puta sunt mancipia.

## XXXVI.

### *In qvibus partibus illud planè absolutum Imperium consistit?*

Consistit in his partibus: qvod (1) *nulla in Turcico Imperio celebrentur populi Comitia; sed omnia ex unius Imperatoris regantur imperio:* (2) *qvòd potestas belli & pacis & omnium fœderum sit in solius Imperatoris Turcici manu:* (3) *qvòd & in manu Imp. Turcici arbitrium bono-*

rum

*rum & vita subditorum.* Est enim Imperator Dominus necis & vitæ civium pro suo arbitrio: qvum ibi nullus instituatur processus judiciarius ordinarius. (4) *Qvod & curam religionis unus Imperator habeat:* dum se *Calipham* seu vicarium Muhammedis, nec minus etiam *Dominum Paradisi* vult nominari. Si qvis etiam videat *Magistratuum constitutionem*, hinc qvoqve purè absolutum ipsi apparebit Imperium. *Omnes* enim *Magistratus, majores & minores, ab uno dependent Imperatore.* Ille constituit *Bassas* per universum Imperium, & primarium Sacrorum sacerdotem, qvi dicitur *Mufti.* In universum Magistratus omnes, sacros ac profanos, pro arbitrio suo constituit Turca: imò habet eos loco servorum suorum, ut verè serviliter habeantur. Omnia deniqve *judicia autoritate Imperatoria constituuntur.*

## XXXVII.

### *Attamen qvid est, qvod summam illam Imperatoris Turcici potestatem qvodammodo restringat?*

Restringit qvodammodo potestatem Turc. hoc: *qvod è legis suæ præscripto Imperator Turcicus nullâ aliâ, qvàm Turcicâ, Lingvâ uti qveat.* Et ex Historiis præterea liqvet: *Janizaros sæpius Impp. Turcicos & deposuisse, & occidisse:* adeò ut hodiè, collapsâ Impp. Turcicorum autoritate, magna potestas in milite præsidiario sita sit.

XXXVIII.

## XXXVIII.

### *Qvos, rebus sic stantibus, Imperator Turcicus metuere tenetur?*

*Janizaros* potissimùm metuit Imperator Turcicus: qvum magnas illi turbas persæpe Imperatoribus excitârint: ut adeò miles Prætorianus hodiè in potestate suâ Imperatorem habeat: vel planè, ut olim in Rom. Imperio Cæsares ultimi in potestate sui erant militis.

## XXXIX.

### *Qvibus verò mediis tam conservat Imperium?*

Conservat id (1) *durâ sævitiâ.* Nulli enim heic parcitur Vezirio, Bassæ, aut Magistratui: sed omnes æqvè subjacent securi. (2) *Promptâ justitia:* qvæ non tam pertinet ad acceleranda supplicia, qvàm ad minimè permittendam æternitatem litium. Præstat enim heic injustè vinci, & causâ cadere, qvàm post seculum cum maximo bonorum detrimento vincere. (3) *Rigidâ à vino abstinentiâ:* utpote qvod & ipse Muhammed interdixit Turcis. (4) *Fratrum cæde.* (5) *Bellorum continuatione:* qvæ vel cum Persis, vel cum Hungaris geruntur. (6) *Terrarum vastitate ac solitudine.*

## XL.

### *Provinciæ præprimis qvô freno tenentur, ne excutiant jugum?*

*Validis* tenentur *præsidiis.* Qvum enim populus inermis sit, solus miles armatus est.

Præ-

Præterea *miles ſæpe mutatur*: ne conjurare poſſit. Ne Baſſæ qvoqve aliqvid Reipubl. huic incommodi aſpergant, mutantur ſæpenumerò. Neqve adeò abſolutum ipſis conceditur imperium. Qvos in Aſia Sectæ Perſicæ & novis rebus ſtudere putat Imperator, valido militum præſidio continere in officio ſolet. Deniqve, qvoniam Turca omnium per vim captarum provinciarum abſolutus eſt Dominus, veteribus incolis exiguam tantùm portionem agrorum relinqvit; reliqvam verò in *Timarias*, ſ. Commendaturas, qvas vocant, dividere ſolet. Has bene meritis militibus ea diſtribuit lege: ut certum illi eqvorum numerum, qvi mirâ celeritate præſtò eſſe ſolet, ad bellum mittant.

## XLI.

## *Qvæ Arcana Imperii Turcici eſſe noſti?*

*Arcana* hujus *Imperii* ſunt: (1) *nunqvam à bello, nunqvam à violentâ gubernatione ceſſare:* (2) *magno metu & magna ſuperſtitione populum tenere:* (3) *hæredes Imperii arctâ cuſtodiâ, ne qvid novi moliantur, concludere, imò & de vitâ hos tollere:* (4) *magna Baſſis & Veziris donorum ſimulacra relinqvere, eosq́ affinitatibus decorare:* (5) *præſidia crebro mutare:* (6) *plebem mercaturâ, Janizaros armis, Magnates bello exercere, &c.*

XLII.

## XLII.

### *In qvot ac qvibusnam urbibus nervus Turcici consistit Imperii?*

Consistit in qvatuor amplissimis urbibus, *Constantinopoli* Thraciæ; *Aleppo* Syriæ; *Alcabirâ* Ægypti; & *Bagdad* Babylon. urbe. Additur his qvinta, nempe *Damascus*, urbs Syriæ.

## XLIII.

### *Qvæ Claustra Imperii hujus omnium firmissima?*

Qvâ parte Hellespontus, jam ab antiqvissimis temporibus celebris, (utpote per qvem navali ponte junctum terrestres copias traduxit Xerxes) est angustissimus, fuêre olim, & hodienum sunt, duo firmissima Claustra, *Sestus* & *Abydus*. Vulgò hodiè Claustra ista Imperii Turc. dicuntur *Dardanellæ*: suntqve hæ, qvarum freqventissima fit mentio in *Novellis*. Tenentur autem validis præsidiis à Turca: ne qvis hostis, impetu facto in Propontidem, ipsam Constantinopolim adeat. Sic itaqve prohibent eadem Claustra; *ne qvis hostis irrumpat in Propontidem Constantinopolim usq;*.

## XLIV.

### *Qvantæ opes Imperii sunt Turcici?*

Immensæ opes ac divitiæ sunt: qvas Turca sibi è tot ditissimarum Provinciarum possessione acqvirit ac colligit. *Duo* autem *Æraria* ipsum habere dicunt: *peregrinum* nempe, & *dome-*

*domesticum*. Illud XV. milliones annuorum redituum habere traditur: hoc verò immensos continet thesauros. Eoqve pertinent omnia munera: qvæ tàm ab exteris gentibus, qvàm ab incolis Imp. mitti solent. Nemini enim absqve donis in conspectum ipsius prodire permittitur. Accedunt & ingentia Christianorum Princip. dona. Non enim Moldaviæ solùm, Wallachiæ & Transylvaniæ Principes; sed Moscovitæ etiam, Tartari Præcopenses, aliiqve, magna in Turcam dona conferunt.

## XLV.

### *Qvæ ac qvantæ vires militares sunt Imperii Turcici?*

Sunt omninò satis validæ. Nam Imperator Turcicus centum qvadraginta qvinqve millia eqvitum, in Imperio descriptorum, tenet: qvibus annumerantur XV. millia Portæ (qvæ Aula Imperatoris dicitur, Turcis CAPI dicta) eqvitum. Hi soli ex Principis ærario (CASNA dicto) stipendia merentur. Arma illorum sunt hasta, scutum, arcus. In stipendiis suis omnes pacis ac belli temporibus ita detinentur: ut Imperator, bellum aliqvod suscepturus, nullos insolitos adaugere teneatur sumptus. Stipendiis præter Janizaros fruuntur nulli, ipsiqve duodecim millium numerum explent, vel etiam majori calculo absolvuntur. Maritimas qvod spectat vires: illis Imp. Turcicus præ reliqvis est instructissimus. Etenim in navali pugna habere solet plusqvam trecen-

ta

ta navigia actuaria: computatis XIV. onerariis, qvas *Maonas* vocant. In tanta verò navium & triremium copia remiges, nautæ ac milites reiq; nauticæ periti in pauco sunt numero. Qvare Turcæ etsi terrâ feroces ac bellicosi: mari tamen imbelles sunt, nihilqve curandi.

## XLVI.

### *Ingens potestatis Turcicæ fulcimen qvod est?*

Est hoc turba Janizarorum: qvi velut *Prætoriani milites* Dominum suum custodiâ circumdant, in subditos omni qvidem grassantes libidine. Crassiùs JAMZARI, optimè GENIZARI dicuntur: propriê *novi milites*, à *GENI novus*, & *ZERI*, *milites*. Sic dicunt *ZERIBASSA*, *Caput militum*, *Capitaneus*. Vitiosè igitur à *Janua* Latinorum alii vocem deducunt. Dicuntur autem *GENIZARI*, *novi milites*: qvia novum illud militiæ genus. Nam tale genus militiæ nunqvam antehac fuit usitatum, vel ap. Græcos, vel ap. Romanos, vel ap. ullum populum antiqvum. Nova ergò est ratio militiæ hujus: qvæ à Turcarum Imp. maximè in conservationem Imperatoriæ dignitatis ac personæ suæ introducta habetur.

## XLVII.

### *An autem Osmanidæ id militiæ genus, Janizaros puto, primi instituerunt?*

Non facilè hoc dixerim. Certum enim est: qvod

qvod fuerit ſimile qvoddam in Ægypto inſtitutum *Saladini*, potentis Monarchæ ſeculo XIII. per Syriam & Ægyptum. Similitudo tamen tantùm in hoc conſiſtit: *qvod in Janizarorum numerum nemo aſſumatur, niſi qvi natus Chriſtianis parentibus.* Saladinus verò utebatur iis: qvi non tam domi Chriſtianis parentibus nati, ſed vel peregrini, vel capti, vel empti. Qvæ *militia* deindè dici meruit *Mammelucorum*: qvod conſtaret è natis Chriſtianis, ſed ejuratâ Chriſtinâ religione, aſſumptaqve Muhammedanâ. Qvicqvid ſit: manet interim *Janizarorum militiæ* ratio planè nova, caretqve exemplo omnis ævi veteris. Undè & maximè nomen hoc meretur: ut *nova* dicatur *militia*. Etenim recentioris eſt inſtituti.

## XLVIII.

### *Janizarorum igitur militia unde ſumimitur, & ipſa augetur?*

Sumitur & augetur ex illis: qvi ex Chriſtianis Europæis nati & baptizati; ſed qvinto aut ſexto ætatis anno illis erepti, in Religione Muhammedanâ inſtituti, inqve militia exerciti habentur. Qvanqvam & in Janizarorum ordinem Turcarum liberi hodiè recipiantur. Narrarunt omninò nobis Novellæ non rarò, in fraudem Legis ſolere qvoqve Turcas baptizare ſuos liberos, & nonnihil in Chriſtiana Relig. inſtituere: ut viciſſim ad militiam Janizarorum rapi, atqve aditum aliqvem ad honores habere poſſint.

XLIX.

## XLIX.

## *Numne pro peregrina, an pro domestica malitia hæc est habenda?*

Si ipſam rem videamus, & paulò altiùs expendamus, fatendum omninò: *Janizarorum militem eſſe peregrinum.* Nam (1) miles ille prætorianus eripitur è ſinu parentum ſuorum: ita ut parentes vel cognatos planè ignoret, nec etiam hos curet. Qvando autem qvis exuit amorem patriæ & familiæ ſuæ, non alius eſt habendus ac peregrinus, ut in patriâ domô. (2) Miles ille eſt peregrinus: qvia electus ex illis, qvi Chriſtianis parentibus in Europa editi, iisdemqve è ſinu qv. erepti. (3) Accedit educatio ut hic miles ſit peregrinus. Nam, qvum eripitur Chriſtianis parentibus, mittitur in remotiſſima Aſiæ loca, ibidemq; diſcere cogitur religionem & ſacra Muhammedana, planè alii vitæ aſſveſcens. Aſiatici ſiqvidem mores à Turcis plurimùm ſunt diverſi. Accedit (4) qvod miles ille præmiis ita invitetur, ut planè omnem ſuam fortunam cogatur ſuſpendere ab arbitrio novi ſui Domini per qvem & poteſt ad magnos aſcendere honores. (5) Accedit & illud: qvod Janizarorum filii non admittantur ad militiam. Ideoqve non poſſunt dare liberis operam, ut ad dignitates emergant; ſed ſaltem, ut illis benè ſit. Præciſa ſcil. eſt omnis ſpes poſteritatis Janizaris: & reapſe cenſetur qv. cœlibes.

L.

L.

*Sufficiant, qvæ de Janizarorum militia dixisti : dicito nunc mihi, qvomodo omnis militia Turcica commodè possit dividi & subdividi?*

*Omnis militia*, qvâ nihil magis floret apud Turcas, dividi potest in *domesticam* & *auxiliarem*. Qvod AUXILIAREM attinet: Turca semper in promptu habet *Tartaros Præcopenses*. Aliorum auxiliis non admodum crebrò utitur: nisi qvum auxiliares copias è Christianis conscribit, qvæ vocantur *Asappi*, ac in bello præmittuntur: ut hostes primo impetu delassent. Maxima interim vis in milite est domestico. Et prudenter qvidem. Nam *omnis benè constituta Respublica non debet collocare vim in milite peregrino, sed domestico*. DOMESTICA verò *MILITIA* subdividitur *in classiariam* & *terrestrem*. *Classiaria* alia *magis* est *propria Imperio Turcico*, ita ut à nutu Imperatoris pendeat, habens sedem Constantinopoli: alia *naturam militiæ potiùs auxiliaris habet*, non ita à nutu stans Imp. Turcici: cujus generis *Classiaria Algiriorum*, *Tuniorum* & *Tripolitanorum* est *militia*. *Terrestris* seqvitur *militia*: qvæ commodè in *pedestrem* subdividitur, & *eqvestrem*. *Pedestris* iterum subdividi in *militem verum* potest, & *adjuvantem*. Maxima tamen vis militiæ pedestris est in *Janizaris*; de qvibus modò suprà. *Eqvestris* autem militia

ap. Turcam prævalet noſtræ. Apud Turcas enim longè major eqvitatus, qvàm peditatus. Igitur in eqvite maximum eſt robur. Nempe ut *Janizari* robur totius ſunt peditatus Turcici: ita *Spahi*, qvos vocant, totius eqvitatus. *Janizari* aluntur ſupra 12000: ſed *Spahi* ſupra 140000. Patet ergo Turcam ſemper paratum eſſe ad bellum milite proprio gerendum.

## LI.

## *Militia eqveſtris qvomodo maximè inſtituta habetur apud Turcam?*

*Ita inſtituta habetur: ut ſingulari ſtipendio ad illam alendam non ſit opus.* Imperator nempe magnam partem agrorum militibus veteranis conceſſit: ut ad vitam ex illis habeant uſum fructum. Propter hunc autem coguntur alere aliqvot eqvites. Nempe ut ap. nos Chriſtianos olim feuda concedebantur ad vitam, nec erant hæreditaria: ita ap. Turcas agri ſunt conceſſi tantùm ad vitam. Pro uſu fructu autem, ſi viſum Imperatori, coguntur militare. Dicuntur *Timariotæ*, ut ap. nos die Lehn-Pferde / oder Ritter-Pferde. Qvorum magnus in Aſia eſt numerus: qvia latiùs patet Imperium Turcæ in Aſia, qvàm in Europa. Sunt tamen & in Europa tales; ſed minori numerô. Ideò etiam cogitur Turca in Europa, ubi pugnandum contra Chriſtianos, plus peditum habere: qvum contra Perſam magis utatur eqvite. Atqve hâc ratione fit: ut Turca poſſit ingentem vim alere eqvitum nullo novo ſti-

vo ſtipendio. Qvoties enim *Timariotæ* prodeunt in aciem, proſpici tantùm iis debet à Turca de victu; non autem de magno ſtipendio.

LII.

*Claſſes præcipuæ Imperii Turcici qvot & qvænam?*

Sunt tres: (1) *Conſtantinopolitana*, qvæ, niſi cum Venetis bellum ſit, deſtinata ad conſervandas in fide Turcica Inſulas, & ad repellendas invaſiones Coſaccorum in Ponto Euxino. (2) *Africana*. (3) *Ægyptiaca*.

LIII.

*Miſſa militari Imperii Turcici potentiâ, ad Regimen tranſeo, & qværo; qvisnam poſt Imperatorem primô locô regat?*

Poſt Imperatorem primo loco Imperium *Magnus* regit SENATUS: qvi Turcicâ lingvâ dicitur DIVAN: forte ex Ebr. דִּין & דִּיוָן *judicium*. Unde בֵּית דִּין *Domus judicii, Curia, Conſiſtorium, Dicaſterium*, Turcicè, *Divan*, q. d. ſedem publicam Conſilii, ubi Baſſæ jus dicunt. Conſtituitur autem hic Senatus non alio niſi Imperatoris arbitrio ex unô Directore, qvi dicitur *Grand-Vezier*, & 8. vel etiam 10. Aſſeſſoribus, qvi *Vezires*, vel ètiam *Veſires*, vocantur. Atqve ſic omninò, qvum penes illum Senatum ferè maxima Imperii vis reſideat, Imperator *Primi-Veziris* conſilium &

consensum in majoris momenti casibus è consvetudine Regni adhibere solet. Tanta autem diligentia res in *Divano* peraguntur: ut negotia eodem ferè tempore consultationi subjiciantur, & executioni mandentur.

## LIV.

### *Post Vezires qvos magnæ item autoritatis in Divano esse putas?*

Sunt post Vezires magnâ autoritate *Beglerbegi*, h. e. Magistratus, qvi alicui provinciæ, tàm in militaribus, qvàm in civilibus rebus, præsunt: habentqve sub se suos *Sangiacos*, i. e. minorum urbium aut parvarum provinciarum Præsides. Præprimis autem plurimùm heic valent (1) *Rumeli Begler-Beg* s. *Græciæ*: (2) *Anatoli Begler-Beg* s. *Asiæ Min.* (3) *Deniri Begler-Beg* s. *Maris*: qvi & Turcis *Capitan Bassa* vocatur. Hi tres scil. cum Bassis, Veziribus, qvotiescunqve in Divanum veniunt, parem in sedendo honorem habent, ac dicuntur *Beglerbegi*, qv. *Ducum Duces* dicas: qvia multis Ducibus præsunt.

## LV.

### *Qvinam Turcis sunt Agæ?*

Sunt *Tribuni militiæ*: inter qvos primum meretur locum *Janizarorum Aga*, 12000. ferè militibus præfectus. *Agarum* autem qvidam 2000. qvidam 3000. tantùm militibus præsunt.

LVI.

LVI.

*Qvinam Bassæ?*

*Turcarum* ſunt *Principes:* qvi, qvanqvam dignitate Veziribus minores, ſemper tamen & ubiqve maximè ſunt conſpicui. Eſt autem numerus illorum numero Vezirium qvintuplo ſemper major.

LVII.

*Qvi illi ſunt Chiauſi ſ. Tzauſii, qvorum in Novellis hebdomad. crebra fit mentio?*

Sunt *Legati Turcici:* qvi per Provincias ac Præſides Imperatoris mandata perferunt, & executioni dari curant: qvi & ipſi Viennam ſæpius ablegantur. Non tamen ſunt primarii. Baſſa enim ſi ablegatur, non dicitur Chiaus: qvia hic inferioris eſt dignitatis, & poteſt etiam alicujus Baſſæ eſſe Legatus.

LVIII.

*Cadilesqviri qvi ſunt Turcis?*

Sunt *ſupremi* in *Eccleſiaſticis & Secularibus Judices*, iidem ac apud nos *Metropolitani:* ad qvos ſcil. à Judicibus provincialibus, qvos vocant *Cadis*, datur appellatio.

LIX.

*Qvis Mofti eſt, ſive Mufti?*

Qvod apud nos eſt *R. Pontifex*, id eſt ap. Turcas *Mofti.* Ita enim Theologorum ſuorum primicerium vocant. Eſtqve ille ſupremus ſacerdotum: cui & in communicatione Conſiliorum politicorum ſuus eſt locus. Re-

liqvi vel ſacerdotes, vel monachi ſunt: de qvorum vita & miraculis prodigioſa multa Turcæ comminiſcuntur.

LX.

*Noſtine & mihi jam Portæ Miniſtros juſto ordine ponere?*

Novi illos ita ordinare: ut *alii* ſint *intra Sarajum* (qva voce Domus Imperat. das Käyſerliche Schloß/ notatur) *alii extra Sarajum*: qvorum primarius ex Clericis *Muftius*. Huic proximi ſunt *tres ſupremi Judices*: poſteà *Veziri-Baſſæ*, modò plures, modò pauciores: *Primus-Vezir*: *tres Beglerbegi*, Græciæ, Aſiæ & Maris: *tres Diphterdarii*, i. e. Præfecti Ærarii: *Vice-Cancellarius*: *Aga* ſ: Tribuni, *Emir Halem*, ſ. ſupremus Vexillifer: *Tzaus-Baſſi*, ſ. Præfectus Tzauſiorum: qvi numero plus minus ſunt 700. cumqve Nobilibus Aulicis conferri ſolent. Deinde alii *belli*, alii *domi*: alii *ſacrorum*, alii *rerum publicarum* curam gerunt.

LXI.

*Porrò, qvæ fori eſt conſtitutio ap. Turcas?*

*Canones* ſuos, h. e. Leges, Judices habent, ad qvos ſeſe componant. Ut autem à corruptionibus ſe præbeant alienos, ampla habent ſtipendia. Sic & Urcham annonas ordinavit illis: ut à nemine qvicqvam æris exigerent.

LXII.

LXII.

*Judicia ergò qvomodo exercentur?*

Exercentur *rigidissimè* & *summariè.* Nec enim ibi populus fatigatur longis ac multis Processibus judiciariis: sed paratisma executione jus dicitur.

LXIII.

*Qvinam solent eligi Judices?*

Non alii, nisi *Muhammedani:* qvia (1) suæ Religionis hominibus honorem hunc habere volunt: (2) qvia multa secundum leges Muhammedanas decidenda veniunt.

LXIV.

*Sed qvæ caussa politica rigidi illius juris in foro Turcico?*

Fit rigor ille propter utilitatem dominantis. Hujus enim interest, si populum velit serviliter regere: ut jus rigidè dicatur, *&* ita populus ad obedientiam cogatur. Sic itaqve verè rigido obseqviô omnes suos Turcæ tenent subditos: nemoqve inter Turcas est, qvi propter hunc rigorem ausit reluctari.

LXV.

*Ad Religionem transeo, & qværo: qvis illius in Turcia sit Status?*

Qvanqvam præter Muhammedistas sub Turcico Imperio variæ sint Religiones, ut *Ne-*

*floriani*, *Armenii*, *Judæi*, *Pontificii* & *Græci*, qvi ipsi peculiarem habent, & à Romana diversam, Religionem, Caput Ecclesiæ suæ Patriarcham Constantinopol. agnoscentes: Turcæ tamen, ex qvo (factô initiô per Dacacum) Seculo XI. Muhammedismo nomen dederunt, hyperaspistæ illius esse cœperunt & vindices deinceps acerrimi. Deitatem Christi negitant: magnum tamen illum Prophetam esse asserunt. Unum tantùm prætereà DEUM agnoscunt, &, sicuti Judæi, circumcidi se curant.

## LXVI.

### *Qvodnam Corpus Doctrinæ suæ habent Turcæ?*

ALKORANUM habent: qvem ægrè tamen Turcica reperias Lingvâ. Voce Arabicâ *Muzhafum*, i.e. Librum, vocant, eundemqve, ut & ejus Scriptores, Lectores, Interpretes, magni æstimant. Ad varios & ipsi usus Alkoranum adhibent: qvumqve res graves aggrediuntur, sortem ex illo petunt. Doctores tamen & Interpretes Alkorani paucos habent, nudâ ferè explicatione contenti: qvanqvam & præter Alkoranum *Sunam* etiam admittant. Unde *Sunnitæ* κατ' ἐξοχὴν dicuntur.

## LXVII.

### *Alkoranus qvid nominis est?*

*Alkoranus* (qvo ipso scil. nomine *Lex Muhammedana* venit) vox purè est Arabica. Existimant

ſtimant autem nonnulli Alkoranum nomen hoc propterea accepiſſe: qvia Judæi qvoqve Legem ſuam ſ. V. T. nomine מִקְרָא ab eadem Rad. deſcendente, vocârint: eò qvòd lectione digna ſit Lex, ac in Eccleſia crebrò legatur. Qvæ qvidem notatio vocis qvamvis non malè convenire videatur Alkorano: Arabes tamen doctiſſimi pleriqve, teſtante *Viro CL. TH. ERPENIO*, ita dictum illum volunt à *collectione Suratarum*, h. e. *Capitum*, qvæ comprehendit. Atqve ſic omninò Liber hic nomen inde accepit: *qvòd ſit qv. lanx ſatura Præceptorum, à nobili impoſtore Muhammede compilata.*

## LXVIII.

## *Qvô aliô ille venit nomine?*

Alkoranus dicitur etiam *Al-Furkan*, vel, ut pro diverſitate aliarum Dialectorum legunt, *El-Forkan*: eò *qvòd malum à bono ſecernat.*

## LXIX.

## *Alkoranum qvis primus juris publici in Chriſtiano fecit orbe?*

Fecit hunc juris publici primus D. PETRUS, *Abbas Cluniacenſis*: deinde JOH. SEGEBIENSIS, qvi poſtea Cardinalis in Concil. Conſtant. creatus, Alkoranum, à ſe Latinè redditum, Notisqve illuſtratum, in uſum dedit publicum. Redditus & Liber hic, Lingva Arab. conſcriptus, Latine à ROBERTO RETENENSI ANGLIGENA: cui tamen parùm fidendum CALIXTUS in *D-*

*ſput. de vera Relig.* putat. Noviſſimè deniqve à DOMINO DU RYER è Lingva Arab. in Gallicam translatus habetur : qvam translationem maximi æſtimandam MOLTKENIUS *Annotat. ad Relig. Med. pag. 144.* cenſet.

LXX.

*Ad Imperatorem Turcicum redeo, inqve hoc reditu ſcire aveo:* qvo nomine Turcis ille veniat?

Imperatoribus Turcicis nomen proprium eſt *Chakan, Chacham, Cham, Chan*, communi ferè omnibus Orientalibus more, *Sultani* nomen etiam uſurpant: Sed eo modo, qvô Reges Hiſp. *Don* utuntur, utrumqve enim nomen omnibus dignitate præditis tribui ſolet.

LXXI.

*Qvid de Titulo Imp. Turcici ſingulare habes?*

Qvantum ad Titulum: hic certè ſummum faſtum ac ſuperbiam ſpirat. Turca enim ſe Regem Regum, Dominum omnium dominantium, Principem omnium Principum dicit.

LXXII.

*Qvod ſolemne illius eſt juramentum?*

Hoc eſſe ſolet : *Ego juro & promitto per magnum DEUM, qvi cœlum & terram creavit,*

*per*

*per animas 70. Prophetarum, per meam animam, per illam meorum Prædecessorum, me observaturum omnia capita fœderis & constitutæ amicitiæ in hanc usq; diem, & illa sacra & inviolata custoditurum, qvemadmodum signis meis declaravi.*

## LXXIII.

### *In qvæ verò qvàm maximè prætendit Jus hodiè Turcarum Imperator?*

Prætendit Turca, tanqvam Imperator Orientis Jus maximè in Occidentem, h. e. in Occidentale Imperium: qvod hodiè Germanico-Rom. vocatur. Asserit & ipse, occupatam à Republ. Veneta Insulam Corcyram ad se pertinere, ut *LARARUS SUPERANTIUS* in *Othomano* testatur. Vendicant & sibi Turcæ Provinciam *Diarbek:* qvæ ipsa Mesopotamia est, dubiæ tamen inter Persas & Turcas possessionis. In Moldaviam qvoqve, cujus Princeps Turcæ Tributarius, jus sibi arrogat. Cujus rei caussa videtur: qvod controversum tenus hac fuerit, an Ungariæ, an verò Poloniæ Provincia sit Moldavia. Wallachiam qvoqve sibi tribuunt Turcæ. Sub Casimiro enim III. Turcas in auxilium vocârat. Sed postea VVeivvoda Stephanus Polonis se commisit: ita ut per longum temporis spatium sub Polonorum tutela VVallachi fuerint. Hodiè verò Polonia cum prædictis provin-

ciis ſpem qvoqve eas recuperandi amiſiſſe, videtur.

## LXXIV.

### *Qvos vicinos deniqve habet, à qvibus potiſſimùm ſibi metuat Turca?*

In Europa non alios habet vicinos qvàm Chriſtianos. Et qvidem ex parte *Moſcum*, non adeò tamen vicinum: qvoniam inter illum & Turcam interſunt Tartari. Habet vicinum *Polonum*, & maximè Regnum Hungariæ. Habet in Dalmatia & Slavonia vicinos *Venetos*: qvi tamen montibus à Turcis ſunt diſtincti. Hos poſſident qvidem homines Chriſtiani: ſed ſunt prædones; qvorum ſæpe mentio fit in Novellis. In univerſum itaqve apparet, non temerè ſibi metuere Turcam à Chriſtianis. Singuli enim non valent eâ potentiâ, ut Turciæ poſſint eſſe formidabiles: niſi ſi excipias Polonos, ſi qvidem domi illi res compoſitas habeant. Et ſanè à nullo alio populo Turca magis infeſtatur, qvàm à Coſacis: qvanqvàm Turcis non adeò ſint vicini. Ab Imperatore noſtro, in qvantum Rex eſt Ungariæ, non eſt, qvòd ſibi metuat Turca. Nunqvam qvippe cum hoc bellum gerere ille poteſt offenſivum, ſed ſaltem defenſivum: qvum ſatis habeat ſua defendere. Qvod attinet partes Aſiaticas: ab Oriente unum habet Turca vicinum in Aſia *Perſam*, à qvo ſibi metuat. Nec enim magnus Mogul, aut alius qvis-

qvispiam Asiæ Princeps, Turcæ est vicinus. De Africâ qvid dicam? Habet in Ægypto Turca vicinum *Regem Abyssinæ*: qvi vulgò audit *Præco Johannes*. Sed nihil est, qvòd ab illo sibi metuat Turca. Sunt enim, vastæ solitudines inter utrumqve interpositæ Imperium: ita ut alter alteri, si maximè etiam velit, non multùm nocere possit. *Arabes* deinde, gentem vagabundam, habet vicinos. In Barbaria Tremisenum seu *Algiriense* & *Tunetanum* sunt in cultu qvidem Imperatoris Turcici: sed tanta tamen ibi illius non est autoritas. Solet qvidem eò mittere Bassas: sed sæpius in tumultu interficiuntur, ut milites & piratæ vim imperii ad se transferant. Regni interim Tunetani administratio discrepat ab Algiriano. Dictatorem enim seu *Day* habet: qvi Imperatòrem qvidem Turcicum & Bassam ejus aliqvantulum veneratur: ipse tamen pro lubitu omnia administrat. Tametsi autem ita non sint in pleno Turcarum imperio duo illa Regna: multùm tamen abest, ut periculum hinc crescere possit Turcæ. Nam propter piraticam illorum vim Turca potest esse securus. Supersunt tamen in Barbaria Regna Fessæ & Maroccæ, satis qvidem potentia: veruntamen nec illa qvicqvam contra Turcam audent. Sunt namq; ibi vastæ solitudines: qvæ omnem perimunt exercitum.

# CAPUT III.
# De IMPERIO RUSSICO,
## EROTEMA I.
### *Imperii Russici undè pleniorem haurire licet notitiam?*

DE Republ. hâc, qvalis est hodiè, duo extant *eximii Libelli, editi in Belgio*: qvi insigniter ejusdem Reipubl. possunt juvare notitiam. *Alter* prodiit ex *officinâ Elzivirianâ*: *alter* ex *officina Johannis Le Maire*. Continent hi utiqve Libri, qvæ *de Republ. Russica* sunt memoriæ prodita. Aliàs, qvi primus è Germanis nostris res Russorum descripsit, est *SIGISMUNDUS L. B. ab HERBERSTEIN*, vir doctissimus. Legatus ab Imperatore nostro missus ad Moscum, qvo tempore sæviebat ille in miseram Livoniam. Eminet & in rebus describendis Russicis *PAULUS ODERBORNIUS*: qvi ipse immanissimi illius Moscorum Tyranni, *JOH. BASILOVVITZ* s. *BASILIDIS*, vitam nobis edisseruit. Aulâ tamen illius peculiariter à *Philippo Pernisten*, Legato Imp. Maximil. II. in *Honorii Praxi Prudent. Polit. P. I. p. 280.* descriptâ. Complexus item VI. *Libris* bellum inter Stephanum Bathoræum & Joh. Basilidem est *REINH. HEIDENSTEINIUS*, & *Chronicon* *Mosco-*

*Moscoviticum* dedit nobis *P. PETREJUS*. Maximè autem è *Polonicis Scriptoribus* multa possunt in hanc rem peti. Nam ultra 100. annos maximum bellum inter Polonos fuit & Russos. Possunt etiam addi *Scriptores Svecici*. Nam & per 100. annos Sveci in Russia bellum gesserunt. Ex *Italis* notitiæ huic duo maximè inservire possunt Scriptores. Unus est *JOH. BOTERUS*: qvi haut indoctam *Relationem de Moscorum* edidit *Republ.* qvalis illa tum fuit, nempe *Anno 1590*. Alter, qvi non minorem laudem meretur, est *ANTON. POSSEVINUS*. Jesuita magni nominis: qvi superiori Seculô à Papâ R. missus Legatus ad Magnum Moscoviæ Ducem, sed legatione irritâ. Extat autem illius *Diatriba*, primùm Italicè scripta, deindè & Latinè reddita, *de Republ. Moscovit.* Inserta deniqve *Libello editionis Le Mairianæ de Rep. Moscovit.* habetur.

II.

*Imperium Russicum unde & cur audit vulgò Moscoviticum?*

Ita dicitur à celebratissima urbe ac Metropoli *Moscua*: à qvâ & ipsa M. Russia aliàs *Moscovia* dicitur.

III.

*Qvis situs Magnæ hujus est Russiæ & ejusdem vastitas?*

Est *ultima Europæarum Regionum*, Asiam attingens, & vastissima complectens spatia. *Longitudo* qvippe ejus 30. est Graduum, s. præter pro-

propter 450. mill. Germ. *latitudo* 16. Grad. qvi 240. mill. Germ. efficiunt.

IV.

*Qvis primus Russiæ conditor?*

Russiæ conditor è tribus fratribus, *ZECH*, *LECH* & *RUSS*, qvi origine fuêre è Dalmatia s. Slavonia, cum militari manu inde circa A. C. non 500. ut vult *HORNIUS*, sed 550. juxta *GVAGNINUM*, consentiente *CALVISIO*, in Sarmaticas Regiones profecti, fuit tertius ille *RUSS*, circa Moscoviam considens. Undè & Mosci à conditore suo *RUSSI* appellitari cœpêre.

V.

*Qvot generum Russia datur?*

*Datur trium generum, Alba, Rubra, Nigra*: qvæ nomen videntur à colore, qvô olim coloni usi, accepisse: nisi etiam priores discriminis causâ ita appellatas dixeris: ut à *Russia Nigra*, qvæ Moscovia, discernerentur. *Russia Alba* ad Magnum Lithuan. Ducatum pertinet. *Rubra*, aliàs *Roxolania*, & qvoad extimiores potissimùm oras *Ukreina* dicta, ab Austro Hung. Moldav. & Bessarabiam habet, ab Oriente Tartar. & Russ. Tractus, à Borea Russiam Albam, ab occasu Polon. minorem.

VI.

*Moscua qvando sedes Impp. Russ. facta?*

Adeò certum hoc non est. Anteà qvidem fuit *Lodomiria*. An verò Basilius, aut Daniel Micha-

Michaëlovvitz, ut *OLEARIUS* in *itinerar.* vult *Pers.* sedem ibi primus sumserit,

*Historici certant, & adhuc sub judice lis est.*

Certum interim hoc est: qvòd A. C 1571. urbs ista à Tartaris ex improviso capta & exusta fuerit, solâ Magni Ducis Regiâ exceptâ.

VII.

*Qvales olim Mosci fuêre, & qvis primus hos in libertatem asseruit?*

Fuêre olim *Tributarii Tartaris*: sed pertæsus injuriarum *JOH. BASILIDES*, s. *Basilowitz*, immanis iile ac sævus Tyrannus, obseqvium Tartaricum à se non modò removit: sed &, *Cassanense*, & *Astracanense*, Regna suis Provinciis vi armatâ Anno 1552. subjecit, ipseqve, omni ferè mari Caspio sui juris factô, imperium in Persiam usqve protulit.

VIII.

*Russiæ ergò Respubl. cur hodie Imperiis accensetur?*

Id fit vel ideò: *qvia Russia duo sub se comprehendit Regna Tartarica, Casan & Astracan.* Indeqve Magnus Dux à Mari Caspio ac Persarum finibus ad Oceanum usqve glacialem dominatur, omnibus illis Tartaris, qvi ad WOLGAM sunt, ad nutum parentibus.

IX.

*Qvem Scopum eadem sibi præfixum habet Respublica?*

Videtur illa pro Scopo habere *unius utilitatem*

*tem dominantis*; populi verò nonnisi per Accid. Primùm autem plebs ibi habetur nullo loco, & serviliter tractatur : qvod est indicium, *omnia* ibi *fieri in gratiam dominantis*. Deindè illi etiam, qvi sunt nobiliores, coguntur se abjicere ad pedes dominantis, & viliter habentur : ita qvidem, ut ipsi fateri cogantur, *se & omnia sua esse in arbitrio dominantis posita.*

X.

*Qvid apparet è dictis?*

Apparet, hanc *Rempubl. non esse ex optimis unam*: qvæ spectant utilitatem communem. Nam est planè alterius generis : qvum in ea subditorum ratio reverà non nisi per Accidens habeatur. Qvemadmodum servi alicujus ratio habetur nonnisi per Accidens. Debet qvidem illi prospici de victu & amictu : sed id fit non nisi per Accid. dum interim omnia ad utilitatem Domini diriguntur.

XI.

*Sed qvâ in re maxime commodum suum ponit Magnus Dux Moscoviæ?*

Videtur *CONRINGIO* dici posse: qvòd ille *utilitatem suam in magnâ ponat potentiâ: ponat & ipsam in lato imperio.* Extenduntur namqve fines Imperii hujus, admodum aucti hodiè & ampliati, Septentrionem versùs supra Circulum Arcticum & Oceanum usqve glacialem.

XII.

## *Qvæ Ratio Status in eadem est Republica?*

*Ratio Status* in Rep. Russica est (1) hæc: *ut Principp. & Magnatibus Aulicis*, tametsi plurima possideant prædia, & divitiis abundent, *non vivere ibi liceat*. Nam per *Præfectos* illa administranda sunt, &, ne qvid contra Ducem tentent, semper in aula versari coguntur. Deindè est & illa: *ut in Scholis planè non erudire liceat juventutem*: præterqvam qvod legere & scribere doceantur. Non vult scil. Dux Moscoviæ qvempiam inveniri è suis: qvi ipsum sapientiâ, aut rerum cognitione, superet. Sic igitur, maximi ad majestatem tuendam opinionemq; vulgi de se augendam momenti esse, ille sibi persvadet: ut de re aliqvâ *abstrusâ*, eam *solùm DEUM & Ducem suum scire*, dicant ac sentiant Subditi.

XIII.

## *Qvibus jam putas mediis Russicum conservari Imperium?*

Conservatur (1) *crassâ bonarum literarum ignorantiâ*. Sunt enim omnes Russi homines stupidi, artisqve ac scientiarum prorsus ignari. Nulla est ibi eruditio: nisi qvod Episcopi & Presbyteri paululum supra vulgus sapiant. (2) *Perpetuâ Religionis unitate*. Nullæ enim inter Russos sunt Sectæ. Idem omnes sentiunt ac credunt: nec ulli licet de Religione disputare. (3) *Severa peregrinationis prohibitione*.

Omni-

Omnibus qvippe Rusſis ſub capitis ſuppliciô interdictum: ne peregrinentur, aut finibus Imperii exeant.

XIV.

*Qvam mihi Ruſſ. Imperii formam heic è dictis elicis?*

*Forma* Imperii Rusſici *tota* eſt *Monarchica*, & ſimplici conſtat Monarchiâ. Imperat enim Monarchicè Ruſſorum Imperator, cunctaqve belli & pacis negotia è ſolius Magni Ducis nutu peraguntur. Atqve ſic omninò unus & ſimplex heic valet Imperatoris Dominatus, planè ejusdem generis cum illo, qvi in Turcia valet, aut qvi Ariſtot. ævo in tota valebat Perſiâ. Qvæ & Regna Ariſtot. dicit eſſe *Tyrannides*, ſed *legitimas*: qvoniam omnia ibi ſecundum Leges fiant. Breviter: *Deſpoticum Ruſſicum eſt Imperium*. Nam magnus Dux omnibus ſuis imperat velut Dominus ſervis, omnesqve Cives ejus ſunt velut ſervi. Fundamentum autem hujus rei ab indole gentis peti poſſe videtur: qvod aliter niſi abſolutè regi neſciant.

XV.

*Eſtne hæc ſervitus prorſus communis?*

*Communis* omninò eſt: qvum premantur à M. Duce omnes eâdem ſervitute. Interim tamen *aliqva libertatis ſpecies* eos demulcet. Plebeis enim hominibus licet bona ſua Teſtamento pro lubitu alteri conferre: Nobiles verò in conſilium adhibentur.

XVI.

*Atenim qvæ Consiliorum ratio ap. M. Ducem Russiæ in gravioribus obtinet negotiis?*

Conscribuntur à *Patriarcha Episcopi*, *Abbates* & *Monachi*: qvi ad diem Veneris (is enim dies arduis negotiis maximè impenditur) ad locum publicum sese recipiunt, & *Imperatorem* præstolantur. Eo accedente sese proripiunt, &, duobus digitis fronti ac genubus admotis, dextrum latus Principis osculantur. *Nobiles* interim in ambitu parietum conclavis sedent: postea qvidam ex *scribis* recitat, cur convocati fuerint, caussâqve expositâ petit consilium. Patriarcha respondet pro more: reponit Scriba: mox post brevem consultationem Patriarcha â Principe in conclave deducitur: qvorum sermonibus in seceto absolutis, totum negotium læto finitur convivio. Certum igitur est: qvod M. Moscoviæ Dux multa cum *Kneesiorum* & *Bojarorum*, f. Ducum & Baronum, voluntate peragere, inqve multis Patriarchæ suæ consilio parere soleat.

XVII.

*Qvomodo dividis mihi heic Regimen politicum?*

Divido id in *pacis* & *belli* negotia: qvæ omnia cum omnibus muniis à solo Imperatoris nutu dependent. Solet autem Provinciis suis (in has enim distinctum illud regimen) præficere aliqvem KNEES: qvæ vox est Slavon. & notat

notat *Ducem.* Unde & Moſci noſtri qvoqve Imperii Duces KNEESOS vocant : qvos Poloni WOIOWODAS vocant. His Kneeſis omnia parent in Provinciis : qvorum tamen munia non ſunt hæreditaria, nec durant ad vitam, ſed non niſi ad paucos annos, & qvamdiu M. Duci placet. Sunt itaqve illi KNEESI mobiles: qvamvis magnæ ſint autoritatis, qvoad regnant.

XVIII.

*Porrò, qvæ dicendi juris eſt ratio in Ruſſia?*

Jus in Rusſia dicitur non ſecundum Leges ſcriptas, qvæ nullæ ibi ſunt: ſed ſecundum conſvetudinem, aut ex æqvo & bono. Sunt ibi nulli longi Proceſſus judiciarii, ut ap. nos: ſed de ſimplici & plano proceditur.

XIX.

*Qvæ ratio adminiſtrandi Sacra eſt in Ruſſia?*

Qvia Sacris maximè ſtant Reſp. atqve his in officio continetur populus, ita illa curat adminiſtrari M. Dux Rusſiæ : ut omnia inſerviant ipſius dominatui. Antehac, qvum Religionem Chriſtianam primùm acciperent Rusſi, ſoliti ſunt accipere Patriarchas ſuos à Patriarcha Conſtantinopol. At verò cùm Moſcus videret ſuarum rerum intereſſe, ne aliundè adſciſceret Patriarcham, ipſe cœpit Patriarcham conſtituere è ſuô populo. Sic igitur curat Dux Rusſiæ res ſuas omnes adminiſtrari per

per Patriarcham: hunc & creat, &, qvando ipsi lubet, munere suo privat: qvod indicium est magni cujusdam dominatus. Sunt porrò Archi-Episcopi & Episcopi: qvi & ipsi omnes à nutu pendent Principis: ita ut creentur, & etiam à munere suo removeantur pro arbitrio M. Principis. Sub Episcopis sunt *Poppi* f. Presbyteri, qvi appellantur, Slavon. *POP*, die Papen. Possunt autem interdum vix legere & cantare. Ita scil. instituit M. Dux Russiæ sua Sacra, non ad erudiendum populum, sed ad suum confirmandum dominatum, prodesse hoc dominatui suo credens: si omnes, cùm clerici, tùm Laici, sint rudes.

## XX.

### *Qvæ Russorum est Religio, hujusq; præcipua ratio atq; status?*

Qvod ad *Religionem* attinet: *Russi* certè *professione* sunt *Christiani*. Sunt enim, ex qvo Græcorum operâ Christianismo nomen dedêre, communionis ac religionis Græcæ. Nam (1) *negant Spiritum S. à Filio procedere.* (2) *Purgatorium rejiciunt, sed pro mortuis orant.* (3) *Sanctos antè resurrectionem DEI visione frui non credunt.* (4) *In Sacramento Eucharistiæ pane fermentato & aqvâ calidâ cum vino misto utuntur.* (5) *Communicant sub utraq; specie.* (6) *Panem cum vino & aqvâ in calice miscent, & cochleari utrumq; distribuunt.* (7) *Pueros VII. annorum, utpote contra DEUM peccare incipientes,*

*tes, ad Communionem admittunt.* (8) *Confirmationem Episcopi omittunt.* (9) *Specialem extremæ unctionis gratiam negant.* (10) *Qvartum conjugium tanqvam illegitimum rejiciunt, secundum qvidem permittunt in totum, non tamen approbant: tertium non nisi urgentissimis de causis tolerant.* (11) *Divortia propter caussas leviculas admittunt.* (12) *Nec Diaconos, nec Sacerdotes, nisi uxoratos, ad ordines promovent: sed ordinatis ducere uxores non permittunt.* (13) *Imagines sculptas detestantur, pictas admittunt.* (14) *Jejunare die Sabbati non concedunt.* (15) *Nec vel de sangvine, vel de suffocato manducant.* (16) *Qvatuor in anno jejunia observant* (17) *Cum Ecclesia Romana non communicant: Evangelicos tamen, Lutheranos & Calvinianos, tolerant, ipsisqve templa concedunt.* Verbo dicam: *Conveniunt in omnibus cum Græcis: distributionem Eucharistiæ & exactionem conjugii à Presbyteris & Diaconis si exceperis* Sic itaqve, dum fidei Christianæ annumerantur Russi, sacras accipiunt literas, easqve legunt, & qvosdam è Patribus, lingvâ suâ versos, ut Chrysost. & cæteros, unà cum Scriptura venerantur, *Orientalis* seu *Græcæ Ecclesiæ Membra* sese vocitantes. Plebs interim ipsa adeò rudis in rebus ad religionem spectantibus: ut se, qvod Dux & Patriarcha credit, credere dicat.

XXI.

*Sed qvis Ducum primus Christianam accepit Religionem?*

Primus Religionem Christianam accepit *VVo-*

*VVolodimir*, poſtea *Baſilius* dictus, perqve totum ſuum regnum propagavit: qvod factum Anno 988. tempore *Ottonis III. Imp. R.*

XXII.

*Qvâ Lingvâ in templis ſuis utuntur Ruſſi?*

In templis utuntur *Lingva Slavonica*. Eadem qvoqve in communi obtinet converſatione, corrupta tamen & multis permiſta lingvis: ut ab ipſis difficillimè percipiatur Moſcovitis. Miſſam in *Lingva Moſcovitica* celebrant: qvæ triplo longior Romanâ. *Charactere* tamen *literarum ad imitationem Græcorum* utuntur: utpote cum qvibus multas literas communes habere videntur.

XXIII.

*Anne & Scholas ſuas habent Ruſſi?*

Habent qvidem *Scholas, ubi liberi illorum legere & ſcribere diſcunt*: ſed nulla habent Collegia & Academias. Undè & nihil imprimitur, niſi ſit in uſum Principis, nec alia reperitur Typographia, qvàm illa in *Sloboda Alexandriæ*. Si qvis verò ad altiora adſpirat, ſtatim in ſuſpicionem mali incurrit: eò qvod Dux neminem ſe ſapientiorem pati velit. Nemo proinde à Secretis, vel Cancellarius unqvam ad litteras peregrinorum Principum, aut Legatorum deſiderata reſpondet: verùm ea tantùm ſcribit & reſpondet, qvæ ſibi à Duce imperata ſunt.

XXIV.

*Qvem unum proinde pro erudito Capite Ruſſi venerantur in Civilibus?*

Pro erudito capite *unum* ſuum in *Civilibus* venerantur *Principem:* qvi inter alios titulos *ZAAR* dicitur, olim *VVelikikneeſa*, h.e. *M.Dux*, dictus.

XXV.

*ZAAR qvid eſt nominis?*

*Nomen* eſt *patriæ lingvæ.* Qvid autem ea vox ſignificet, de eo Eruditi dubitant. Videtur nonnullis nihil aliud ſignificare, qvam *Regem:* qvum & Davidem ſic vocitent. Alii vocem corruptam eſſe malunt, è voce *Cæſar:* qvemadmodum etiam Impp. Conſtantinopolitani dicebantur. Nempe, qvoniam titulum nullum eſſe majorem credidêre Duces Ruſſiæ, voluerunt fortè & ipſi *Cæſares Ruſſorum* dici. Voluerunt autem peculiariter dici *Cæſares Caſan & Aſtrachan:* qvæ duo Regna ſuperiori ſeculo Tartaris erepta.

XXVI.

*Qvibus ac qvantis M. Dux Ruſſiæ ſuperbit Titulis?*

*Magnis Titulis* ſeſe jactitant: qvi rerum hodie potiuntur in Ruſſia. Nec enim illis Majorum ſuorum Titulis ſunt contenti propter multas regiones, qvas ipſi in unum fecêre coaleſcere Corpus. Nempe qvum *VVolodimiri* poſteri vaſtam illam Rempubl. in varias partes divi-

divisissent, atqve tum varii *Kneesi* constituti essent, superiori seculò omnia *Kneesorum* familiâ partim emortuâ, partim etiam ferro extincta, in unum creverunt corpus.

## XXVII.

## *Qvo præ cæteris magno utitur Titulo?*

Utitur Titulo præcipuo hoc: der grosse Herr Zaar und Groß-Fürst N.N. aller Reussen Selbst-Erhalter / zu Uladimir / Moßkau / Neugard Zaar / Zaar zu Casan und Astrachan / Zaar zu Siberien: Herr zu Pleßkau / Groß-Fürst zu Eberski / &c.

## XXVIII.

## *Qvis primus voluit dici omnium Russorum Αὐτοκράτωρ, qvem vertunt* Selbsterhalter?

Primus ita dici voluit ad imitationem Impp. Græcorum *Basilii Pater, qvi vixit sub seculi XV. finem.* Hic qvippe Monarchiam agitaverat omnium Russorum, sed irrito eventu. Tenent enim Poloni magnam hodie partem Russiæ: tenent & Sveci illius partem. Qvare nec Sveci, nec Poloni Ducem volunt Russiæ appellari *omnium Russorum Imperatorem*: sed tantùm vocant *Russorum Imperatorem*, omissâ voce *omnium*.

## XXIX.

## *In sacris qvem Russi pro erudito Capite venerantur?*

Etiamſi *Patriarcham Conſtantinopolitanum* plurimùm venerentur: pro erudito tamen Capite in *Sacris* ſuis non alium niſi *peculiarem ſuum* venerantur *Patriarchām*. Is qvippe apud illos veluti *Papa* eſt, ſummâ pollens autoritate, maximumqve poſt Imperatorem honorem tantâ cum poteſtate obtinens, ut in Eccleſiaſticis qvædam mutare poſſit, nec à qvoqvam ipſi contradicatur.

## XXX.

### *Dum autem res regionis ac religionis in Ruſſicâ Rep. taliter ſe habent, ecqvando maxima hæc incrementa cepit?*

Factum id XIV. ſeculo ſub *Joh. Baſilide* ſ. *Iwan Baſiliwitz, Grutzdyn*, & filio ac ſucceſſore ipſius *Baſilio*, ante Imperium *Gabriel* vocato. *Ille qvippe univerſæ Ruſſ. Principem* ſe primus appellavit, *Magni* nomen ob id ſortitus, ipſeqve & Tartarorum jugum inſtinctu conjugis Sophiæ excuſſit. *Hic* verò Smolencenſem Principatum, & qvicqvid Siberienſis ditionis ſuper erat, Imperio adjecit ac *Zaarii* Tit. primus aſſumſit.

## XXXI.

### *Qvæs vires Imperium tunc acqviſivit ſibi Ruſſicum?*

Acqviſivit ſibi *vires* non *mediocres*. Eſt enim multorum ſententia: *qvod M. Dux Mo-*

*ſcoviæ ſpatio 40. dierum ducenta millia eqvitum & centum millia optimorum ſclopetariorum & arcus tendentium congregare poſſit.* Unde & nunqvam ille in caſtra, niſi ad minimum trecentis millibus militum, deſcendit. Utut autem populi ſatis ipſi ſit ad militiam apti (utpote qvum inediæ, laborum ac frigorum admodum ſit patiens) ratio tamen bellandi apud Ruſſos non eſt probata, (1) *qvoniam populus non eſt inſtitutus arte militari.* Neſcit ſcil. ordinem ſeqvi, vel ſigna ſervare: qvia potius incondita eſt ac inordinata multitudo. Deindè & propterea bellandi ratione parum valent Ruſſi: *qvia hactenus non ſatis armis fuêre inſtructi.* Habuerunt qvidem arma, ſed minus utilia, qvæ tamen emendari noſtro hoc ſeculo cœpêre: ubi mercatores fœda lucri cupiditas eò impulit, ut etiam contra Leges Imp. arma in Ruſſiam deferrent. Præcipuum interim Militiæ Ruſſicæ robur in *STRELICIS*, qvi *Sclopetarii* ſunt *pedites*, inqve Eqvitibus indigenis ac Ducibus exteris conſiſtit. Eqvites autem omnes ex nobilitate ſunt, ſive, ut ipſimet vocant, ex *Bojaris*: qvorum omninò ingens eſt numerus.

## XXXII.

### *Qvæ ac qvantæ opes Imperii ſunt Ruſſici?*

Ex ampliſſimis Regionibus, qvas tenet

Moscus, aliqvot Milliones qvotannis percipit auri. Percipit nempe ingentes pecunias tàm ex tributis, qvàm ex vectigalibus, mercaturis ac prædiis. Næ tantum pecuniæ è vectigalibus provenit Mosco, ut unum emporium S. Mich. Archangeli qvotannis 600000. Thaleros ærario inferre soleat.

## XXXIII.

### *Qvæ Munimenta Imperium habet Russiæ?*

*Sylvas* habet & *deserta*: qvibus limites maximè muniuntur magnæ Russiæ. Ita namqve est: qvòd extrema Imperii vacua colonis relinqvantur: ut terra, à cultu hominum deserta, sylvescat, densisqve arboribus & imperviis tesqvis defendatur, haud secus ac civitas aliqvo vallo.

## XXXIV.

### *Qvæ claustra idem habet Imperium?*

Versus Finlandiam & Sveciam *emporium* habet *S. Michaëlis Archangeli* (qvod inter præcipua munimenta Imperii Russici in Septentrione recensetur) & *Novagardiam Magnam.* Versus Poloniam est *Pleskow* & *Smolensko*: versus Tartariam est *Casan* & *Astrachan.*

XXXV.

## *Qvos deniq; hostes Russicum habet Imperium, à qvibus sibi maximè metuat?*

*Hostes* habet *Tartaros*, *Polonos*, *Svecos* & *Turcas*: in qvibus qvidem nulli infensiores, qvàm *Tartari*. *Crimæi* nempe *Tartari* perpetui Russorum sunt hostes. Etsi enim JOH. BASILIDES succisâ sylvâ aditum illis voluit præcludere: adhuc tamen è desertis Europæ & Asiæ annuas expeditiones in Moscoviam suscipiunt prædaturi, totamqve regionem celeritate eqvorum instar fulminis obruunt. Qvid? qvod & semper vereri cogatur Russus: ne *Astrachenses Tartari*, cum *Crimæis* conspiratione qvâdam facta (ut superiori qvidem anno contigit) impetum in se faciant. Opus igitur Russus perpetuô habet præsidio: qvod non nisi summis alitur impensis.

# CAP. IV.

## De IMPERIO PERSICO.

### EROTEMA I.

### *Qvid in genere de Persarum habes Historia?*

HOc in genere de eâ habeo: qvòd ita *perplexa sit & intricata*, ut ipsi etiam, qvi habentur in pertexenda Regum serie, πολλῶν ἀντάξιοι ἄλλων, inter se digladientur. Græci enim ab Ebræis, utriqve à Persis & Arabibus longè abeunt.

### II.

### *Unde Persici interim Imperii petere licet notitiam?*

Certè, etiamsi veteris illius Persiæ res, perplexæ satis & intricatæ, non adeò ad nos pertineant, pleniùs tamen è *tribus BARNABÆ BRISSONII de Regio Persarum Principatu Libris* cognoscere easdem licet. Ita namqve est: qvod *Lib. I. de regiâ majestate totoq; Persici Regni statu; Lib. II. de religione, legibus, moribus, institutis Persarum; Lib. III. de re militari eorundem* agatur. Cæteræ autem res, qvæ ad novum hoc Imperium Persicum pertinent, è variis peti possunt Monumentis. De Regi-

Regibus qvippe posterioribus prolixè, &, ut ajunt, ex professo SCHICKARDUS in *suo Taarich*, s. *Serie Regum Persiæ*, agit. Habemus & *Regum Persicorum Chronicon* è variis Autoribus, imprimis è P. TEXEIRA, *Lusitano*, diligentissimo ævi hujus Scriptore, qviqve multa ab ipsis accepit Persis, in *Archontologia Gothofredi Cosmica*. *Descriptionem* præterea *Reipublicæ Persicæ* egregiam satis JOH. DE LAET nobis dedit: qvem consulere heic operæ erit pretium. Omnium *optima* tamen *descriptio Persiæ* est: qvam AD. OLEARIUS dedit *L. V. Itinerarii Pers.* Plura hic liber continet egregia: ita ut in eodem omnia satis bene possint accipi. Qvum verò sint etiam nonnulli, qvi bella descripserunt, ab Ismaële ejusqve posteris cum Turciis aliisqve gesta, duo in his præcipuè eminent: P. PIZARUS, *Genuens.* qvi scripsit *de Bello Pers. Lib. XII.* & JOH. TH. MINADOUS, *Artis Med. in Sch. Patav. Prof.* qvi *Historiam Belli Turco-Pers.* inter *Amurathem III. & Persas* edidit. Ex utrisqve, ut & ex aliis, egregia congessit omnia, qvæ contigerunt post A.C. 1546 THUANUS: ita ut vel opus non sit alios consulere Duces, vel tantùm unicum *Thuanum*.

III.

## *Persicum Imperium undè sic dici meruit?*

Ut Turcicum, ita & Persicum à *Gente* dici cœpit: nempe à *Persis*. Etsi autem Persarum nomen usqve adeò antiqvum non videatur (in

Scriptoribus certè ſacris antè Captivitatem Babylonicam nulla eorum fit mentio; niſi qvod *Cuthæi* olim, Autore SAM. BOCHARTO *Phal. p. 254.* appellati fuerint) ſatis antiqvam tamen gentem illam eſſe, gentisq́; adminiſtrationem variam, extra omnem ponimus controverſiam.

## IV.
## *Qvo & aliô nomine Perſicum venire ſolet Imperium?*

REGNUM aliàs M. SOPHI dicitur: nempe ab *Iſmaële* qvodam, qvi, qvum per eundem mira Ali cultus ſuperiori ſecule ap. Perſas incrementa haberet, SOPHUS, SOPHINUS & ZOPHUS vulgò appellatur.

## V.
## *SOPHUS vel ZOPHUS qvæ ac qvalis vox?*

Qvia SOPHORUM nomen non tantùm ubiq́; obvium in Hiſtoriis, ſed & ipſe ISMAEL SOPHINUS per ora virûm volitat, non abs re fore JOH. HENR. HOTTINGERUS *L. II. Hiſt. Orient c. VI.* putat, ſi ipſa vocis ſignificatio excutiatur, & enucleetur. Ita autem CONSTANT. L' EMPEREUR *Not. ad Paraphr. Jach. in Dan. p. 25. de voce* SOPHI *vel* ZOPHI diſſerit: *Jachiadem nonnihil aberrare autumo, &* אשפים *potiùs eſſe* SOPHOS: *qvia hoc nomine notantur illi, qvi myſticè & allegoricè omnia in divinis explicant, & ita contemplationibus vacant. Sophos enim vox Arabica eſt.* Nam צוף *eſt* lana. *Unde* צוף

צורף lanâ tegere(*qvomodo veſtiuntur Sophi veſtitu laneo*) *vel etiam* ſimpliciter tegere: *unde &* divina ſimilitudinibus tegere. *Adeò ut* תצוריף *dicatur* Theologia myſtica. *Hinc Sophorum vox.* Ridiculus heic GENEBRARDUS eſt: qvi Sophos à שופט deducit. Alius: צופי *laneus & ſecta religioſorum* in Oriente, cujus Autor dicitur Ali: qvi abſtinentes à luxu, laneis tantùm veſtibus induti, in contemplationibus divini Amoris præcipuam Philoſophiam ponunt & exercent. Alii verò ab antiqvo Ægyptiorum nomine, qvod *Sapientiam* ſignificat, nomen habuiſſe ajunt, qvòd Græcis σοφία. Vocem à *lana* derivari, confirmat etiam LEUNCLAVIUS his verbis: *Ab Oſmanidis ei* (Iſmaëli) SOPHI *cognomentum &* Kiſelis Baſſæ *per ignominiam fuit inditum. Prius qvidem ab Arabica voce* צופי *qvæ* lanam *ſignificat. Nam qvum Muhammedani, & præſertim Oſmanidæ more veteri, Tulipanto lineo ſubtiliſſimi operis caput involvant, nova hæc ſecta præcipit inter alia, ut caput faſtu qvodam non lineis ejusmodi ſpiris ornent, ſed ut tegumenta capitum è lana non magni pretii conficiantur. Et qvia lineum hoc tegumentum, qvo præter aliorum Muhammedanorum utuntur morem, plicas habet duodecim, ab Arabica voce* אתני עשר *ſive* duodecim, *etiam* Ethaas Serlay *vocantur: deniq́, qvia tegmen hoc tantum rubro colore geſtare ſolent*, Kiſſelbaſſi lary, *veluti* Rubra Capita *audiunt.* Pro *religioſo* ſumi pro-

bat TEXEIRA, Scriptor in Hist. Pers. accuratissimus. *Qvia lingva Persica, inqvit, communiter* צופי *appellantur*, qvi relicto Seculo soli divino cultui vacant, *huic* (Aydari: patri Ismaëlis) *ob insignem religionis Zelum à suis datum fuit nomen. Paulò antè, ad eundem modum, in Persia res novas fuerat molitus Hhalila, qvi propterea qvoqve dictus fuerat* Sufy Hhalila: *ita ut* Sufy *non sit nomen proprium, aut Regum commune. sed Adjectivum. Nam nullus Rex post illum id nomen sibi sumsit. Sunt autem per Persiam plures* Sufy, i.e. *religiosi.*

VI.

*Imperium Persicum qvo Autore cœpit?*

Cœpit Autore *CYRO*, vulgoqve audit *Monarchia secunda.* Et revera Imperium fuit vastum. Pertigit ab Indis usqve in Ægyptum & Græciam: ita ut *Assyriorum* longè superarit *Imperium.*

VII.

*Qvæ verò olim Regiminis ratio?*

Ante ortum Agyrtæ (*Muhammedem* puto) Persarum *administratio regia* erat, adeoqve *Monarchica.*

VIII.

*Qvot & qvasnam Persici scriptores veterum Regum ostendunt familias?*

*Familias* ostendunt *qvatuor*: (1) BISDADÆORUM, qv. *abundantes justitiâ*, dicas, ex Arab.

Arab. בריש *multum* & דארן *justitia*: de qvibus *POCOK. Not. ad Hist. Arab. p. 75.* (2) *CAJAMIORUM*: qvorum ultimus *Darius*, ab Alexandro victus. Erant numero IX. qvorum nominibus præmitti solebat nomen כי *Magnus*. Hoc autem Epitheto Persas insigniri solitos, monet *PLUTARCHUS Tomo* II. *Opp. p. 545.* ut *Caikobad.* (3) *ASGANIDARUM*, à Patre *ASGAN* sic dominatorum. Familia hæc Reges habuit XXV. qvorum primus erat *Sapor*, ultimus *Bihram*, Bihrami I. filius. (4) *CHOSRAVVORUM*, appellatione communi, propriâ *Susanidarum*: qvorum Reges 31. inq; his primus *Ardeschir Babeganus*, Susani filius, ultimus *Jesdeschird*, cui à Muhammedanis oppresso ereptum imperium.

IX.

*Qvid in priscis suis illi ostendunt Regibus?*

In *Anuschano*, *Schimschido*, *Tumurato* antiqvitatem: in *Bihramo Schubui* fortitudinem: in *Nuschirwano* æqvitatem: in *posterioribus* successionem Salomonicam ostendunt, idqve sive ratione sedis regiæ *Schiraz*, i. e. Cyropolis, sive ratione vel Cyri ipsius, ex Ebr. matre geniti, vel Bahmani, matre conjugeqve Ebr. qvæ ad Davidem genus suum referebat.

X.

*Qvæ prior illa periodus fatalis Imperii est Persici?*

Est *hæc: qvum deleri per Alexandrum M. Im-*

*perium cœpit Persicum.* Is qvippe Persarum Regem Darium devicit: cum qvo etiam Persicum desiit Imperium. Ita autem illud tunc fuit destructum: ut amplitudinis veteris & gloriæ antiqvæ Persicæ ne qvidem vestigia hodiè supersint.

XI.

*Qvando renasci id cœpit?*

Denuò enatum habetur Anno post natum Christum 226. tempore *Aurelii Severi Alexandri Mammææ,* Duce Artaxerxe Persa. Hujus qvippe ea erat felicitas: ut Parthos omnes eorumqve fines sibi subjiceret, & Mesopotamiam ferè omnem sui faceret juris.

XII.

*Qvamdiu mansit hæc dignitas?*

Mansit, donec Muhammed Saracenus, qvi se Prophetam fecerat, A. post natum C. 622. novum qvoddam Imperium orsus est. Hujus qvippe proximi duo successores vastum Persarum Imperium, ultimo, qvi istorum temporum erat, Persarum Rege superato, ita fregerunt: ut ibidem novum, idqve Saracenorum, effloresceret Imperium, imò & nova religio.

XIII.

*Illi Muhammedis Successores qvo nomine dici meruêre?*

Dicti sunt *CALIPHÆ:* qvod & ipsum nomen idem est, ac *Imperator Catholicus:* qvemadmodum etiam Rex Hisp. hoc titulo & nomine gaudet. Nec autem hi tantùm sic dicti sunt;

ſunt; ſed etiam Pontificatus dignitate gaviſi fuere, hoc ſibi arrogantes olim, qvod hodiè ſibi Pontifex R. arrogat.

XIV.

*At verò qvæ Metropolis novi illius Imperii Saracenici erat?*

Erat Metropolis *BAGDAD*, è regione veteris Babyloniæ ſita, ad Tigridem amnem, è ruinis Seleuciæ & Babyloniæ extructa. Ideoqve etiam vulgò hodiè vocari ſolet Babylon: non tamen eſt Babylon. Feruntur autem ibi Babylonii ſuos olim habuiſſe hortos, à qvibus hodiè *Bagdad* dicitur, qv. *urbem hortorum* dicas: eſtqve illa ipſa urbs, de qvâ acerrima ſemper contentio inter Perſam eſt & Turcam.

XV.

*Imperium illud Saracenicum & Pontificiale, qvod Caliphatus nomine veniebat, qvando deſtrui cœpit, & à qvibus?*

Deſtructum habetur ſeculo poſt natum Chr. XIII. per *Tartaros*, & nominatim qvidem per *GINGIS CHAN*. Tartari nimirum rerum ibi potiri cœperunt. At verò iterum Tartaricum illud Imperium Seculo XIV. abiit in partes: qvum novum ſcil. Tartaricum Imperium enaſceretur circa A. C. 1388. Duce *TAMERLANE*: qvi pro ſede habuit *Samarkand*, in illa Tartariæ parte, qvæ mari adjacet Caſpio. Ille ſcil. univerſam Perſiam, Aſſyriam, Meſopotamiam

usq;

usqve ad Damascum Saracenis penitùs eripuit, novumqve sibi constituit Imperium, *Dominus* ob id *angulorum & climatum septem*, *Possessor maris & luti* s. *terræ*, *Victor Regum* & *Principum* consvescens appellari.

## XVI.

### *TAMERLANES ille qvo veriùs dicitur nomine?*

*TIMUR* vocatur accuratiùs scribentibus: qvem alii *Temur*, *Temir*, & *Temerlene*, (unde *Tamerlanes*) cumqve Imperii notâ *TemurChan* appellitant.

## XVII.

### *Qvibus nominibus appellatur à Muhammedanis?*

Ignominiosissimis ab his *Tamerlanes*, *GINGIS-CHANISMI* illud *fulcrum* & *columna*, appellatur nominibus. *SCHACH-MANZUR* eum Charegh, s. *Schismaticum* & *aversum à verâ Religione*, vocat. Aliàs dicitur *Oppressor*, *Infidelis*, *Dæmon*, *Portentum*, *Vipera*, *Claudus* & *Luxatus* Ghagatæus, *Tyrannus impius*, *infidelis*, *perfidus* & *dolosus* : *homo truculentus* & *vastator improbus*, Aldighal, i. e. *Antichristus*, cum qvo Gog & Magog, &c.

## XVIII.

### *Cur tam ignominiosè appellatur?*

*Qvia* partim *Muselmannos gravissimis ubiq; affecit suppliciis*; partim *exemplo suo GINGIS-CHANISMUM firmiter stabilivit*. Fatendum equi-

eqvidem hoc, Tamerlanem non facilè qvemqvam ſacra ſua deſerere coëgiſſe, vel tanto odio Muſelmannos proſecutum fuiſſe, ut hos tolerare planè noluerit. Qvis verò dubitet, Regis ad exemplum magnam partem compoſitum fuiſſe exercitum? Certè etſi multi *Gingis-Chaniſmo* aliàs aſſenſum nunqvam præbuiſſent, communem tamen caſtrorum ſortem declinare non poterant. Ne dicam, qvòd multi Muſelmanni metu, ſi non mortis, ſaltem infamiæ, *Religionem*, *Gingis-Chaniſmo* non adeò diſſimilem, mutârint. Atqve ſic omninò *GINGIS-CHANIMUS* cum ipſo Timuri ſ. Tamerlanis imperio miris modis creſcere, & tàm validè honorari cœpit, ut fidem penè ſuperet omnem.

XIX.

## *GINGIS-CHANISMUS qvid rei eſt?*

*Gingis-Chaniſmus*, qvi à *GINGIS-CHANO* dictus, *ſuperſtitio eſt longè lateq; patens, ex Islamiſmo qvidem mutuata & interpolata, eidem tamen, non ſecus ac Judaiſmus Samaritaniſmo, exoſa & infeſta.*

XX.

## *Tamerlanes interim qvæ maximè principiis Religionis hujus novæ curabat?*

Qvum *Gingis-Chanici* è præcipuis Religionis ſuæ Capp. (1) *aliqvam & DEI & providentiæ divinæ haberent notitiam*, (2) *Mesgidas precibus*

*cibus destinatas extruerent:* Tamerlanes utrumqve hoc qvàm maximè curabat. Is nempe & *DEO omnia sua accepta ferebat, & Cathedrale Samarkandæ templum splendidè è solido marmore erigi solebat.*

XXI.

*MESGIDÆ, qvarum jam mentionem faciebas, cujus Lingvæ sunt?*

*Mesgidæ*, qvas reverenter colunt Muhammedani, nec omnibus, non certè Christianis, aditum ad eas concedunt, nomen hoc suum Arabicæ debent Lingvæ. Nam מסגד Arabibus Τόπος est προσκυνήσεως propriè. Vulgò *Moscheas* vocant. Qvanqvam autem valdè à Muhammedanis præ aliis *Adrianopolitana, Nicena, Cordubensis, Damascena, Marocciensis* & *Tripolitana Mesgida* celebretur; *Thuman* tamen tanqvam templum Cathedrale à Mesgida, ceu minori, illi distingvunt. Imò & *Meccanum* ac *Hierosolymitanum Templum* præ Mesgidis omnibus magni faciunt, illud *Caabam* (vulgò *Kiabam*) Arabum more appellantes: qvod & catervatim Duce certo qvotannis visitare solent.

XXII.

Mitto Mesgisdas, deqꝫ *Tamerlane* qværo: *è qvâ Familia ille oriundus fuerit?*

Variant Autores in familia hujus asserenda. Qvidam, ut *CHALCOCONDYLAS, EGNATIUS* &

& *FULGOSUS*, plebejo genere natum eum è *Sangale* dicunt, & vel mulionem fuiſſe, vel paſtorem, vel latronem, & regnum Perſarum aſtu occupaſſe. *THUANUS L. 67.* eum ideò eſſe vocatum vult *Tamerlanem:* qvia, qvum aliàs *Tamer* diceretur, inqve Carmania operam in Schola daret literis, qvam Turci *Lanum* vocant, atqve à Condiſcipulis per luſum Rex eſſet electus, illa dignitate poſtea seriò uſus, regios animos ſumſerit, atqve *Tamerlanes*, qv. *Tamer è Schola* dici voluerit, contractisqve jam majoribus copiis, multos eorum, qvi tunc militabant Bajazethi, parva hæc initia improvidè contemnenti, bellum indixerit. Atverò rectiùs, qvem nos cum vulgò Tamerlanem dicimus, alii etiam *Teimurlang* q. d. *Teymur Claudum*, dicunt, Dux Samarkandæ ex horda Zagarai citra Caſpium mare ad Volgam creditur ac ſtatuitur, *decimus qvartus in hoc ordine ſucceſſor Gingis-Chani:* è cujus & ipſe ortus ſangvine.

## XXIII.

## *Qvo ille Arcano Politico in ſtabiliendo novo ſuo Imperio eſt uſus?*

Id unum dedit operam in ſtabiliendo novo Imperio è Politicorum Arcanis: *ne tam nobilem Tartarorum familiam, qvalis Gingis-Chani erat, exaſperaret, aut adverſantem ſuis conatibus haberet.* Qvapropter, qvum Vicarium Samarkandæ ſuum *Sebur Gademſch*, ex eadem oriundum tribu, prudenter conſtituiſſet, id facilè

obti-

obtinebat: ut, Imperio novo armis latè per terrarum Orbem extensô, Gingis-Chanidis satis esset, amisso Imperatoris axiomate, favore Tyranni ac beneficiis, honesta obire munia.

XXIV.

*Qvis proinde, qvalis ac qvantus ipse, rebus tam prudenter constitutis, evasit?*

*Terror* evasit & *fulmen totius Orientis*, famâ ipsius, ut olim, ita hodienum, universum terrarum Orbem pervagante. Qvanqvam autem illa non satis vulgò explorata, aut consertis Historiæ monumentis explanata: inter securiùs tamen accipientes tradentesqve citra discrimen odii studiive propagata habetur: præprimis ubi Anno cIↃ CCC LXIX. è patriâ egressus qvævis obvia torrentis instar prostravit, ipsumqve postea, Euphrate trajecto, Bajazethem, atroci pugnâ victum atqve aureis catenis vinctum, in ferreâ cavea ubiqve secum circumduxit.

XXV.

*Talia & alia qvamplurima de Tamerlane, cognitione dignissima, undè haurire licet?*

*Res Tamerlanis*, cognitione dignissimæ, non aliundè feliciùs, nisi ex iis hauriri monumentis possunt: qvæ auctoritatem præstare vel unicè, vel præcipuè possunt. Primus autem nominari heic debet *AHMEDUS*, *Arabschæ fil.* qvippe qvi *vitam Timuri & res gestas* ejus prolixis com-

complexus est Commentariis. Atqve hoc tantò melius poterat, qvantò plura vel ipse viderat, vel à præclaris viris acceperat. Floruit Anno Hegiræ 814. h. e. Chr. 1431. & deinceps hoc potissimùm Scripto & Speculo Ethico, cujus ipse meminit, inclarescens. Nec dubium est: qvin ab Arabibus potissimùm, qvorum delicias & amplissimos reclusit thesauros, magnam inierit gratiam. *Vix credo*, inqvit *JOH. HENR. HOTTING. Hist. Sacr. N. T. Sec. seu Cap. XV. Sect. I. p. 611. alium in Arabum Bibliothecis asservari Autorem, qvi Veneres Arabicas studiosiùs sectetur: adeò ut vel unus Ahmedus plus facessat negotii genuinum sensum eruturo, qvàm ipse Alkoranus.* Non malè proindè judicium suum de hoc Autore ejusqve stylo *Ep. valedictoriâ A. C. 1644.* vulgavit Amstelodani *LEV. VVARNERUS*. Ipsam verò *Ahmedi Historiam* edidit cum *Præfat. GOLIUS*, & *Latinè* ferè per per omnia d. l. descripsit *HOTTINGERUS*, paulò diligentiùs tamen, anteqvam ipsam Timuri Historiam aggrederetur, *qvô statu tum Arabum, tum cæterorum, qvos debellavit posteà Timuri vicinorum, fuerit imperium*, expendens. Cæterùm post *Arabschiadem* potissimum credendum hâc in parte videtur *JOH. SCHILTBERG.* qvippe qvi, infelici Sigismundi Regis expeditione adversus Bajazethen captus, occasionem nactus est Persiam Arabiamqve peragrandi, deqve his ipsis Timuri temporibus memoratu digna vernaculo sermone consignādi. Proximo jam ponendi sunt loco *Annales Sul-*

*tane-*

*tanorum Turc.* *qvos ab ipsis Turcis compositos, Latinè* ac *German. versos* LEONCLAV. typis commisit & explicavit. Nec contemnenda heic brevis Tamerlanis est προσωπογραφία, qvam *Archontol. Cosm.* nobis suppeditat. Qvid? qvod & *Timurum*, vulgò *Tamerlanem*, h. e. *Historiam illius*, è monumentis incorruptis à *JOH. HENR. BOECLERO excerptam in Dissertat. Academ. Vol. Num.* VIII. habeamus.

### XXVI.

### *A Tamerlanis verò Familia ad qvos transiisse putas Persicum Regimen?*

Qvum post variam regiminis Persici, è varietate fortunæ Saracenicæ enatam, rationem Persia tandem manibus Arabum erepta Tartaris, auspiciis Timuri s. Tamerlanis, cessisset: ab ejus familia per *Ismaëlem* qvendam ad *SOPHOS* s. *ZOPHÆOS*, h. e. *Muselmannos reformatos*, Scheich Haidaris & primam Harustis, novorum sacrorum Muhammedicorum Antistitum asseclas, transiit.

### XXVII.

### *Post totidem igitur fatales Periodos qvis pristino nitori suo Imperium Persicum restituit?*

Paulò antè nostra secula, A. nempe C. 1515. id summa fecit virtute *ISMAEL SOPHI, filius Siec* s. *Scheich Haidaris*, ex Ali Machometis genero oriundus: ex USUMCASSANIS (à magnitudine rerum gestarum ita dicti) filiâ Chairi-

de

de nepos : qvi post Patrem Siec Haidarem interemptum in Hircaniam confugerat, & passim locorum doctrinam de *mirâ vitæ Ali sanctitate* commendaverat. Is qvippe cum (1) è confluentibus undiqvaqve novæ doctrinæ sectatoribus justum collegisset exercitum; (2) civilibus Persarum usus dissidiis, expeditione in Armeniam, tanqvam paternum Regnum, factâ Alvvambecum acie congressus peremisset; (3) inde progressus in Mesopotamiam, Moratem in Arabiam fugasset; præterea (4) Babyloniam, Mesopotamiam & maximam Orientis partem occupasset, indeqve (5) mirâ armorum felicitate toti se Orienti formidabilem fecisset, *Protectoris rerum Ali* (à qvo & ipse originem ducebat) nomen atqve Titulum confidenter assumsit, atqve, pristinæ suæ gloriæ Persico Imperio restituto, augustissimæ *Familiæ Sophorum*, qvi hodienum continuâ successione rerum in Persia potiuntur, felicissimos dedit natales.

## XXVIII.

### *Intra qvos sic iterum annos suum caput extulit Imperium Persicum?*

Annorum, intra qvos tantùm caput suum extulit Persicum Imperium,

*qvantum lenta solent inter viburna cupressi*,

non adeò prolixus est decursus. Non enim longiùs tenus hac haut interruptâ serie, qvàm per annos præterpropter 160. floruit. Undè & omni-

omnino fit: ut Turca Persiam *OGLI SCHICH*, i. e. *novum Imperium*, vocitet.

XXIX.

*Qvæ Sedes novi hujus Imperii est Persici?*

Qvum Sedes Imperii olim esset *Bagdadum*: hodiè *Isphahan* est urbs æqvè amplissima ac florentissima. Elegit autem hanc, qvòd aër ibi esset temperatissimus, *Schah Abbas*: qvi omnia à Turcis recuperaverat, & successorem reliqverat nepotem suum *Schah Seffi*.

XXX.

*Abbas ille & ejus nepos Scheffi cum reliqvis Imperii Pers. Monarchis unde & cur hoc sibi hodie habent, ut dicantur SCHAH?*

Ita sanè hodiè omnis audit Imperator Persicus. Audit nempe *SCHAH*: qvæ vox est Persica, significans *Regem*. Nam qvod Arabibus est סלטאן *Sultaan*, & Tartaris חאן *Chaan*, hoc Persis est שאה *Schah*, i. e. Rex. Est autem primus, qvi factus *SCHAH Scheich Haidar*. Is qvippe, qvum ante esset *SCHEICH*, i. e. *homo sanctus*, ob insignem, qvam præ se ferebat, vitæ sanctimoniam, ex *SCHEICH* factus est *SCHAH*, i. e. *Rex magnus*.

XXXI.

*E voce SCHAH, qvæ & vulgò SCHACH legitur, qvinam Lusus aptum sibi trahit nomen?*

Natum

Natum ſibi nomen inde habet *Luſus latrunculorum*, qvem nos Germ. vocamus das Schachſpiel/ Latini *Ludum Schachicum*, q. d. *Ludum regium:* qvòd duo Reges in illo pugnent ludo.

## XXXII.

### *Ludus hic cui genti ſuos debet natales?*

Sunt, qvi faciant inventores hujus luſus INDOS: qvippe à qvibus Coſra, fil. Kobad, Perſa mutuò acceperit, & ad ſuos tranſtulerit. Rectiùs tamen ſentire mihi videntur illi: qvi *primas egregii hujus & verè regii luſus natales ipſis deferant Perſis*, idqve moti ὀνοματοθεσίας ratione: qvia luſus ille Autorem inventoremqve ſuum agnoſcit Philoſophum ac Mathemat. Perſicæ gentis nobiliſſimum nomine שטרנג *Schætrangha*. Is qvippe hoc ipſo luſus genere, ingenioſum ſimul & ἀξιοθέατον pugnæ cujusdam ſimulacrum exhibere voluit, ut ἀκριβεστάτως luſus illius gnaris indagando eluceſcit. Habetur ſanè in illo luſus genere, *Rex*, ipſis Perſis *Schah* dictus: unde Germ. Schachziehen. Latrunculus, occupans angulum illius tabulæ luſoriæ, audit voce Perſico-Arab. *Rocho*, der Roche / vulgò der Elephant. Cæterùm in luſu illo non adeò inſolentes audiuntur voces iſtæ שאה מאת *Schah mât*, Schachmat / *Rex perplexus ac turbatus eſt*. Qvum ſcil. nulla fugiendi ſpes reſtat, nullaqve

evadendi via superest, ut calculus ad extremum redactus perplexus qv. ac immobilis reddatur, tunc voces istæ Persicæ audiuntur. מאת *Mât* Persarum idem est, qvod *perplexum* ac *turbatum* esse. Neqve enim, ut accuratè satis observat *VVARNERUS Cent. Prov. Pers.31.* vel Arabum מת *mortuum est*, ut volunt alii, vel similis aliqva vox alia, huc accommodari debet. Nam si similitudo vocum attendenda solùm sit, qvid obstat, qvo minus valere heic possit Germanicum Matt, vel Græcorum μάταιος, vel etiam, qvod indè ortum, Italicum *Matto.* Veriùs igitur ut origo istius Iudi, sic & hoc Verbum Persis debetur.

XXXIII.

## Sed, missis ἀλλοτρίοις his, scire jam velim : *qvi fines ac termini hodie Imperii Persici?*

Imperium Persicum hodie qvidem à Septemtrione terminum agnoscit *Mare Hircanum* s. *Caspium*, ab utroqve Maris Caspii latere vicinos habens *Tartaros Usbeqvenses, & illos*, qvi dicuntur *Tartari Nagagenses.* Nempe à latere maris Caspii orientali terra est Tartarorum Usbeqv. qvi latè dominantur, & libertatem suam adversus Persas masculè defendunt: qvanqvam pars illorum, ad fluvium Oxum habitans, tributum hodiè pendat Persis. Ab altero verò latere *Tartari* sunt *Nagagenses*, imperio neqve Persico, neqve etiam Russico subjecti, sed

ſed medii inter Ruſſos & Perſas: qvâ & æmulatione ſuam conſervant libertatem. Ab Oriente *Oxo fluvio* terminatur, Regnum *Magni Mogulis* habens vicinum. A Meridie ad *Sinum* usqve *Perſicum* extenditur: Ab Occaſu *Euphrate* fluvio, qvi hodie *Moratſu* dicitur, terminatur. Latitudo à Septemtrione ad Meridiem, ſ. à Mari Caſpio ad Sinum Perſicum, 12. Æqvatoris gradus continet. Longitudo autem eſt ultra 20. gradus.

## XXXIV.

## *Annon paulò amplius ſuperiori Seculo Imperium fuit Perſicum?*

Fuit nonnihil amplius. Pertinebat enim huc etiam Meſopotamia: qvam occupârat Iſmaël Sophi, primus hodierni Imperii Perſici fundator. Atverò noſtro hoc ſeculo qvàm maximè in poteſtate eſt Turcarum, Turcâ Metropolim illius multis tenente præſidiis: pro qvâ tamen recuperandâ Perſa ingens ſæpius bellum moliri ſolet. Qvoniam enim ægerrimis id ferunt animis Perſæ, nunqvam non de recuperandâ Bagdad, ſ. Babylonia, ut vulgò dicitur, laborant.

## XXXV.

## *Qvæ provinciæ tamen hodierni Imperii ſunt Perſici?*

Imperium Perſicum, etiamſi à multis perqvam excelſis montibus ſit diſtrictum, à parte Septentrionali montem habens *Taurum*, qvi

magnam terræ hujus partem occupat; hodiè tamen id in regiones 20. præterpropter distingvi solet. Dividi aliàs svevit in *Satrapias* 70. *Satrapia* est à *Satrapa*: qvæ vox vetus est Persica, ipem significans, ac apud Turcas *Bassa*. Qvum autem hodie non amplius vox sit in usu, qvi olim Satrapæ, hodiè voce Tartarica appellantur *CHANES*. Qvoniam enim satis diu Tartari has tenuerunt Regiones, manserunt qvoqve multa ibi vocabula Tartarica.

## XXXVI.
### *Per qvos administrat Persa totidem Provincias?*

Administrat eas per suos illos *CHANES*, h. e. *Principes*: qvi qvidem non sunt hæreditarii, sed mobiles ad arbitrium summi Principis. Ita enim sunt constituti, ut qvotannis mutari possint: imò qvotiescunqve Regi fuerit libitum.

## XXXVII.
### *Qvis scopus Imperii est Persici?*

Expendenti omnia, qvæ occurrunt in Rep. illa, videtur afferendum: qvòd *regimen illud instituatur ad utilitatem dominantis maximè, ita tamen, ut habeatur longè major ratio populi, qvàm in Rep. M. Mogulis, aut etiam Rebuspubl. aliis:* ubi unius spectatur dominantis utilitas.

XXXVIII.

## XXXVIII.

### *Qvid ergò diverſitatis qvoad ſcopum à reliqvis Muhammedan. Regnis ac Imperiis habet?*

In hoc diverſum eſt Imperium Perſicum à reliqvis Orientis Imperiis: *qvod magis illis ſit Politicum, qvodq; potentia regia ad meliorem regulam politicam ſit exacta qvàm in aliis, Muhammed. ſectæ addictis, Regionibus.* In reliqvis ſanè RegnisReges Nobiles exterminant, mancipiorum contenti ſervitiô: fratres è medio auferunt, vel oculis privant. Contra ea verò Perſarum Reges humaniter tractant fratres: Nobilitatem magnifaciunt, & ſubditos mitiùs tractant: qvi tamen magnis muneribus Regem illiusqve miniſtros ſemper placare tenentur: ſi qvos negotiorum ſuorum ſperant ſucceſſus. Perſarum proinde Imperium mitioris genus eſt dominatus. Habetur enim populus Perſicus ſerviliter, ſed mitiori ſub jugo.

## XXXIX.

### *Qvam formam Reipubl. inde mihi elicis?*

Qvanqvam mitiùs habeantur in Perſico Imperio ſubditi: nec tamen forma ejus abit à communi Aſiaticarum gentium regimine. Nam & ibi plena obtinet Monarchia. Omnis ſane Majeſtas penes unum eſt Regem, & omnia majeſtatis jura ad illum pertinent. Habet ille ſolus jus belli & pacis: habet poteſtatem fe-

rendarum & abrogandarum legum: habet potestatem fœderum ineundorũ & rescindendorum: habet jus vitæ & necis in subditos: imò in ipsos Chanes, s. præstantissimos totius Persiæ, licet illi vel secundi ab ipso sint Rege: habet deniqve potestatem in omnia suorum civium bona. Manifestò hoc indicat, obtinere simplicem ibi Monarchiam: qvod regimen ut olim, ita hodienum commune omnibus Asiaticis gentibus.

XL.

*Qvid præcipuè de constitutione Magistratuum & Judiciorum heic loci habes?*

Hoc habeo præcipuum: *qvòd omnes Magistratus unus ac solus Persa constituat.* Constituit pro lubitu Satrapas, ut olim dicti, vel prout hodiè dicuntur, Chanes. *Omnia* etiam *judicia ab uno Rege dependent:* ille sententias judicum pro arbitratu potest mutare ac rescindere. Ut ita pateat: *plenam, non mistam, ibi obtinere Monarchiam, nec divisam ibi regni esse faciem, sed simplicem.*

XLI.

*Qvale Imperium hodie est Persicum?*

Ab *Ismaelis Sophi,* qvi Sophorum fundavit Familiam, temporibus in hunc usqve diem est *hæreditarium.* Qvum enim ille Persiam, expulsis Turcis, occupâsset, ac magna virtute ad Indos usqve propagâsset, ei filius Schah Thamas

mas, Thamaſo Iſmaël, filius ſecundò genitus, Iſmaëli Mahomet Codabenda, filius primogenitus, Mahometi Emir Hemſe filius, Emir Hemſe Schah Abbas frater, Schah Abbaſo Schah Seffi nepos ſucceſſit, ſucceſſore Regni Schah Abbaſo IIdo filio relicto, qvi hodieqve regnat.

XLII.

*Qvinam præcipui Miniſtri Aulici Imperii ſunt Perſici?*

Præcipui Miniſtri Aulici ſunt (1) *Eahtemad Dowlet*, h.e. Regni Cancellarius & Conſiliarius intimus, qvi eſt qv. *Vice-Rex*. Per hunc enim Perſa omnia in toto regno, qvando ipſe ejus non ita curam gerit, diſpenſat. Ideoqve Tit. *Pro-Regis* gaudet, proqve lubitu de rebus Imperii diſponit. (2) *Kurzibaſchi*, i. e. ſummus Præfectus 12000. ſagittariorum, pila & arcum gerentium, qvi paſſim per provincias habitant, libereqve vivunt: tempore autem belli ex omnibus regionibus convocantur, ac Regi militare coguntur. (3) *Mebeter*, ſ. ſupremus Cubicularius: qvi præſens Regi in omnibus conventibus tàm die qvàm nocte eſſe ſolet. Ideoqve in ædibus concubinarum excubat ſemper, majorisqve apud Regem illius non rarò ſermo eſt ponderis, qvàm Cancellarii ipſius.

XLIII.

*Qvæ hodierni regiminis Perſici eſt ratio?*

Haberi hoc poteſt è melioribus Itinerariis,

præſertim ex *OLEARIO:* utpote qvi Officialium ordinem copiosè deſcribit. Totius interim Perſiæ Provincias per Chanes, ut Turciæ per Baſſas, adminiſtrari, è ſuperioribus liqvet.

XLIV.

*Qvæ fori ſupremi ibidem eſt ratio?*

*Supremus* regionis *Judex* præſtò heic eſt, *Diwanbeki* dictus. Is in judiciis ad mortem damnatos vitâ exuit. Ipſi autem in judiciis *Seder* & *Kaſii* JCtorum nomine adſiſtunt. Cæterùm in foro plusqvam ſervilis obedientia præſtatur Regi: ut qvivis, licet innocentiſſimus, Regis tamen voluntate morti deſtinatus, non admodum refragetur, *Regis & DEI voluntatem fieri oportere*, dictitans.

XLV.

*Porrò qvos reditus Imperium habet Perſicum?*

Reditus habet annuos tam amplos & magnificos, ut ultra 8. Milliones Imperialium conficere dicantur. Non tantùm enim Provinciæ & Urbes maxima Tributa pendunt: ſed vectigalia qvoqve, qvoniam per Perſiam maximæ exercentur mercaturæ, immenſam pecuniam conficiunt: tum qvoqve ob Præfectorum dona, qvæ omnia ærario Principis inferuntur, qvod valdè eſt dives.

XLVI.

*Qvas vires illud habet militares?*

Tantas habet militares vires Perſa, ut educere

cere Eqvites 300000. pedites 400000. in aciem posse à nonnullis dicatur. Magis tamen in robore vires hujns Imp. qvam in multitudine hominum consistunt.

XLVII.

*Qvam verò rationem militiæ Persicæ esse nôsti?*

Novi hanc: qvòd (1) *Persa non habeat perpetuum militem præsidiarium*, ad modum Regni Turcici; qvod habet militem perpetuum præsidiarium *Janizaros*. Et verò videtur Persa veterem imitari morem. Constat enim ex *Herodiano*, Persas jam tum non habuisse militem perpetuum: sed, qvando res & occasio ferebat, militem lectum (einen Außschuß) è terris suis evocabant. Deinde & Ego hoc novi: *vim omnem militiæ in eqvite, non verò in pedite collocare Persam.* In numeroso videl. eqvitatu vires suas ponit Persa: qvod tamen illi non potest non esse periculosum. Eqvitatus enim non valet nisi in terris planis: in montanis verò, impeditis & asperis, ut terra qvidem est Persica, parùm valet eqves.

XLVIII.

*Qvotuplicem mihi constituis militem Persicum?*

*Militem* constituo *triplicem*. Primi vocantur *Turcomanni:* secundi *Corizzi* vel *Coridschi:* tertii sunt *Confœderati*, ut primi *Vasalli*, secundi *Auctorati*.

## XLIX.

### *In qvanam re præprimis Persarum consistit Politica?*

In eo præprimis consistit *Status* ap. Persas *Ratio*: ut (1) *se acerrimos hostes Omaristarum, Turcarum & Tartarorum, summos verò Alistarum defensores ostendant.* Ita enim omnes, qvi Religionem Alis per Imperium Turcarum sectantur, sibi conciliarunt. Amicitiam qvoqve & fœdus cum Christianis, maximè verò Moscovitis & Germanis, colere solent ad Turcicam potentiam ab omni latere coërcendam. Deindè, qvum ea Persarum sit ferocia, ut non nisi severo coërceri possint imperio, ideò cõservandi principatus sui rationem Persarum Rex putat, *si durissimis populum Legibus coërceat.* (3) *Bella non pro dilatando, sed conservando Imperio gerit:* qvum militia Persica ad longinqvas expeditiones non sit idonea. Qvum verò (4) *mari planè nullæ Persarum vires, Anglorum & Batavorum classibus adversus Turcas & Lusitanos utuntur.* Qvum (5) *merces mercatores commodè divendere non possint, Rex merces exoticas universas simul emit, inq; regno suo productas vendit, aut exportari curat magno suorum commodo.* Fit enim hoc pacto, ut subditis omnia necessaria optimè subministrentur.

L.

L.

## *Qvas Prætensiones Imperator habet Persicus?*

Prætendit ille hodiè in provinciam *Candahar* & *Herath*. Qvidam enim Chan ante annos non ita multos, metuens Regis Schah Seffi Tyrannidem, se & Provinciam Candahar in M. Mogulis potestatem ac tutelam dederat. Prætendit idem in Provinciam *Chorasan*, deqve illa cum Tartaris Usbeqvensibus contendit. Præprimis autem in urbem *Bagdad* s. *Babyloniam* justam prætendendi caussam habet. Etenim hanc ipsam urbem cum aliis qvibusdam locis Turca Imperio vi bellicâ eripuit Persico Unde & semper recuperare eandem Persa laborat, nonnunqvam ingentibus ab utraqve parte susceptis expeditionibus.

LI.

## *Qvinam hostes inde nasci Imperio cœpêre Persico?*

Nasci huic cœpêre ab utroqve Maris Caspii latere hostes *Tartari Usbeqvenses* & *Nagagenses*. A parte Orientali hostis ab Imperatore Persico habetur *M. Mogul*: qvanqvam neuter alteri aliqvid vi bellica eripere possit: qvum penè sint pares. A parte Australi hostes ante annos 60. præterpropter sibi habere qvoqve cœpit Persicum Imperium *Lusitanos*: utpote in qvorum manibus claustra Sinus Persici esse cœperant. Ab Occidentali deniqve parte hostem

omnium infensissimum ac perpetuum Persa habere cœpit *Turcam.*

## LII.

### *Quæ caussæ sunt potissimæ hostilitatis hujus ac perpetui dissidii?*

Qvanqvam caussæ possint dari variæ, præcipuæ tamen sunt (1) *religionis disparitas.* Etsi enim uterqve agnoscat Muhammedem Prophetam, Sectis tamen inter se differunt, indeqve se mutuò execrantur in Hæreticos. Floret nimirum ap. Persas *Secta Ali:* ap. Turcas *Hanifæorum Secta.* (2) *Potentiæ paritas.* Qvia enim Persa valet viribus, & ratione belligerandi par est Turcæ, ideoqve Turca perpetuum gerit bellum cum Persâ. Nec sic unqvam ferè qviescere Imperium potest Persicum: qvia inter potentes situm est hostes. Habet enim M. Mogulem, Tartaros & Turcas vicinos. *Omne* autem *regnum, vicinos habens potentes hostes, nusqvam tutò potest qviescere.* (3) *Locorum ereptio.* Eripuit enim vi belli Turca Persis non modò Urbem Bagdad, qvod ægerrimis illi vident oculis; verùm etiam sæpè occupata à Turca legitur urbs *Thaaris s. Ecbatana.* Qvæ loca dum semper recuperare laborant Persæ, perpetuum inde inter Persam & Turcam dissidium nascitur.

LIII.

LIII.

Supereſt, ut in hoc ipſo de *Statu Perſ. Politico* Qværſtionum decurſu, *de Statu jam Perſarum Eccleſiaſtico* ac *Scholaſtico* qværam. *Qvis ergò Status Perſarum eſt Eccleſiaſticus?*

*Varius* ille *eſt pro varietate ſeculorum.* Næ apertos veteres *Cuthæos* ſ. *Perſas* fuiſſe Heterolatras, ignis cumprimis cultui addictos, ex Hiſtoria Sacra, Eccleſiaſtica & Profana manifeſtum eſt. Præprimis autem, ut de Diis Perſarum in genere, ita de cultu ignis in ſpecie, eruditiſſimæ heic JULII CÆS. BULENGERI *Juliodun. ad Arnobium Eclogæ L. Imo Capp. IV. V. VI.* ſunt legendæ. Theologia interim veterum Perſarum Magia voce Perſicâ dici merebatur: qvæ tamen non diabolicas modò & illicitas Aſtrologiæ judiciariæ Artes; ſed & Scientias naturales notabat. Erant Magi hoc ſenſu Phyſici & Aſtronomi: è qvo ipſo ordine primitiæ Chriſtianiſmi ortæ. Undè & non pauci poſtea ſecuti Chriſto dederunt nomen. Muhammediſmi verò veneno vicino infecto Orbe, ipſa qvoqve ſtatim Perſia porrexit faſces. Mox tamen iterum Secta Alim ſecuta, & paulò poſt in 72. alias diſtracta, à receptis Iſlamiſmi opinionibus reſiliit. Sic itaqve *Perſæ hodiè omnes ſunt Muhammediſtæ, ſed alius planè Sectæ qvàm Turcæ.* Nam qvanqvam utriqve, & Turcæ & Perſæ, Prophetam unum agnoſcant Muhammedem, proqve norma

religionis suæ habeant Alkoranum, à *legendo* Ebr. imitatione sic dictum, & nomine *Scripti* ὀυρανοπετοῦς semel obtrusum agnoscant, opinionibus tamen ac ceremoniis immane quantum differunt, sese mutuò contemnunt, proqve pessimis habent hæreticis, ut nos Romanenses.

## LIV.

### *Qvæ origo Schismatis hujus Persas inter & Turcas?*

Certè qvum, δὶς διὰ πασῶν differre Persas à Turcis, dubitare nos non sinant tot gravissimorum Autorum, id ipsum asserentium, testimonia, originem Schismatis altiùs nobis JOH. HENR. HOTTINGERUS, *L. II Hist. Oriental. c. VI. §. 18.* aperit. Idem & nobis ex Arabum Republ. qvam Maronitæ conscripsêre, in *Prolegom. ad Centur. Proverb. Imp. Alis* ANDR. TSCHERNINGIUS eruit. Ad utrumq; sedulos heic remissos volo Lectores

## LV.

### *Qvæ primaria in eodem Schismate est qvæstio?*

Primaria qvæstio heic est (1) *de antistitio & successione*: qvam ad solum Alim, tertium à Muhammede Calipham & successorem, Persæ, reliqvis interim Muhammedanis Alim non minùs qvàm cæteros venerantibus, referunt: (2) *de Sunâ à VII-Viris exceptâ, & à Persis tenus hac rejectâ*. Fluit hinc omninò inter eos & *Sunnitas*, h. e. Turcas, ἄσπονδον odium: de qvô

Per-

*Perſicum Roſarium* & ad id *Notæ Gentii* conſulendæ.

LVI.

*Per SUNAM qvid intelligis?*

Sunæ vocabulum qvum apud Arabes eundem habeat uſum, qvem משנה ap. Ebræos, *Legem* per Sunam intelligo ἄγραφον: qvam, creſcente paullatim ſuperſtitione, ad legem ἔγγραφον, Judæorum exemplô, Muhammedani ſeqviori ævo adjecêre. Atqve ſic omninò voces קראן & סנה Judaicis vocibus מקרא & משנה tam imitatione rei, qvàm ſono & ſignificatione reſpondent.

LVII.

*SUNA ab Alkorano qvomodo differt?*

Diſcamus ab ipſis hoc Arabibus. Sic enim *Ibnol Athir* Latinè ap. JOH. HENR. HOTTING. *Smegmatis Orient. L. III. P. II. de Biblioth. Oriental. c. II. p. 163. Radix ſ. primaria hujus vocis ſignificatio eſt via ſ. converſatio. Sed ſi ad legem transfertur, eâ denotatur, qvicqvid præcepit Propheta, aut vetuit, aut ad qvod invitavit dicto vel facto ex iis, de qvibus non locutus Alkoranus.* Ideoq; inter probationes legales numerantur *Liber* & *Suna*, i.e. *Alkoranus* & *dicta factaq; Muhammedis.*

LIIX.

*Qvodnam notabile diſcrimen in Islamiſmo invexit SUNA?*

Idem, qvod in Judaiſmo olim inter Karræos ſ. Sadducæos & Phariſæos fuerat, in Islamiſmo invexit SUNA diſcrimen, ALIIS qvidem ſolius ALKORANI autoritati innitentibus, CÆTERIS verò SUNAM etiam, h. e. *autoritatem Muhammedis & Succeſſorum conſenſum*, urgentibus.

LIX.

*Qvos verò per CÆTEROS illos intelligis?*

TURCAS præſertim intelligo: qvi hinc SUNNITÆ dicuntur. Undè & Muhammedanis Theologis *populus Sunæ* & *conſenſus* dicitur.

LX.

*Præter SUNAM qvid inſeqventi ævo inter principia qvoq; Islamismi referri cœpit?*

Qvum literæ in Arabia honorari cœpiſſent, & abſtruſior philoſophandi ratio à Syris ad Græcos, & ab his ad Arabes propagata eſſet, RATIO etiam HUMANA inter principia referri cœpit: qvæ ubi ſemel obtinuit, Islamiſmum non unô afflixit modô.

LXI.

*Ex his Religionis Muhammedicæ principiis qvæ nata Methodus?*

*Di-*

*Diverſa* è diverſis principiis apud diverſos *tradendæ Theologiæ Islamicæ* nata fuit *Methodus*: EXEGETICA (ut de *Hiſtorica* & *Kabbaliſtica* nihil dicam) in *Alkoranum*: TRADITIONARIA ex *Suna*: SYMPHONIACA, *è conſenſu ſucceſſorum, praxi & conſvetudine variisq; JCtorum ac Theologorum deciſionibus confirmata*: RATIONALIS per *Scholaſticam*: qvæ vel *Didactica* iterum fuit, vel *Elenctica*: & hæc vel *intrinſeca* contra Muhammedanos ipſos, vel *extrinſeca*, contra Judæos, Magos, & Chriſtianos, præſertim Pontificios: qvippe qvorum dogmatibus ac ritibus graviter offendebantur Arabes.

## LXII.

## *Qvæ dogmata interim Perſis communia manſêre cum Turcis & reliqvis Muſelmannis?*

Recenſet ea ordine CL. HOTTINGERUS *Compendii Theatri Orient. Parte II. c. II. p. 94. seqq.* Sunt autem è multis præcipua *de Muhammedis excellentiâ, de Alkorani dignitate, de DEO ejusq; omniſcientiâ, miſericordiâ, juſtitiâ, providentiâ*: qvam illam qvidem eximiis contra iniqvos exactores exemplis illuſtrant; huic verò omnia omninò, magna & parva, bona & mala, ſubjiciunt, &c.

## LXIII.

### *Talia & alia Religionis Muhammedicæ Dogmata cum propriis illis Sectæ ſuæ Dogmatibus cur tanto ſtudio propagare ſolet Perſa?*

Facit id propter RATIONEM STATUS. Qvamvis enim per ſe non ſuperſtitioſus ſit Perſa: cogitur tamen curam habere ſuperſtitioſæ Religionis ſuæ, qvam pro fundamento Status ſui habet. *Nec enim vinculum eſt, qvod ita ſubditorum animos obligat ad conſervationem Status, qvàm ſuperſtitio.* Huic igitur propagandæ per Religionem ſuam Perſa omnem navat operam.

## LXIV.

### *Qvis tandem Perſarum STATUS eſt SCHOLASTICUS?*

STATUS SCHOLASTICUS in Perſia eſt florentiſſimus: contrà qvàm ſit in Turcia. Poſtqvam enim Perſia, Muhammediſmo imbuta, Arabum æmula eſſe cœpiſſet, literarum ſtudia magno fervore excoluit: cui qvidem inſtituto multum Lingvæ Perſicæ contulit ſvavitas. Satis hâc in re fidei nobis MUSADINUS SADUS, *Scriptor Perſicus*, facere poteſt. Ex *Roſario* qvippe ejus, Perſ. *Goleſtan* dicto, qvod *Notis doctiſſimis* Vir literaturæ orientalis callentiſſimus, GEORG. GENTIUS, illuſtratum ivit, cùm *generales* de Perſarum, Arabum nonnunqvam etiam, literaturâ nota-

tari poſſunt *obſervationes*, tùm etiam *ſpeciales* è qvibus ſatis abundè apparet, qvas nobis Perſia & Perſica Lingva polliceatur delicias. Dum verò in genere ex illa qvædam JOH. HENR. HOTTING. *Comp. Theatri Orient. Part. II. c. 3. p. 103. ſeqq.* in hanc rem colligit; conſulantur interim de *Proverbiorum Perſicorum acumine* EPISTOLÆ cùm *Salmaſii*, tùm LEVINI WARNERI, *Centuriæ Adag. Perſ. ab hoc editorum præfixæ*, velim. Velim & de *felici Poëſeos apud Perſas exercitio, deq; Poëtarũ ap. eoſdem æſtimio* OLEARIUS *in Itinerario Perſ. p. 422.* conſulatur. Conſulatur deniqve idem ibidem *de Sacerdotum Perſicorum Bibliothecis p. 498.* de *Scribis* ſ. *Amanuenſibus*, qvos Typothetarum locô habent, *p. 448.* de *MSS. CUFICIS* in Templis eorum, *p. 345. 354.* velim. Sic, ſic omnino ſatis luculenter patebit, Perſas literarum fuiſſe amantiſſimos, nec hodieqve etiam ſtudia prorſus ab iis negligi.

# CAPUT V.
## DE IMPERIO HABASSENO.

### EROTEMA I.

*Habaſſenum Imperium qvodnam eſt?*

EST vaſtum illud *interioris Æthiopiæ* Imperium, qvod *Habaſſenum* dici cœpit à *gente*: nempe ab *Habaſſinis*, qvi ſeſe Chaldæos profitentur, horumqve Linguâ in Sacris ſuis utuntur. Id autem mirum videri non debet: qvum ex Aſſyriâ in Æthiopiam coloniæ deductæ apud NICEPH. *L. IX. c. 18.* & SCALIG. *de Emendat. Tempp. L. VI.* legantur.

### II.

*Habaſſini illi qvibus nomen ſuum debent?*

Debent nomen ſuum *Arabibus*. *Arabes* enim *Habaſſi* vocant, eorundemqve terram *Habaſſiam*. Ab Arabibus, inqvam, *Habaſſini*, & *Abasſini*, & *Abyſſini* dici meruêre, qvi interiorem Æthiopiæ Africanæ partem tenent, ab Ægypto usqve ad Nili fontes ſpatio latiſſimô. Sunt tamen & alii, qvi Abyſſinos nomen ex eo accepiſſe malunt, qvòd in domibus, qvas Ægyptii *Abaſes* vocant, habitent: ut ſic à *Troglo-*

*glodytis*, qvi in cavernis & ſpeluncis degunt, diſtingvantur.

III.

*Æthiopiæ interioris gentem cur Habaſſinos dicis?*

Ita dico ad differentiam *gentis*, qvæ eſt *Æthiopiæ exterioris*. Ne videlicet Habaſſini confundantur cum incolis Æthiopiæ exterioris, illos *gentem Æthiopiæ interioris* eſſe dico. *Æthiopiam* enim (intellige *Africanam* illam) in *exteriorem* dividunt, qvæ, ad Oceanum in extrema Africa ultra lineam æqvinoctialem poſita, Regna hodiè præcipua *Congi*, *Monomotapam*, *Zangibar* & *Ajan* habet: & in *interiorem*, qvæ, à Septemtrionibus Ægyptum habens, à Meridie Æthiopiâ exteriore & Lunæ montibus eſt munita, atqve ab Ortu Sinu Arabico, ab Occaſu verò Nigritarum regione terminatur.

IV.

*Cur Africanam heic intelligi vis Æthiopiam?*

Qvia datur & *Æthiopia Aſiatica*. Vivunt enim Æthiopes qvoq; in parte Aſiæ. Sic & in America vivunt Æthiopes: ſed illi eò ſunt delati, ut præſtent ſervitia. Namq; ſolent mancipiorum more iterum vendi.

V.

*Imperium Habaſſenum qvô & alio venit nomine?*

E vulgatô errore *Imperium* ſ. *Regnum* dicitur

tur PRESBYTERI JOHANNIS, Priester Johannis Land. Ita namqve vulgò Abyssinorum Rex audit. Qvi & *Gian* ac *David* vocatur: qvum Reges Abyssinorum è Davidis stirpe & Salomonis familiâ prosapiam suam deducant.

VI.

*Abyssinorum Imp. qvando nomine ac titulo PRESBYTERI JOHANNIS innotuit?*

Innotuit hoc nomine ac titulo *ab A. C. 1200.* Tum enim jactari à peregrinantibus per Europam fama cœpit: *esse in remotissimis terris potentissimum Regem Christianum nomine* PRESBYTERUM JOHANNEM.

VII.

*Idem hoc Imperium ubi situm?*

De situ concordare non possunt Scriptores, aliis in *Asia*, aliis in *Africa*, aliis *utrobiq;* Imperium Presbyteri Johannis ponentibus. Id in universum vulgus credebat, regionem omnimodò felicissimam esse; ibi prata semper virentia & nullo labore qvæsitas esse dapes: ibi Elysios Poëtarum esse campos: ut fabula illa in Proverbium qvoqve abierit, qvô Belgæ hodieq; florentissimum regionis statum vocant Paep Jans-Land/& nos Germani Schlaraffenland. Tandem circa *A.C.1500.* detectus error, & repertus in media Africa tam diu qvæsitus *Presbyter Johannes.*

## IIX.

## *Sed qvid novi ATHANASIUS KIRCHERUS in suâ China illustrata habet de locô Imperii, qvod sub nomine & tit. Presbyteri Johannis innotuit?*

Negat ipse, prolixè disqvirens, *qvis famosus ille* PRESBTTER JOHANNES *fuerit, an unqvam fuerit, ubi habitaverit, & unde Imp. ille sic dici meruerit, Parte II. Chinæ illustr. c. I.* Presbyterum Johannem unqvam fuisse in Africa. Asserit verò, *potentissimum Regem Asiæ esse, sedemq; ejus in Tartariæ Regno Tanchut* ponit. *Illo* enim *ejusq; successoribus longè lateq; in Asia imperantibus fidemq; Christianæ religionis egregiè promoventibus, verbi divini prædicatores, aut vocatos, aut sponte suâ, famâ istorum Regnorum & promovendæ fidei Zelo, aut, qvod probabilius est, diræ illius persecutionis tempore, qvâ primùm sub Diocletiani & Maximiniani imperio in Syria, Ægypti, vicinisq; Æthiopiæ locis ad sævissima supplicia Christianæ fidei sectatores passim inqvirebantur, compulsos formidine, è dictis locis fugientes, in mediâ Persia, Bactria, Turkestane substitisse, deinde in extremas Asiæ regiones paulatim longo exilio pervenisse*, KIRCHERO verisimile videtur. Verisimile & hoc eidem videtur Autori, *qvòd deinceps Anno post Christum 600. sub imperio Heraclii, perfido Muhammede rerum potiente, novæ semper novæq;*

*Christianorum coloniæ in dictas Orientis regiones traductæ fuerint.*

IX.

*Nomen interim verum qvod Imperatoris est Abyssinorum?*

Qvi vulgò dicitur PRESBYTER, vel etiam nonnullis PRÆCO, JOHANNES corrupto nomine, qvemqve tandem in PRECIOSUM JOHANNEM, inducti relatione Zagazabo, Legati Imp. Æthiopum, transmutarunt, verius nomen habet PRESTE-CHAN. Est autem cognomen Regum origine Æthiopicum, q. d. Latinè APOSTOLICUS: qvemadmodum *Rex Hisp.* dicitur *Catholicus*, & *Rex Galliæ Christianissimus*. APOSTOLICUS nempe dicitur: qvòd Apostolicam seqvatur Doctrinam. Qvomodo verò in illas terras pervenerit Christiana Religio, difficile est dictu. Interim certum, qvod Christiana Religio illis in locis obtinuerit à Seculô IV. Abyssini tamen dicunt, Religionem Christianam ap. se obtinuisse ab initiô usq;, eandemq; Æthiopem illum Ministrum Reginæ Candaces, cujus fit mentio in Actis Apost. ibi proseminâsse.

X.

*Anne & aliam notationem Nominis heic habes?*

Eam habeo, secundum qvam, recepto errore dictus, ille *Presbyter Johannes* aliis Persico nomine dicitur PRÆSTER-CHAN, h. e. *Rex*

*Rex mancipiorum*: eò qvòd mancipia Abyssina toto Oriente sint freqventissima.

XI.

*Qvô hodie ille in Itinerariis venit nomine?*

Appellari solet *Magnus Negus. Negus* s. *Neguscb* Rex est Lingvâ Æthiopum: ut *Magnus Negus* idem sit, qvi *Magnus Rex* Latinis: qvemadmodum Itali Imp. Turcicum *il Grand Signior* appellare solent.

XII.

*Qvàm verò rationem Regiminis tenet Presbyter Joh. in Imperio suo?*

*Monarchicum regimen* obtinere dicitur: ita ut non imi tantùm, sed superioris etiam ordinis homines servi ejus sint. Nec profanarum solùm, sed & ecclesiasticarum rerum arbitrium habet. Ad Patriarcham tamen, qvem ABUNAM i. e. *patrem*, vocant, divina imprimis officia spectant.

XIII.

*Qvam Rationem Status idem ille servat?*

*Politica* & *Ratio Status* Imperatoris Habasseni est: (1) *populum in perpetua servitute tenere.* Ut autem eò magis hunc in servitute contineat, sanctum & divinum aliqvid sibi inesse plebi persvadet. (2) *Amicitiam cum*

*Lusitanis colere, & ex Europæ sibi petere arma ac militares duces:* qvemadmodum nuper qvidam Gallus Massiliensis Abyssinos ita armis militaribus instruxit, ut exiguis copiis maximos hostium exercitus profligare possint.

XIV.

*Qvæ opes sunt Imperatoris Habasseni?*

Non minimam auri vim Abyssinorum possidere Imperator, sed qvotannis ærarium suum tribus auri millionibus augere dicitur.

XV.

*Qvæ vires ejusdem sunt militares?*

Magnum qvidem militum numerum in aciem educere potest Imperator Abyssinus: qvum & auro & hominibus abundet. At verò, qvoniam Gentes illæ, qvæ illi parent, pleræq; armis destituuntur, & servili metu nimium constringuntur, ad bellum parum sunt instructæ. Accedit: qvòd dierum qvinqvaginta jejunium ita vires earum frangat: ut vix pedibus per longum temporis spatium se sustinere possint. Unde & hac ratione debilitatos Abyssinos Mauri ac Arabes belli aggredi solent.

XVI.

*Qvæ Religio est Abyssinorum?*

EDOARDUS BREREVVODUS in *Scrutiniô Religionum c. XIV.* pro certo hoc affir-

affirmat, Abyssinos *Jacobitas* Religione esse. *Sanè*, inqvit, *Rex ipsorum sæpissimè Princeps Jacobitarum in Historiis vocatur. Nullam Concilii Chalcedonensis, qvod hæresin Jacobi Syri damnavit, in Liturgiis suis mentionem faciunt: qvum Niceni, Constantinopolitani & Ephesini meminerint.* Qvicqvid sit: Christiani Abyssini sunt, nec tamen in dogmatibus omni ex parte cum Græca, multò minus cum Romana Ecclesiâ consentiunt. Romanum Pontificem non agnoscunt, nec credunt illum in his terris DEI vicarium esse. Proprium interim Patriarcham habent, qvi à Monachis Abyssinis Ordinis S. Antonii, Hierosolymæ residentibus, eligitur. Soli tamen ad eam dignitatis gradum perveniunt, qvi Alexandrini Patriarchæ superioritatem agnoscunt, & Ordini S. Antonii nomen dederunt. Ut taceam, à Patriarcha Alexandrino Abunam futurum confirmari, & eo titulo ornatum in Æthiopiam mitti, eundemq; Patriarcham Abunæ in Liturgiis modernis præponi, proq; eo preces fundi.

## XVII.

## *Qvid notatu in Religione Abyssinorum maximè dignum est?*

Hoc maximè notatu est dignum: qvòd omnes circumcidantur octavo die, tam fœmellæ, qvàm mares. Hoc antiqvissimo debetur instituto, qvantum qvidem ad octavum diem, qvo circumcisionem peragunt. Omnis enim Abrahami posteritas fuit circumcisa. Et

ita etiam in Arabia inter posteros Ismaëlis cœpit circumcisio. Ita & deinde illa in Africam videtur esse translata, ibiqve propagata. Sed qvia utrumq; sexum circumcidunt, qvod in Abrahami familia & ap. hujus posteros Judæos non factum, videntur id ab antiqvis Æthiopibus accepisse. Circumcisionem enim talem apud illos in usu fuisse, *Herodotus L. II.* memoriæ prodit.

## XIIX.

### *Annon & baptizantur Abyssini?*

Omninò baptizantur. Nisi enim hoc fieret, haut Christiani essent. Baptizantur autem mares 40. fœminæ 80. die, nisi mortis periculum interveniat. Singulis tamen annis in lacubus & paludibus die Epiphaniorum rebaptizantur.

## XIX.

### *Porrò, qvos hostes Abyssini habent?*

Perpetuò luctantur cum *Turcis*, *Arabibus* & *Afris*. Turcæ sanè majorem Habasfiæ partem occuparunt: ita qvidem, ut ex tot provinciis nonnisi qvatuor hodie supersint Imperatori, cæteris vel à Turca, vel à barbaris Afris occupatis.

## XX.

### *Uberiorem deniq; simul ac ulteriorem Imperii Habasseni notitiam unde petere licet?*

De hoc Imperio elegans *Dissertatio JOH. BOTERI* extat sub Tit. *Imperium Presbyteri Johannis:* sed omnia pleniùs disci possunt è Jesuita *NIC. GODIGNO.* Æthiopica pertractarunt qvoqve *ALVARESIUS* & *DAMIANUS à GOES.* Habentur & *Historia General de Ethiopia A Alta, Em Conimbra Anno 1660. in fol.* edita. Historia hæc Lusitano Idiomate, sicut jam ex originali Patris *Manuelis Dalmeyda* descripta & excusa à *BALTH. TELLES*, Jesuitarum Lusitaniæ provinciali, habetur, narrationem & relationem de Regnis & Provinciis, sub Abyssino Imperio comprehensis, ejusdemqve mores, gubernationem, militiam, civitates, proventus, Imperatores, Religionem, investigationes, prætensas conversiones, à Lusitanis ibi factas, tradit unà cum contradictionibus & obstaculis, qvæ religiosis hominibus in hoc Imperio occurrerunt,

# CAPUT VI.
## DE IMPERIO FEZ-MAROC-CANO.
### EROTEMA I.

*Imperium Fez-Maroccanum qvodnam est?*

Est Respubl. illa *Fessana* & *Maroccensis* in Africa: qvæ satis celebris hodie in unum potentissimum Imperium, qvod conjunctim diceretur *Fez-Maroccanum*, coaluit. Interjacet autem FessanumRegnum inter Mare mediterraneum, Malviam fluvium, Oceanum Atlanticum & Regnum Maroccense, provincias habens VII. Marocci Regnum, Barbariæ pars ultima, inter Regnum Fessanum, Mare Atlanticum & Atlantem montem situm est, itidem provincias habens VII. qvibus qvidam addunt territorium *Maxonense*.

II.

*Qvam terram complectitur hoc Imperium?*

Complectitur *Mauritaniam veterem*, qvæ *Tingitana* olim dicta ab Urbe *Tingi*: qvæ nunc vulgo *Tanger*, à Portugallis Anglis ante paucos abhinc annos tradita. Hæc, hæc scil. Africæ pars dudum duo illa præclara Regna, *Maroc-*

*roccanum*, à primaria urbe, *Marocco*, & *Fessanum*, â Metropoli primariâ *Fez* s. *Fessa* dictum, habuit. Utrumq; Regnum ab uno hodie tenetur Principe, adeoq; unum constituit hodie Imperium. Solet autem prævalere nomen Maroccense, qvod Princeps sedem ibi habeat.

III.

*Regnum Fez s. Fessanum seorsim consideratum qvinam condidêre?*

Condidêre id circa A. C. 800. *Ommiadæ.* Qvum enim familia Ommiæ per Abbazidas Caliphatu Syriæ dejecta fuisset, partim in Africam, partim in Hispaniam superstites se receperunt, ac ibi novos Caliphatus condiderunt. Ex iis oriundus Idris ad montem Atlantem in Mauritania urbem Fez condidit, inqve ea sedem regiam posuit, assumpto Caliphæ titulo.

IV.

*Qvid de Fez s. Fessa urbe peculiare habes?*

Imprimis urbs est magnifica, ut in universa Asia non habeat similem, & magnitudine si non superet, arte tamen *Alkair* Ægypti urbem æqvet, ædium verò magnificentiâ longè illam superet. Tanta igitur olim autoritate fuit: ut à Muhammedanis qvoq; appellata fuerit *Porta Occidentalis*: qvemadmodum ALKAIR *Porta Orientalis* dicta, propter ampli-

tudinem urbis, & qvia possessores harum urbium voluerunt videri CALIPHÆ.

V.

*Qvid de Marocco?*

*Maroccum*, Caput Maroccani Regni, ad *Tensiftum* fl. urbs imprimis à literis fuit instructissima. Dicuntur autem ibi studia *Grammaticæ, Poëticæ, Astrologiæ* & *Legum* maximè viguisse. Unde & studiorum caussâ ex totâ Barbaria homines eò confluebant. *Hodiè* tamen omnia ibi fermè studia frigent, inq; barbariem ferè redacta sunt, qvæ ibi supersunt studia, præ illis, qvæ ibi ante 500. fuêre annos.

VI.

*Utrumq; Regnum qvando sub uno Principe in unum coaluit Imperium?*

Factum id paulò post superioris Seculi initium: qvum nempe Regna *Marocci* & *Fessæ* aliisq; Principatus Africæ inter se divisi esse inciperent.

VII.

*Qvo peculiari nomine Imperator Fez-Maroccanus venit?*

Dicitur SERIFFUS, vel XERIFUS s. SCIRIFIUS: perindè ac si diceres *Legis Interpretem* & *Cognatum Muhammedis*. Ita namq; est: qvod cognati Muhammedis, qvi supersunt hodieqve passim per Asiam & Africam, seseq; natos è familia Muhammedis ferunt,

runt, se SERIFFOS appellitent, in magna ap superstitiosos homines existimatione semper habiti.

IIX.

*Qvis primus hoc sibi adscivit nomen?*

Innotuit hoc nomen A. C. 1508. in qvodam homine, cui nomen fuit *Muhammed Benamettus.* Hic, inqvam, non solùm sese sangvine Muhammedis ortum esse jactitans, sed & magnam vitæ austeritatem populo, ut hunc sibi ea ratione conciliaret, publicè monstrans, nominari primus SERIFFUS vel XERIFIUS voluit, munere suo *Muhammedanæ Legis Doctor* & *Theologus* aliqvis, ut ita loqvar. Fuit aliàs vir ingenio callido, nec minus ambitiosus, qvàm doctus in scientiis, qvibus operam dant Muhammedani. Unde & ipse, qvum Africam partim ab Arabibus, partim à Lusitanis laceratam esse cerneret, spem occupandæ Mauritaniæ Tingitanæ facilè poterat concipere.

IX.

*Qvibus progressibus ille primus Seriffus usus est?*

Progressus SERIFFI illius *primi* similes videntur his qvos habuit *Ismaël Sophi*, primus è Sophorum familiâ Imperator Persiæ. Ambo enim parvo tempore subegêre regiones: ambo creverunt vicinorum Principum ruinâ: ambo nobilem aliqvam hodiè imperantium

 fun-

fundârunt familiam: ambo & magna incommoda passi sunt à Turcis, suarumq; ditionum partem perdiderunt. Selimus enim eripuit Ismaëli Caramit diversasq; alias Mesopotamiæ civitates: Vice-Rex Algiriæ pepulit Seriffum Tremisenâ & ex ejus vicinia. Et sicut Selimus occupavit Taurisium, Caput Persiæ, idq; dereliqvit, ita & Sal Aries cepit Fessam, Caput Mauritaniæ, & dereliqvit eam.

X.

*Ad qvam ergò Familiam Fez-Maroccanum hodiè devolutum habetur Imperium?*

Ut Imperium Persicum ab *Ismaële Sophi* ad Sophorum, ita Fez Maroccanum à *Benametto Seriffo* per filios ad Seriffοrum Familiam devolutum hodiè habetur.

XI.

*Recense mihi breviter totam hujus rei Historiam?*

Qvum nihil magis relatu dignum vel potius admirandum, nostrorum Majorum Seculo accidisse BOTERUS putet, qvàm *Seriffi hic ausus, qvô ille ad Familiam suam Imperium Fez-Maroccanum paulatim transferre cœpit*, rem omnem breviter JOH. FRID. POPPINGI recensebo verbis. Ita autem ille: *Qvum ante 150. circiter annos aliqvis nomine Xerifius Africam partim ab Arabibus, partim à Lusitanis laceratam cerneret, spem occupandæ Mauritaniæ Tingitanæ concepit. Hic è posteris*

*Ma-*

*Mahumedis se ortum esse jactabat, & cum magnam vitæ auctoritatem populo monstraret, illum sibi conciliavit, & se primum Xerifium appellavit. Idem tres filios suos iis artibus, quæ animos conciliant, mira calliditate instruxit, eosdemq; ad sepulchrum Mahumedis ablegavit, qui iter hoc tanta cum sanctitatis opinione ingressi sunt, ut felices se existimarint Afri obvii, si vestimenta illorum tantùm exoscularentur. Hi Sycophantæ profunda ducebant suspiria, & lachrymis etiam intermistis hominum animos ad se rapiebant. Cùmq; domum reversi essent, pater duos ex illis Fezzam misit, ex quibus minor institutioni filii Regis admotus est: Cumq; uterque Regi & populo suam probassent operam, concessit illis Rex Fezzanus vexillum cum tympano æneo & aliquot equitibus, quibus cum populum circuire & contra hostes inflammare possent. Confluxit ad fratres ingens hominum multitudo, cumq; Lusitanorum strenuus Dux, non tamen sine morte unius ex fratribus his, bello victus esset, blandis verborum lenociniis effecerunt, ut in urbem Maroccum admitterentur; sed perfidia pleni Regem Maroccanum veneno sustulerunt, eoq; facto Hametus Xerifius unus ex fratribus regnum ad se pertraxit. Hâc fortuna turgidi Xerifii Regem Fezzanum contemnere, eiq; tributum, quod promiserant, negare incipiunt, imò Regi Fezzano nunciari jubent, se ut Mahumedis successores à tributo immunes, sibiq; plus juris in Afros esse quàm Regi Fezzano. Qui, cùm bellum fratribus his intulisset, acie victus*

*est. Tandem inter fratres Hametem & Mahumedem dissidium oritur, cujus eventus hic fuit, ut junior majorem cum Rege Fezzano prælio vicerit, & Regnum occupaverit. Et ita Imperium in Familiam Xerifiam hactenus devolutum est.*

XII.

*Qvodnam memorabilis hujus Historiæ consectarium habes?*

Hoc habeo: *qvod, ut res ad multitudinem imperitam ac rudem sibi conciliandam efficacissima est externa vitæ sanctimonia*, ita *nec minus versutia ac calliditas ad res novas moliendas sit omnium validissima.* Ita enim Xerifius ille magnâ vitæ austeritate populum sibi conciliasse, idemqve tres filios suos mirâ calliditate ad res qvasvis novas moliendas instruxisse fertur.

XIII.

Habeo, qvod volo: scire nunc aveo, *qvis Scopus Imperii Fez-Maroccani sit hodiè?*

Qvantum qvidem è Scriptoribus hujus seculi discere licet, *Seriffus ita imperat, ut habeat non tantùm rationem populi, sed & sui, & qvidem maximè sui.* Ergò *Scopus* Reip. hujus *primarius* commodum est imperantis; *secundarius* tamen commodum etiam est populi.

XIV.

XIV.

*Qvi sunt Scriptores illi nostri Seculi, è qvibus talia & alia de Imp. Fez-Maroccano cognosce-re licet?*

Mutationes sæpissimè ibi factas, breviter nos docere potest *THUANUS Libro Hist. suæ 76.* & ex eo *THUANUS ENUCLEATUS P. IV. sub Tit. Regni Fessæ & Marocci.* Apparebit indè qvanta vis religionis sit & superstitionis in animis hominum. Habet & præterea singularem in suis *de præcipuis Rebuspubl. Relationibus c. XXVI.* de Seriſforum Republ. narrationem *JOH. BOTERUS.* Præter hunc autem nemo reperitur, qvi seorsim Remp. illam Seriſforum descripserit. Neqve enim reperitur in *Thesauro Polit. CASP. ENS*, neqve in *NIC. BELLI Dissertationibus.* Qvod ὁ πάνυ miratur *CONRINGIUS*: qvum tàm egregia illa de Seriſforum Republ. sit relatio, ut paucas Relationes habeat pares.

XV.

*Qvid certi tamen in paucitate hac Autorum è qvibus uberior notitia Imperii Fez-Maroccani petenda esset, de forma illius habes?*

Hoc habeo certi: *qvod Regimen Fez-Maroccanum plenè ac planè sit Monarchicum.* Habet enim Seriſfus dominium in omnes Vasal-

lorum facultates, etiam in ipsos Vasallos. Qvamvis enim eos oneret impositionibus vectigalium tributisqve gravissimis, contrà tamen mutire non audent. Percipit à suis Vasallis tributariis decimas, & primitias fructuum pecudumqve.

XVI.

*Qvid de divitiis Imp. Fez-Maroccani habes?*

*Immensam auri copiam* Imperatorem Fez-Maroccanum possidere, vel indè colligi potest: qvòd Mauri non decimas tantùm frugum suarum, sed primitias qvoqve pecoris solvere cogantur Imperatori: qvanqvam exactores ita rigidi in populum esse non soleant, sed vigesimâ de frugibus contenti sint, adhibitâ in gregibus qvoqve moderatione. Est & ibi domuum ac capitum census. Accedunt vectigalia & reliqvi proventus. Dicuntur enim Fessani cives peregrinarum, qvæ in urbem invehuntur, mercium qvinqvagesimam, exteri verô decimam persolvere partem.

XVII.

*Qvanta potentia ac qvæ vires ejusdem sunt Imperii?*

Tanta est Seriffi potentia, ut planè nullum vicinum metuat. Sua igitur in tranqvilla possessione retinet: modò possit esse securus ab internis motibus. Interni siqvidem motus admodùm noxii Imperio huic hactenus fuêre: indeqve diuturnam qvietem eidem haut facilè

# CAPUT VII.

## De IMPERIO MOGOLICO.

### EROTEMA I.

*Imperium Mogolicum qvod, qvale, ac qvantum est?*

Est vastum illud ac opulentum Imperium Indiæ, in illis extremis Asiæ partibus situm, qvæ intra Gangem & Indum continentur. Qvanqvam autem ille tractus terræ semper magnis subditus fuisse videatur Monarchis: attamen, qvoniam ap. veteres Scriptores nulla reperitur de illo mentio, vasta hæc per Indiam Monarchia recens esse putatur: utpote qvæ, ante annos 170. præterpropter enata, nostrô hoc seculo, & paulò ultrà maximè effloruit.

### II.

*Unde Imperio huic est nomen?*

Appellatur *M. MOGOLIS IMPERIUM*, non aliter, qvàm si diceres, *Magni Tartari Imperium*: ita ut *MOGOL* s. *MOGUL*, aut *MOGOR*, sit Rex sive Imperator, qvi adeò latè dominatur per Asiam, origine Tartarus, qv. *MAGNUS TARTARUS* dictus. Ipsemet qvidem se ita non appellitat: sed ita ab aliis appellitatur. Qvoniam nempe adeò latè dominatur (qvum reliqvorum Tartarorum Imperium aliàs exiguum

sit,

populi mutabile. Aliàs non eſt, qvòd ſibi qvi-
qvam metuat Seriffus. *Ut* igitur *fraudibus cœ-
pit hoc imperium: ita fortaſſe dolo & fraude
rurſus aliqvando deſinet.*

XX.

*Noſtro tamen tempore qvis maximos mo-
tus tractibus magni hujus Im-
perii fecit?*

Fecit id *Tafiletta*, Princeps à locô paterni
jurisdictionis nomen nactus: qvi, primò fra-
tris, deinde nepotis ex fratre malevolentiam
immeritò expertus, Principi ſui juris, ſed Reli-
gione Judæo in vicinia ſe protegendum com-
miſit, mox verò eundem non ſine ingrati ho-
ſpitis nota delendum curavit; demum arma
in vicinos ſumſit, ipſumqve Gaylandum tun
locis iſtis latiſſimè imperantem ſuperavit, Im-
periumqve ejus ſibi ſubjecit.

XXI.

*Qvæ deniq; Religio Imperii eſt
Fez-Maroccani?*

Ab aliqvot ſeculis *Muhammediſmus* ibi ob-
tinuit, nempe ab anno Chriſti 700. Igitur non
eſt mirum, populum adeò deditum huic reli-
gioni eſſe. Sunt tamen etiam ibi *Judæi*: qvi ex
Hiſpania in Africam tranſierunt. *Chriſtiano-
rum* etiam ibi magnus eſt numerus: qvi fere
omnes non dura modò ſervitute premuntur:
ſed animæ etiam periculo à Barbarorum ſedu-
ctione exponuntur.

CA-

# CAPUT VII.
# De IMPERIO MOGOLICO.

## EROTEMA I.
### *Imperium Mogolicum qvod, qvale, ac qvantum est?*

EST vastum illud ac opulentum Imperium Indiæ, in illis extremis Asiæ partibus situm, qvæ intra Gangem & Indum continentur. Qvanqvam autem ille tractus terræ semper magnis subditus fuisse videatur Monarchis: attamen, qvoniam ap. veteres Scriptores nulla reperitur de illo mentio, vasta hæc per Indiam Monarchia recens esse putatur: utpote qvæ, ante annos 170. præterpropter enata, nostrô hoc seculo, & paulò ultrà maximè effloruit.

## II.
### *Unde Imperio huic est nomen?*

Appellatur *M. MOGOLIS IMPERIUM*, non aliter, qvàm si diceres, *Magni Tartari Imperium:* ita ut *MOGOL* f. *MOGUL*, aut *MOGOR*, sit Rex sive Imperator, qvi adeò latè dominatur per Asiam, origine Tartarus, qv. *MAGNUS TARTARUS* dictus. Ipsemet qvidem se ita non appellitat: sed ita ab aliis appellitatur. Qvoniam nempe adeò latè dominatur (qvum reliqvorum Tartarorum Imperium aliàs exiguum

sit,

ſit, inqve varias diviſum partes) Monarcha hic Aſiæ per Indiam illud nomen accepit.

III.

*E qvo Magnus Mogol ſangvine ſe oriundum gloriatur?*

Ex illuſtri Magni Tamerlanis ſangvine Princeps ille ſe oriundum gloriatur: qvem Orientales Populi *M. Mogolem* vel *Mogorem* eo modò vocant, qvô nobis Germanis Turca audit der Groß-Türck. Sic ergò hodiernus vaſti illius Imperii, in cujus deſcriptione jam verſamur, Monarcha ex *origine* eſt *Tartaricâ*. Tartari enim, magno milite ſedibus ſuis egreſſi, id occupârunt.

IV.

*Qvâ re allecti Tartari olim Indiam invaſerunt, ac M. Mogolis tandem conſtituerunt Imperium?*

Qvum *Mogoles* ſ. *Mogores* (ſic enim Tartaros dictos fuiſſe legimus, qvos è remotis Aſiæ partibus eduxerat, inqve nobiliſſimas Europæ partes diffuderat *GINGIS-CHAN*, i e. *Rex Regum*) abundantiam Indiæ Septentrionalis cognoviſſent, ejuſqve fertilitatem percepiſſent, invadere eam cœperunt, paucisqve annis occuparunt, perpetuô victoriarum curſu freti, id omne ferè, qvod inter montem Caucaſum & Mare intra Gangem & Indum interjacet.

V.

*In qvot Regna hodiè Imperium Mogolicum, qvod à Tartaris tandem post tam felicem victoriarum cursum constitutum habetur, dividitur?*

Sunt, qvi 37. Provincias Imperium hoc continere dicunt: in qvot & Regna ipsum dividitur. Qvum autem magnæ illæ Provinciæ olim totidem Regna & liberæ Respublicæ fuerint, longè lateq; patet Imperium Mogolicum. Attingit nempe ex parte Oceanum Indicum circa Cambajam & Bengalam, paulò ultra Gangem fluvium. Maximè autem situm intra Indum & Gangem: ita tamen, ut se nonnihil porrigat ultra Gangem. A Septentrione pertingit usqve ad montes Tartaricos. Ab Occasu propinqva est illa terra Regno Persarum, & cumprimis circa provinciam Candahor. A meridie terminatur Oceano Indico circa Cambajam & Bengalam, & præterea Regna Decan & Gusarratam. Ab Oriente vicinum Regnum Mogolicum Regno est Chinensi, non tamen est proximum: qvoniam interjacent vasta deserta & altissimi montes: qvi prohibent, ne è Regno Chinensi in Imperium M. Mogolis, neve ex hoc in Chinense Regnum exercitus duci possit.

VI.

*Si jam spectes Imperium Mogolicum propè Insulam Zeilan, cum qvanam Europæ Regione terram istam similitudinem aliqvam habere putas?*

Insi-

Insignem similitudinem istius terræ, qvam cum *Italia* habet, observare mihi licet. Ut enim (1) *Italia adjacentem habet Siciliam, ita ista Indiæ pars insulam Zeilan.* (2) *Ut Italia procurrit in Regnum Neapolitanum, ad eundem modum procurrit ista terra in Regnum Calecutiense.* (3) *Ut mons Apenninus Italiam dividit, ita & Imperium Mogolicum tractum habet montium, qvi illud dividunt.* (4) *Ut Italia est Chersonesus, ita etiam illa M. Mogolis terra.* Interim tamen extra illam Chersonesum adhuc Regnum est M. Mogolis, & illius Chersonesi M. Mogol nonnisi partem, licet majorem, tenet.

VII.

## *Qvænam sedes Imp. est Mogolici?*

Tempore brumali M. Mogol Imperii sui sedem habere dicitur in urbe *Agra* ad fluvium Gemini: qvia urbs illa, qvæ 200000. hominum ad militiam educere potest, Tropico Cancri vicinior, atqve sic tempore brumali nonnihil temperatior. Tempore autem æstivali solet ob frigidiorem cœli aërem se conferre in urbem *Lahor.* Est enim septentrionalior, & 70. mill. distat ab Agra. Ita scil. M. Mogol idem observat, qvod Rex Persarum, & qvod jam olim alii fecerunt Reges: ut sedes Imperii aliter locata haberent tempore brumali, aliter verò tempore æstivali: qvò sic semper vivere possent in aëre temperatiori.

VIII.

## *Qvæ opes Imp. sunt Mogolici?*

M.Mo-

M. Mogol omnium hujus Universi Regum ditissimus esse perhibetur. Dicunt autem ejus ærarium continere *mille & qvingentos Milliones Joachimicorum nostratium.* Er ist ein sehr reicher Herr/ (verba sunt Mandelsloh) und ist in seinem Schatz viel Silber und Gold und Edelgesteine zu finden. Sie habens ihm nachgerechnet/daß Er an Bahrschafft bey anderthalbmahl 1000. Millionen Reichsthaler habe.

## IX.

## *Qvæ rationes tantarum M. Mogolis divitiarum sunt?*

Illarum rationes reddit *Joh. Twist. Descript. Guzurat. c. 11.* (1) *Thesaurorum ab antecessoribus congestorum plenitudinem :* (2) *absolutum ejus in subditos imperum ;* (3) *munerum ab exteris ipsi missorum immensitatem.*

## X.

## *Qvæ vires ejus sunt militares?*

Qvum M. hic Mogol præter Regnum Baduri maximas habeat Regiones, eundē 300000. eqvites & infinitos pedites educere posse putant. Scribitur & qvinqvagesies mille Elephantos in prælium educere solere. Habet tamen & ipsum Imp. Mogol. sua incommoda qvamplurima. Nam (1) *abundat qvidem ibi miles, sed militaris rei peritiâ non adeò est instructus :* (2) *portubus destituitur :* (3) *Portugalli totum suum habent Cambajensem in sua potestate :* (4) *sunt ibi præterea multæ Regiones steriles.*

XI.

*Undè verò est, qvòd M. Mogol, qvum Princeps sit adeò potens viciniq; ferè omnes inermes, sibi non reliqvæ Indiæ ac totius Orientis paret Imperium?*

*Obstant* sanè *multa. Unum* est: *qvòd, sicut ingenium & ars hominis in continuo labore ac motu esse non possunt, ita & conatibus humanis cursus continuus dari non potest.* Et qvamvis magna Imperia à viribus externis non infestentur, ipsa tamen mole sua ruunt. Ultra hoc *victoriæ reddunt Capitaneos insolentiores, milites contumaces, qvumq; illi ultrà progredi jubentur, recusant.* Nec debet prætermitti: *qvòd magna molimina ad optatum finem perducta ditent qvidem qvosdam particulares, sed evacuent utplurimùm principis Thesauros, qvi retinent exercitus sub signis, redduntq; animos paratos factionibus bellicis.* Juxta hæc *magni exercitus, etiamsi ab hoste non profligantur, consumuntur tamen fame,* qvam comitatur pestilentia. Qvod plus est: *res prosperæ excæcant homines, adversæ autem eos reddunt certiores.* Fiunt itaqve res victoris deteriores, victorum autem meliores. Obstat qvoqve progressibus M. Mogolis *locorum natura.* Caucasus enim diffundit se in illis confiniis mille ramis, qvorum aliqvi terminant regna, aliis non sufficit terminare: sed & cingunt ea muri instar, alii concludunt ea prorsus, alii autem reddunt transitus difficiles.

Sunt

Sunt ibi adhuc *aliæ regiones steriles, omniumq́ rerum, non aqvæ solùm indigæ*. His adjungitur *temporis jactura*, qvam Principes, qvibus magnum dominium, necessariò faciunt in itineribus. Æstas enim elabitur, anteqvam eò, qvò tendunt, cum eqvis seminecatis exercituq́ve delassato pervenerint, ingruitq́ve hyems, qvæ ipsis adversa, hostibus commodo, &c. Sic ergò *obstacula* heic adsunt *moralia*, *obstacula civilia*, sed & *obstacula naturalia*: qvæ M. Mogoli vias evagandi latiùs præcludunt.

## XII.

## *Qvis interim Scopus Imperii est Mogolici?*

*Scopus primarius* utilitas est dominantis, *secundarius* tamen etiam populi. Nec Imperium hoc ita se habet, qvemadmodum in China, sed longè aliter. Nam (1) *M. Mogol non ita dat operam, ut cives sui sint virtute præditi: nisi qvantum reqviritur ad constituendum dominatum.* Hinc etiam non curat, qvâ religione vivat populus, sed cuiq́ve liberum Religionis permittitur exercitium. Et non tantùm hoc facit, sed ne curat qvidem alios in religione instrui. Tenetur interim populus à Mogole, ut inter se justitiam colat: qvoniam scit, absq́ve hac nullum dominatum consistere. (2) *M. Mogol non contentus est suis finibus, sed perpetuò laborat extendere suum Imperium.* Hinc coguntur subditi opes & vitam effundere, contrà qvàm olim n Regno fiebat Chinæ. (3) *M. Mogol Provin-*

*cias Imperii Præfectis penè cum summa commit-tit potestate*, & etiam permittit, ut Præfecti strenuè populum emungant opibus. Ubi autem Præfecti sunt defuncti, omnia illorum bona eripit ipsis. Ideoqve apparet, *M. Mogolem maximè suam, non populi, qværere salutem.*

XIII.

## *Qvæ forma Imperii est Mogolici?*

*Regimen* ibi *planè ac verè est Monarchicum.* Rex enim ibi solus dominus est omnis soli, proqve lubitu suo donat & adimit agros. Unus ille jus belli & pacis habet: habet potestatem ferendarum & abrogandarum legum: potestatem habet vectigalium: habet & jus vitæ ac necis. Accedit, qvòd omnium Magistratuum constitutio ab arbitrio unius M. Mogolis pendeat. Nec minus etiam omnia judicia ab eodem constituuntur.

XIV.

## *Qvæ ratio est administrandi Rempubl. Mogolicam?*

*Provinciæ per Præfectos administrantur: qvi regio more vivunt, & magnum hominum numerum alunt.* Non verò, nisi habitâ ratione meritorum erga Imperium constituuntur. Sic ergò Principes ibi non nascuntur, sed fiunt. Et si qvi egregiis se nobilitarunt facinoribus, iis M. Mogol Principum titulum ac maxima dona ad vitam largitur. Ita scil. Portæ dignitatum etiam vilissimis patent. Interim, licet Principes illi longè lautius vivant, qvàm Turcarum Bassæ,

Baſſæ, ex nutu tamen Imperatoris vivunt, & qvotannis expectant ex imperatoriâ aulâ ſententiam vel vitæ,vel necis.

XV.

*Qvæ ratio Juris dicendi in Imperio eſt Mogolico?*

Imperator,qvi aliàs ter qvotidiè populo ſe conſpiciendum præbet, ſemel ſingulis ſeptimanis pro tribunali ſedet, ac jus ſtrictè dicit, non ſecundùm leges ſcriptas, ſed ſecundùm bonum & æqvum. Seqvuntur & Provinciarum Præfecti,qvi penè regio more vivunt,in judiciis non jus ſcriptum; ſed æqvum & bonum ſpectantes.

XVI.

*Qvæ Ratio Status in Imperio valet Mogolico?*

Ut tot tamqve latè patentes terrarum tractus ſub ſuo contineat faciliùs jugo M.Mogol, *rigido* in ſuos utendum eſſe cenſet *Imperio*. In id qvoqve intentus eſt M. Mogol, ut neminem ſine donis admittat: qvò ærarium, cui augendo ſummopere ſtudet, diteſcat.

XVII.

*Qvos hoſtes M. habet Mogol,à qvibus ſibi metuat?*

Multùm ſibi metuit à Perſarum Rege. Undè & maximè allaborat,ut eum intra limites contineat. Habet & vicinos præter Perſam Tartaros Usbeqvios, qvos metuat. Qvum autem præterea nullos habeat M. Mogol,à qvibus ſibi

metuat, ideò ſæpè Decanenſes vicinos ſuos ſibi ſubjicere tentavit, ſed fruſtrà.

XVIII.

*Qvas Prætenſiones M. habet Mogol?*

M. Mogol ſibi Imperium arrogat in omnes, qvæ inter Chinenſe, Perſicum, Tartaricum & Eoum Mare interjacent, terras. Nunqvam tamen omnes ſibi potuit ſubjicere.

XIX.

*Qvæ Religio M. eſt Mogolis?*

Tamerlanis tempore Indi omnes planè erant Ethnici: poſtea verò *Muhammedis religionem* ſectari cœperunt: ita ut M. Mogol in hodiernum usqve diem Alkorani dogmata ſectetur, Perſarumqve ſit ſectæ addictus. Alium tamen Alkorani ſui interpretem, *Hembeli* nimirum, ſeqvuntur Indi: ubi Perſæ *ſectam Ali*, Turcæ *Haniſæ*, Tartari verò Usbeqvii *Schafei* expoſitionem admittunt.

XX.

*Qvæ peculiaris præter Muhammedanos Secta eſt ſub M. Mogole?*

Per univerſum Imperium M. Mogolis in magno pretio ſunt BRACHMANES: qvi jam tempore Alexandri M. fuêre celebres, Gymnoſophiſtæ qvoqve dicti, qvòd nudi incederent, non ſecus ac hodieqve faciunt, niſi qvando ad populum, vel alios accedunt homines. Originem autem hi ad DEUM creatorem cœli & terræ referunt. Dicunt enim unum ſummum eſſe

esse DEUM, qvi genuerit filium, dictum in his terris *Braman*, qvòd forma humana conspicuus in iisdem vixerit. Reliqvisse autem in terris, porrò ajunt, sobolem, unde orti essent *Brachmanes* s. *Bramenses*, *Bramini* & *Bramines*. Atq; hujus doctrinæ accuratissimam nobis descriptionem dedit *ABR. ROGERUS*: qvi, qvum *Paliacattæ* in *Chormandel* Indiæ Orient. in & per XV. annos vixisset, Pastorem Belg. & Lusitan. Lingvâ agens, satisq; diu cum Brachmanibus familiariter conversatus, omnia illorum arcana excusserat. Edidit is namq; Librum Belgico sermone, cui Tit. de opene Doer van dat verborgene Heedendomb. Prodiit autem idem hic Liber in nostrâ Vernaculâ *Norimb. Anno 1663.* sub Tit. *ABRAHAM* Rogers offne Thür zu dem verborgenen Heydenthum. Et qvidem cum *Observationibus brevis. ac select. Mantissis CHRISTOPH. ARNOLDI ibid.* prodiit. Cæterùm, de *Brachmanum institutis*, & *qvomodo per Brachmanes superstitio Ægyptiorum, qvave occasione in Persiam, Indiam, & ultimum Orientis Sinarum Japoniorumq; Regnum successu temporis propagata fuerit, de ridicula Brachmanum Religione circa hominum originem, de aliâ Brachmanum fabulosâ doctrinâ*, qvæ est de 10. *incarnationibus DEI*, de *Brachmanum* deniq; *literis*, *qvas arcanas vocant*, *ATHAN. KIRCHERUS Chinæ illustratæ P.* III. *Capp.* IV. V. VI. VII. legatur qvoq; velim.

## XXI.

## *Uberiorem unde Imperii Mogolici notitiam petere licet?*

Nulla qvidem de Imperio Magni Mogolis ap. antiqvos Scriptores reperitur mentio. Idqve vel propterea: qvoniam vasta illa Monarchia per Indiam est recens. Atqve hac etiam de caussa ap. *Lusitanos Scriptores* altissimum de eadem Monarchia est silentium. Etiamsi enim in *Hist. Emmanuelis* multorum Regnorum fiat mentio, de Imperio tamen Mogolico planè tacet. Primi ergò, qvi Europæ hujus Imperii mentionem intulêre, sunt *Jesuitæ.* Postqvam deinde *Angli* eò se contulerunt, & commercia instituerunt, innotuit magis magisqve nobis M. Mogolis Imperium. E variis sanè *Relationibus Anglicanis* multa collegit, inqve unum opus congessit *SAMUEL PURCASSUS.* Maximo in pretio Opus illud ap. curiosos rerum Indicarum indagatores habetur: scriptum qvidem *Linguâ* primum *Anglicana*, deinde verò *in sermonem Batavicum* translatum, ut eò melius posset intelligi. Anno hujus seculi XVI. à Rege Angliæ missus est Legatus *THOMAS ROE*: qvumq; in Aula M. Mogolis per integrum annum versatus esset, *rerum à se visarum Epitomen* perqvam pusillam edidit *Anglicè*: qvæ etiam versa in *Batavicum sermonem* habetur. Singularem verò *Descriptionem Reip. Mogol.* summa cum cura & insigni judicio congessit *JOH. DE LAET*: qvi liber potest esse locô aliorum omnium. Nam qvicqvid

qvid sparsim in multis aliis de hâc Republ. occurrit, id ille in unum congessit Opusculum. Habetur & illarum terrarum, qvas M. tenet Mogol, accurata descriptio in *Itinerario posthumo* nobilissimi Juvenis *à* Mandelsloh: utpote qvi eò profectus omnia diligentissimè observaverat. Persecutus autem est sic satis prolixè res Imperii Mogolici *à cap. X. usq; ad fin. L. I.*

---

# CAPUT VIII.

## *DE*

# IMPERIO TARTARICO-SINICO.

## SECTIO I.

### *De*

### TARTARIA & TARTARIS.

#### EROTEMA I.

#### *Imperium Tartarico-Sinicum qvod, qvale, ac qvantum?*

EST (1) *Imperium in extremis Asiæ partibus situm*, annexum Tartariæ, olim *Cathajum & Regnum Hippophagorum* dictum: cujus limites ab Occasu montes vulgò ponunt Damasios, qvibus ab India discriminatur: ab Ortu Sinensem s. Eoum Oceanum: à Septemtrionibus Murum ultra 300. milliaria German. à

Meridie deniqve præter Montes altissimos arenosum qvoddam & amplum admodum desertum, per qvod non possit duci magnus aliqvis exercitus. (2) *Imperium est florentissimum, inq; universa Asia qvam optimè LL. ac moribus compositum:* ita qvidem ut omnibus Europæis Regnis laudem præripiat. Perhibetur & ipsum secundum Sinensium Traditiones *antiqvissimum:* ita ut initium illius in tempus antediluvianum incidere putetur. Est (3) *Imperium non minus amplum ac spatiosum, qvàm munitum, sibi junctum, populô, annonâ & opibus plenissimum, indeq; pro uno maximorum Imperiorum, qvæ unqvam fuêre, habendum.* Nam amplitudine suâ longè Hispaniam superat & Galliam.

II.

*Undè Tartarico-Sinicum audit?*

Sic conjunctim audit: *qvia magnam partem hodiè tenetur à Tartaris.* Et parùm superest, qvin vastissimum illud Imperium ante aliqvot lustra in manus Tartarorum pervenerit.

III.

*TARTARORUM nomen recens est, an antiqvum?*

Antiqvius est, qvàm vulgò traditur. Anni sanè 400. & amplius aguntur, ex qvo Europæis innotescere nomen Tartarorum cœpit.

IV.

*Illi qvâ maximè re innotuerunt?*

Innotuerunt *rerum gestarum multitudine:*

eò qvod populi hi universam penè Asiam Duce *Gingis-Chan* Imperio suo subjicerent. *Gingis-Chan* videlicet, vastissimi Imperii circa *Seculum XIII.* conditor, Scythiam in unicam redegit Monarchiam, ac qvatuor exercitibus, versus IV. mundi plagas emissis, totum Orbem vel occupavit, vel perterruit. Pervenerunt tunc etiam ingenti cum exercitu Tartari in Poloniam, in Hungariam trans Danubium, (Ober-Ungern) in Austriam, in Bohemiam, inqve Silesiam usqve ad Oderam, & versus Orientem Indiam atqve Chinam expugnarunt.

V.

*Anne autem diu steiit hæc Tartarorum Monarchia?*

Non diu stetit: sed sensim intestinis dissidiis post *Seculum XIII.* decrevit: donec A. C. 1388. *Tamerlanes* totam iterum Tartariam in unum redegit corpus. Sed ejus posteritas, iterum brevi tempore in partes scissa, omnia amisit, sòlâ exceptâ Indiâ, qvæ hodiè vocatur *Imp. M. Mogolis.* In hoc enim Imperio hodienum Tamerlanis posteritas dominatur.

VI.

*Qvî factum, ut & post Gingis-Chanis & post Tamerlanis fata Monarchia Tartarorum caderet?*

Factum id: qvia post utriusqve fata partim *Præfecti Tartarorum varia instituerent Regna,* qvi nosse tamen debuissent, *vim unitam esse fortiorem*: partim *multi ab illis desciscerent po-*

*puli.* Sic igitur etiamsi hodieqve soleant nonnulli memorare *Imperium M. Cham*, uti vulgò dicitur; nec amplius tamen aliqvis reperitur *M. Cham.* Est namqve vastum illud Tartarorum Imperium in multas exiguas partes direptum hodiè æqvè ac diremptum. Qvin imò superiori Seculo duo integra Regna Tartarica, satis magna & libera, *Casan* nempe &*Astracan*, subjugata M. Dux Moscoviæ tenere cœpit.

## VII.
## *Tartari in tot hodie partes scissi, qvo olim veniebant nomine?*

Populi, qvos hodiè generatim *TARTAROS* sive rectiùs, *TATAROS*, ex Nomine proprio תתאר vel תתר *Tatar* appellamus, communi *SCYTHARUM* nomine veniebant, ac habitabant cis & ultra montem Imaum Ortum Austrumve versus, facti celebres, longè latèq; virtute prolatis pomœriis, per totum terrarum Orbem. Et qvanqvam sæpius petiti ab exteris Principibus, nunqvam tamen fuêre subacti, neqve unqvam peregrino submisere colla jugo. *Cyrum* qvidem cum omni suo exercitu duce fœmina jugularunt, sed *Darium* turpi fuga se recipere coëgerunt. *Alexander* qvoqve *Macedo* perdidit omnes, qvas adversus eos eduxerat, copias. *Romanorum* nomen Scythæ audiverunt, vires autem & arma non sunt experti.

VIII.

VIII.

*Qvotuplices illi hodiè sunt?*

Qvum Tartarorum alii hodiè in *Europâ* vivant, alii in *Asiâ*, *EUROPÆI* qvidam, qvidam *ASIATICI* dici meruêre: ut sic omninò ipsi non tantùm *Tartari* duplices essent, *Europæi* & *Asiatici*; verùm etiam universa *Tartaria in Europæam* & *Asiaticam* divideretur.

IX.

*Qvinam Tartari sunt Europæi?*

*Sunt hi, qvi dicuntur Tartari Præcopitæ s. Præcopenses*: qvi & *Crimei* dicuntur. Qvid? qvod referri huc possint *Tartari Zavolhenses. Illi* nempe, *qvi hodiè sub obseqvio Moscorum Regnum Casan & Astracan tenent. Tartaros* item huc referunt *Nagagenses*: qvi hodiè tamen planè sunt liberi, & nemini obtemperant, mediô locô positi inter Moscos, Turcas & Persas. Tuti autem sunt non tam propriâ potentiâ, qvàm ratione sitûs & æmulatione suorum vicinorum. Situs nempe eorum talis est, ut à vicinis facilè superari neqveant.

X.

*Tartari, qvi dicuntur PRÆCOPITÆ & CRIMEI, qvam tenent partem Europæ?*

*Tauricam* tenent *Chersonesum* & *vicina loca*. Qvum autem *Chersonesus Taurica*, perpetuô jugô satis altorum montium districta, in *Australem* distingvatur & *Septentrionalem*, sciendum heic *Septentrionalem partem* esse, qvæ

*teneatur à Tartaris Præcop.* Nam Australem tenet Turca, estq; Metropolis ejus *Caffa, Theodosia* olim dicta: qvæ etiam præbet sedem cuidam Beglerbego.

XI.

*Unde hoc nomen sibi habent, ut dicantur PRÆCOPITÆ?*

Nomen *Præcopitæ Tartari* ab oppido, penè in ipsa Chersoneso inter paludem Mæotidem & Sinum Maris sito, habent: cui nomen *Przecop.* Hoc qvoniam non rectè possumus pronunciare, dicimus *Pracops,* i. e. *fossa.* Nam fossa ibi inter Mæotidem est & Sinum Maris. Qvamvis autem major vis Tartarorum Præcopensium ibi sit collocata, ulterius tamen eorum patet Imperium. Tenent enim omne id, qvod est inter Borysthenem amnem & Tanaim, & partem etiam aliqvam Moscoviæ. Nullæ tamen ibi sunt urbes, qvas Tartari sibi condidêre, sed vasta deserta, ibiqve illi vagantur, pascuntq; sua armenta. In pace nempe in plaustris vivunt ac pasturam exercent more antiqvo: qvemadmodum etiam olim Scythæ.

XII.

*Qvæ sedes primaria Principis est Tartarorum horum?*

Sedes primaria illius est *CRIM*, urbs antiqvissima extra Chersonesum sita, à qvâ *Tartari* dicuntur *Crimei:* qvibus & *Tartari Circassi* ex parte subsunt.

XIII.

XIII

*Qvæ potentia ac vires ejusdem sunt Principis?*

Tartarorum Præcopitarum Princeps Classe qvidem non est instructus: neqve uti solet pedite: magno autem eqvitum numerô valet. Sæpè enim 200000. eqvites eduxit: qvorum arma arcus sunt & sagittæ, qvibus cum pugnando, tum fugiendo utuntur. Reverà autem in obseqviô hi Tartari sunt Turcæ, atq; huic qvodammodo subjecti. Nec audent etiam absq; consensu illius contra qvemqvam arma sumere. Qvin potius eidem perpetuò esse solent, si non præsidio, tamen auxilio. Nam, si qvidem ille velit, coguntur auxilia mittere.

XIV.

*Qvæ divitiæ ac opes?*

Ex prædis, qvas Tartari, per Europam, & alii etiam per Asiam, dispalata multitudine vagi, corraserunt, non parvæ sanè Tartarici Chami æstimari possunt opes. Etenim *proprium Tartarorum* hoc est: ut *perpetuis excursionibus populos vicinos vexent, ac imprimis ingentē hominum multitudinem in servitutem abripiant*. Unde & debilitantur alii, & ipsi accessione tot mancipiorum robur suum augent, & ingentem pecuniam ex redemptione colligunt. Nuspiam igitur copiosior hominum mercatura, qvàm ap. Tartaros exercent.

XV.

*Qvem scopum sibi præfixum habet?*

Si Tartarici Principis, acta percurramus, sa-

nè, *non alium ſcopum huic eſſe præpoſitum, qvàm ut bene ſit ſubditis*, videmus. Non ibi qværitur commodum dominantis, ſed parentis. Et qvanqvam ratio imperantis qvoqve habeatur, nec tamen ſalus negligitur totius populi. Longè itaqve melior hac in parte conditio eſt Reip. hujus Tartar. (*Præcopenſem* puto, ſ. *Crimenſem*) qvàm Turcicæ. Talem autem ſcopum illius eſſe, vel indè apparet: qvia à Domino ſuo hi Tartari non ita tributis atteruntur, nec ita ſervili jugo premuntur, ut Turcæ: ſed ſic ſatis clementer habentur. Et verò Dominus id unicè dat operam, ut omnibus benè ſit.

XVI.

*Qvæ forma Reip. hujus Tartaricæ?*

Non ita inſtructa eſt, ut ap. Turcas: ſed *Principatus* tamen heic obtinet *legitimus*. Nec enim omnia ita pendent ab unius arbitrio: ſed Princeps juxta LL. & Conſvetudines ſe gerere tenetur. Nec Leges etiam ibi inſtituuntur ex unius arbitrio Principis, ſed ſimul è conſilio Procerum. Apparet hinc: *Remp. Tartarorum Præcop.* ſ. *Crimenſ.* qvi uni parent Principi, *non puram eſſe ac ſimplicem, ſed mixtam*, h. e. *Monarchiam eſſe Ariſtocratiâ temperatam. Interim tamen prævalet Principatus.* Principis enim autoritas major eſt. Ubi autem hæc præponderat, ibi etiam præponderat Principatus.

XVII.

*Qvæ eſt ratio Regiminis, & qvod ad Belli, & qvod ad Pacis negotia?*

Belli-

Bellica negotia omnia partim expediuntur à Principe ipso, partim etiam ab aliis, qvibus isthæc cura commissa. Qvod attinet Pacis negotia, cùm sacra, tùm profana, à Principe administrantur. Ipse jus dicit: & ita qvidem, ut ad eum provocetur, caussæqve ad ipsum omnes deferantur. Nec tamen ipse solus jus dicit, cumprimis in negotiis magni momenti. Potestas namq; juris dicendi qvoq; est ap. Proceres. Minora tamen, eaq; sacra, negotia administrantur à Sacerdotibus.

## XIIX.

### *Ad qvemnam bellica præprimis negotia ap. Tart. expediuntur modum?*

Ad hunc expediuntur modum: ut, qvoniam populus in varias cohortes distinctus, qvas dicere solent HORDAS, certæ mittantur, qvoties bellum est decretum, HORDÆ. Omnes autem sine discrimine ad militiam evocantur: nec cuiqvam à bello datur immunitas, nisi decrepitis, fœminis, pueris, atq; his, qvi curant Sacra & Rempubl. Reliqvis non est permissum domi manere.

## XIX.

### *HORDA qvid propriè est Tartaris?*

Apud Tartaros *Horda*, propriè *est conventus hominum multorum: qvi unà habitant, & qvasi parvam Remp. constituunt, ita tamen inter se distributorum, ut Decuriones aliis qvidem impe-*

*rent, ipsi pareant Centurionibus, & hi Chiliarchis.* Sunt autem Hordæ qvædam, qvæ suos Duces singulares agnoscunt: qvædam Mosco parent, illiq; tributum persolvunt: maxima tamen pars earum Tartarorum Chamo subest, ejusq; veneratur imperium.

## XX.

### *Per qvem verò Respubl. Tartarica Præcopensis maximè regitur ac dirigitur?*

Regitur & dirigitur maximè per suum Principem, Tartaricâ voce CHAN, s. CHAM, qvod est *Dominus*, dictum. Turcæ vocant eum ULUCAMUM, i. e. *Magnum Principem*, ipseq; residet hodiè *Baccasariæ.* Sciendum autem heic, vocabulum *Chan* s. *Cham* in antiqvissimo ap. Scythas fuisse usu. Hujus enim gentis qvum sint Tartari, Lingvam qvoq; Scythicam retinent. Et sanè nomen illud non proprium tantùm Tartarorum est Præcopensium; sed etiam Turcarum Imp. solet dici *Chan* vel *Cham.* E. g. *Sultan Amurathes s. Morad Chan, Sultan Mustapha Chan.* Nam & Turcæ sunt originis Tartaricæ, & conseqventer Scythicæ. In Persia qvoqve omnes Præfecti regii vocari solent *Chanes:* qvi aliàs ap. Turcas *Bassæ* appellantur & *Beglerbegi.* Ipse tamen Rex Persiæ abstinet ab hoc vocab. Mavult enim audire ap. suos SCHAH.

## XXI.

### *Qvibus ille utitur fulcris?*

*Duo-*

*Duobus Senatibus*, tanqvam firmiſſimis fulcris, utitur Tartarorum Præcop. Princeps. Unus eſt *Belli*, conſtans hominibus prudentiſſimis inq; re militari verſatiſſimis: alter eſt *Regni*, conſtans Senatoribus, qvi in rebus patriæ boniq; publici ſunt exercitatiſſimi. Penes hos pleraq; Regni ſunt negotia: in horum manu eſt punire delinqventes, & præmiis afficere benè meritos.

## XXII.

### *Qvibus Rempubl. ſuam conſervare ſtudet mediis ?*

Si verum fateri velimus, incolumitas Reipubl. Tartar. conſiſtit in *præmiis & pœnis*. His enim duobus mediis etiam barbariſſimi Principes in officio retinent Populum, iisdemq; item ſuam conſervant Rempubl.

## XXIII.

### *Qvis modus in eadem Republ. perveniendi ad poteſtatem civilem hodiè valet ?*

Valet ibi *ſucceſſio*. Familia enim *Kireorum*, qvæ ipſa Crimenſem ſ. Præcopenſem per *Azi Kirai* condidit Principatum, jure hæreditario imperat. Ratio tamen ſucceſſionis non eſt eadem, qvæ ap. nos. Succedit enim ſemper frater fratri. Filius patri non ſuccedit, niſi extinctis demum Patris fratribus. Is, qvi proximum jus ſuccedendi habet, ſolet dici GALGA, ut ap. Gallos DELPHINUS: qvippe qvi idem eſt ac *proximus Regni ſucceſſor*. Undè

&

& ille semper secundô post Principem est locô, etiam Principe adhuc vivô: qvoniam nempe ille non tantùm defuncto Principe jus habet succedendi, sed & illô adhuc vivô militiæ præfecturam habet. Filii interim regii in numero sunt Nobilium: utqve nomine distingvantur à reliqvo populo, dicuntur SULTANI.

XXIV.

*Officia qvomodo in hâc Republ. solent distribui?*

Solent distribui ratione *generis* & *virtutis*. Habent enim Tartari suos Nobiles, qvos Turcæ non habent. Qvare, qvum ita illi præsident aliis, dicuntur MURSÆ aut MYRSÆ, q. d. *viros eximiæ nobilitatis*. Apparet hinc, MAGNAM *in Tartaria Præcop.* RATIONEM HABERI NOBILITATIS.

XXV.

Transeo ab *EUROPÆIS* ad Tartaros *ASIATICOS*, & qværo: *qvinam sint Tartari illi Asiatici?*

Sunt, qvibus hodiè in Asia varia hinc inde sunt Regna, habentes à Septentrione pro claustro *Mare Scythicum*, ab Occasu *longum* istum *Sinum*, in qvem *Obius* fluvius devolvitur, & lineam ad *Tanaim* & *VVolgæ* ostia ductum, à Meridie *Mare Caspium*, *Persiam* & *Sinam*, ab Ortu fretum *Aniam*, per qvod ab America separantur.

XXVI.

*Qvomodo dividi poßunt?*

Poſſunt dividi in *hos, qvi à nobis remotiores,* in *illos, qvi Chinæ* vel *Sinæ proximi* ſunt, & in *iſtos, qvi omnium ſunt poſtremi.*

XXVII.

*Qvi Tartari Aſiatici ſunt à nobis remotiores?*

Sunt, qvi tenent *Tartariam deſertam, Tartariam Zagatajam, Regnum Turkeſtan.* Sunt præterea à nobis remotiores *Tartari Usbeqvii.*

XXIIX.

*Annon, qvi tenent Tartariam deſertam, Europæis annumerari ſolent Tartaris?*

*Annumerari* qvidem *his illi ſolent; verùm non ſimpliciter omnes, ſed Zavolhenſes ſaltem ſ. Bulgari:* è qvorum Imperio Regna *Caſan, Aſtracan* & *Nagagenſes* originem trahunt. Accedit, qvòd *non tam ratione ſoli* annumerari ſoleant illi Europæis, *qvàm ratione jugi*, cui hodiè ſubſunt. Nempe annumerantur Europæis, non qvatenus Tartariam deſertam tenent; ſed partim qvatenus Europæo cuidam Monarchæ, h. e. M. Duci Moſcoviæ, parent, ut *Tartari Caſanenſes* ſunt & *Aſtracenſes:* partim qvatenus, medio loco inter Moſcos, Turcas & Perſas poſiti, Europæorum more liberè vivunt, ut *Tartari* ſunt *Nagagenſes.* Interim è Tartariæ deſertæ incolis Europæis annumerari non pos-

possunt *Tartari Tumenses*, non *Schianbacenses* ad Caspium Mare, *Cosakenses* & *Backirdenses*, non *Mecriti* & *Samojedi* in Scythia intra Imaum versus Oceanum: etiamsi hi qvidem ferarum pelles Moscovitæ pro tributo persolvant.

XXIX.

*E Tartaris Asiat. remotioribus qvinam sunt Zagataji?*

Sunt, qvi, à Meridie Tartariæ desertæ juncti, à Septentrione *Juxartem* fl. (qvi hodiè *Kesel* dicitur) ab Ortu Turkestan, à Meridie Persiam habent. Unde & ferè perpetua cum Persis habent bella. Sedes Regni est Samarkanda s. Maracanda, ad ripas fluvii *Amo* posita: ibiqve ex Tartaris Moselmannis qvidam residet.

XXX.

*Ex iisdem Tartari Turkestanenses qvi sunt?*

Sunt, qvi tenent *Turkestan, potiorem hodiè Tartariæ regionem, sitam trans fluvium Sihun*, qvi veterum Juxartes. Hæc *vetus Turcarum Patria*. Ibi enim ante multa secula vixerunt, ac regnarunt: anteqvam magna ipsorum pars primò in Persiam, indè in Asiam Min. & tandem in Europam sese effunderet.

XXXI.

*Qvi Tartari sunt Ilsbeqvii?*

Sunt, qvi ad fl. *Oxum* habitant, & multum negotii Persæ faciunt; qvanqvam eorum pars qvædam eidem hodiè sit tributaria.

XXXII.

XXXII.

Seqvuntur Tartari *Chinæ proximi. Qvotuplices autem illi sunt?*

Sunt *duplices*, *Orientales* alii, alii *Occidentales*. *Orientales*, qvorum Regna *Niuche* & *Niulhan* hodiè celebrantur, magnâ ex parte Europæis ignoti sunt. In *Occidentali Tartariâ Asiaticâ*, qvæ proxima Chinæ, est *Samahania* & *Taniu*. Niuche verò & Taniu Reges illi ipsi sunt: qvi, omnium proximi Sinis, semper eos magnoperè afflixerunt, ac tandem subjugârunt.

XXXIII.

*Qvi deniq; postremi omnium in Asia sunt Tartari?*

*Tartarorum postremi* ad Mare Eoum sunt (1) *rupi*: qvi à loricis, ex piscium pellibus factis, ita appellantur. (2) *Tartari* in *Thebet*: qvæ Sinæ ad Occasum est. Sunt & alia Tartarorum extrema Regna: qvæ ad Mare usqve Orientale ultra Japonicum se extendunt, & per fretum Anian à *Qvevira* Americæ disterminantur.

XXXIV.

*Qvô jam hoc omne, qvicqvid supra Mare Caspium & Oxum fl. terrarum inter Russiam & Chinam tenent Tartari, venit nomine?*

TAR-

TARTARIA MAGNA dicitur: eſtq; vetus illa *Scythia, barbara & inculta in univerſum regio, nunqvam ab exteris debellata, ipſa totius Aſiæ multoties victrix; Regio ingentis magnitudinis, tertiam univerſæ Aſiæ partem complectens.*

## XXXV.

## *Tartaria hæc M. & reliqva Tartaria omnis, cujus eſt Religionis?*

Magna Religionis diverſitas eſt in *Tartaria.* Sanè in *Europæa* illa, qvæ dici poteſt *Tartaria Minor*, plurimi ſeqvuntur Muhammediſmum: qvippe qvem receperunt A. C. 1246. obſervantes Libros Moyſis, & qvæ veteri Lege imperata ſunt. Clamant autem cotidiè elatâ voce: לא אלה אלא אללה. *La iláha illa Alláho*, h. e. *non eſt DEUS alius, niſi unus verus DEUS.* Non enim ſolùm corde & ſpiritu, ſed & totô corpore totisq; viribus divinum Numen laudandum & colendum autumant. Pleriqve tamen in *Tartaria Magnâ, Aſiatici* nempe, iiqve *Sinæ proximi*, ut & illi *omnium poſtremi*, ſunt *Idololatræ*, qvorum fides eſt: *duos credere Deos, unum cœli, alterum terræ. A priore*, cui ſingulis diebus adolent, nihil petunt aliud, qvàm ut mens ſit ſana in corpore ſano. Ab *altero* cæteras res petunt, abundantiam ſcil. frugum, multiplicationem pecudum & pecuniarum. In cæteris qvoqve honore afficiunt Solem, Lunam, IV. Elementa, iisq; ſacrificia offerunt, animas qvidem ho-

hominum immortales ſtatuentes, ſed easdem ex uno corpore in aliud migrare, & domicilium aliàs commodum, aliàs incommodum, nanciſci pro ratione actorum vitæ, credentes. Imò qvidam vix ullius ſunt Religionis, ut Tartari, qvi *Niuche* & *Kin* appellantur: Sacrificulos tamen, qvos *Lama* vocant, habent, cum mortuorum cadaveribus fœminas etiam & famulos comburere ſolent: qvanqvam illi, qvi Sinam hodiè incolunt, ab hoc ſcelere abſtinere dicuntur.

## XXXVI.

### *Talia & alia, qvæ tenus hâc de Tartaris & Tartariâ ex te, occaſione datâ, audivi, undè fuſiùs cognoſcere licet?*

Tartariæ totius ſtatum, qvum circa A. C. 1290. HAITHON *Armenus*, & paulò ante eundem M. PAULUS VENETUS, oculati teſtes, diligenter deſcripſerint, præcipuè illi in *Rebus Tartaricis antiqvioribus* fuſiùs cognoſcendis conſulendi ſunt. Meretur ſanè de priſco Tartarorum Imperio horumqve rebus priſcis legi HAITHON ille: qvum ipſe omnium præclariſſimè *hiſtoriam Tartarorum ſui ævi* ſcripſerit: Qvam qvidem magnum Acad. Juliæ decus, REINERUS REINECCIUS, edidit. Multò magis meretur legi M. PAULUS VENETUS: cujus *Hiſtoria* ibidem à *Reinero Reineccio* edita habetur. Nam ille, diu cum uno è Succeſſoribus *Gingis-Chan* converſatus, omnium optimè

mè prodere res Tartarorum potuit. Addatur interim duobus illis laudatissimis Scriptoribus *Tartaria* MART. BRONIOVII, *Asiatica de Tartarorum potentia & ortu* JAC. NAVARCHI *Epistola*; *Historia* item *Tamerlanis*, à JOH. DE BEC, *Abbate Mortemerensi, ex Arabico collecta*, eaq; Germanicè edita *Cothoniæ*. Consulatur nec minus heic loci *Archontolog. Cosm.* GOTHOFREDI. Habes enim ibi qvædam de *Tart. 1. gente. 2. moribus. 3. potentia. 4. opulentia, 5. gubernandi ratione, 6. Religione*, lectu haut injucunda: nisi qvòd ille è communi qvorundam errore *Catainensium Tartarorum* meminerit: qvi nulli tamen olim fuêre. Ne dicam, nullum & hodiè *Magnum Chamum* reperiri, *qvi Catajam, & qvidem tantùm*, ut vulgò putatur, *obtineat*. JACOB. GOLIUS namq; in *eruditissimo Scripto de Cataja* rationibus sat validis evincit: *Catajam intra magnum illum Sinensis Imperii murum contineri.*

## XXXVII.

## *Qvinam autem Tartari è tam diversa Tartarorum gente sunt, qvi maximam partem Sinæ tenent hodiè, & unde venerunt?*

*Sinæ*, qvæ inde conjunctim *Tartarico-Sin.* audit *Imperium*, maximam partem *Tartari* jam tenent, *qvi venerant è Tartariâ M. habitantes* videlicet *in extremis Asiæ partibus, planeq; distincti ab his, qvi subfuêre olim Tamerlani.* ASIATICI, insto, & qvidem ORIENTALES

*ex iis, qvi* PROXIMIORES SINIS, nempe NIUCHENSES *Tartari* ſunt, qvi Sinam qvoad maximam partem noſtro hoc tenent ſeculô: ut verè ſic *Imperium* illud TARTARICO-SINICUM audiat.

## XXXIIX.

### *Qvo tempore Tartari occupare primùm cœpêre Sinam?*

Factum initium occupationis, qvemadmodum ipſi fatentur Sinenſes circa *A. C.* 1206. adeoqve circa ipſa florentiſſimi Imp. Tartarici M. Chami primordia. Non potuerunt tamen Tartari univerſum illud Imp. ſtatim occupare, ſed per partes Et duravit ſanè, fatentibus ipſis Sinenſibus, bellum illud per *annos* 73. Tandem univerſum Imperium Sinarum *Anno* 1278. primùm in ditionem Tartarorum pervenit.

## XXXIX.

### *Qvamdiu tunc Sinarum Imperium ſub Tartarorum ditione manſit?*

Manſit in Tartarorum poteſtate per integros *annos* 70. & qvidem in tranqvilla poſſeſſione. Fuit autem regnatum ſpatio hoc 70. Ann. à prima nempe occupatione uſq; ad extinctionem Imp. Tartarici, per *Reges Tartaricos novem*.

XL.

## XL.

## *Ecqvid autem maximè olim Tartarorum in Sina fregerat potentiam?*

Fregerant hanc *delicia* & *otium*. Sic enim omninò fortiſſimi populi deliciis frangi ſolent, nihilqve magis populis bellicoſis obeſt, qvàm deliciæ & otium. Et verò compertum hoc eſt, *per totum terrarum orbem fortiſſimos populos deliciis & otio fractos eſſe.* Qvod itaqve Hannibali in Campania, pulcherrima illa non modò Italiæ, ſed totius tunc terrarum Orbis plagâ, cujus cœlo nihil mollius, ſolo nihil uberius, mari nihil hoſpitalius, contigerat: ut nempe invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ ſoles & tepentes fontibus Bajæ ſubigerent: idem Tartaris in Sinâ, regione omnium fœcundiſſima, contingebat fatum. Etenim, qvum victoriâ, qvâ uti debuiſſent, deliciando ac otiando frui mallent, molli hâc vitâ occaſionem Sinenſibus ſe in priſtinam libertatem aſſerendi ultrò dabant. Rectè LUCANUS hinc canit:

*— — Acrior hoſte*
*Luxuriæ incubuit, victumq; ulciſcitur Orbem.*

## XLI.

## *Qvomodo Sinenſes in libertatem ſe iterum aſſeruêre?*

Fecêre id partim *interemptis*, partim etiam *expulſis Tartaris Anno 1368.* Et qvidem homo tenuiſſimæ ſortis tantarum rerum dedit auſpicium. Erat nempe Bonzii ſ. Sacrificuli cujus

juſdam famulus: qvi, primùm latronem agens, inq; montibus collectâ multitudine robuſtior factus, tantâ felicitate tantâq; potentiâ tandem pollebat, ut totum Regnum Tartaricum evertere, atq; Tartaros vel cædere, vel toto Regno ejicere poſſet. Ab eo tempore Imperium Sinarum novo modo cœpit inſtitui, novâ qvadam regiâ, nempe Taiminga, natâ familiâ. Ille namq; Bonzii famulus, qvi ejecerat Tartaros, factus Rex, non modò familiam ſuam feliciter propagavit, ſed & novas tulit leges, illamqve formam inſtituit Imperii, qvæ ad noſtram usq; memoriam continuatur.

## XLII.

## *Qvod Conſectarium hujus eſt loci?*

Eſt hoc: ut diſcamus, *ſæpe DEUM per homines tenuiſſimæ ſortis ſolere res maximas gerere, & vaſta condere Imperia.* Certè enim, ſi qvis accuratè velit ad hujusmodi res advertere, non poteſt non fateri, in talibus Regnorum mutationibus ſemper aliqvid eſſe divinum, adeoq; non omnia dependere ab humanâ prudentiâ. Vide ſis in *Politicis ad Machiavellum Animadv.* CONRINGIUM, latiùs de hoc Argumento diſputantem. Ipſe ſiqvidem *Machiavellus*, qvem ob Atheiſmum omnes Theologi ac multi Politici etiam impugnant, cùm aliàs, tùm etiam *in ſuo Principe* idem nobiscum fateri cogitur.

XLIII.

*Sed iidem Tartari qvando denuò Sinam expugnârunt?*

Qvum florentissimus Sinæ status jam ad *annum hujus Seculi XLIV.* durâsset, vicini Tartari rursus cœperunt Imperio Sinensium inhiare, illiq; pedem inferre. Qvod ipsum illis adeo feliciter cessit, ut, *Anno 1647.* ingenti irruptione factâ, urbeq; Regia Pekin captâ, propè universo florentissimo Sinæ Imperio potiti fuerint, idq; hodienum teneant.

XLIV.

*Qvâ occasione freti illi denuò Sinam irruperunt?*

Freti *occasione* qv. *ultrô oblatâ* denuò irruperunt Sinam Tartari. Nam, qvum miles præsidiarius mollis jam factus esset, in eam miseriam pervenerunt Sinenses, ut, superato illo immenso muro, qvem narrant Histor. ultra 300. milliaria German. extendi, à Tartaris iterum ipsorum occuparetur Patria.

XLV.

*Qvâ iidem prudentiâ in tam vastô Imperiô usi sunt Tartari, ut ne fortè ille mox iterum exciderent?*

*Hâc* usi sunt *prudentiâ: ut in pristino statu omnia relinqverent, imperium autem militare ad se pertraherent.* Et ne Tartarorum paucitas ex corporis habitu, per qvem à Sinensibus sunt diversi, pateret populo, ad eundem cor-

po-

poris habitum & tondendos capillos Sinenses adegerunt.

---

## SECTIO II.
## De
## SINA ipsa & SINENSIBUS.

### EROTEMA I.

*Imperium Sinense seorsim unde ita dici olim meruit?*

SIc dici seorsim olim meruit à *SINA*, *extrema Asiæ terra:* cujus *longitudo* à Tartarorum finibus ac Promontorio *Ningpo* urbis usqve ad Damasios montes *mill. Germ. 450. latitudo milliarium 300.* qvanqvam *MARTINIUS*, *latitudinem maximam à decimo octavo Gradu ad 42. Borealis Hemisphærii esse*, dicat.

### II.

*Rectiusne SINA, an CHINA scribitur ac legitur?*

*Sinarum* nomen qvum jam olim MARCIANUS ὁ περιηγητὴς *Scriptor vetustissimus* (cujus *MSS. in Biblioth. Oxon.* reperitur) usurparit, idqve PTOLOMÆUS *L. VII. c.3.* retinuerit, Σίνας ab Orientis γῆ ἀγνώστῳ *Lib. VI. c.9.* circumscribens, verisimile videtur, *Lusitanos inde, non verò ex Siam vel Concinchina, vocem deduxisse.* Respondet certè ei Arabicum צינין *Tzinin:* unde Sinarum Metropolis, juxta SCALIG. *Isagog. Can. L. III.*

 unà

unà cum *Animadv. ad Euseb. Chron. editâ*, *p.* 327. ΘΙΝΑΙ dicta fuerit: qvum Θ cum leni sibilo, Tz cum densiori efferatur. Non immeritò hinc laudatus SCALIG. *d. l.* vitiosam Chinensium & Chinarum appellationem taxat: qvippe qvæ vitiô duntaxat Lingvæ Lusitanæ, sibilum Tz neutiqvam exprimentis, in omnem Europam propagata sit. Accedit: qvòd idem *illustris* SCALIG *L. V. de Emendat. Temporum p* 346. *Sinas imperitè ab Hispanis Chinas appellari*, demonstret. Sic ergò contenti erimus cum J. SCALIG. vocare SINAS, ac suum cuiqve pronunciandi usum relinqvere. Etsi enim MARTINIUS, è regiâ qvadam familiâ CIN ortam SINARUM appellationem fuisse, perhibeat, nihil tamen aliud exindè colligere licet, qvam nomen illud saltem non prorsus à gente nostra alienum fuisse. Aliàs *IS. VOSS. Observ. ad P. MEL. L. I. c. 2. p. 8. in totô Sinarum Regno nomen hoc ignotum*, scribit: *imò exterorum factum esse imperitiâ, ut vastum illud Imperium, qvo nullum unqvam in Orbe illustrius fuerit, Sinarum nomine cognosceretur.* Sanè SERES, qvorum ap. *Horat. L. I. Carm. Od. 12. & L. IV. Od. ult. Lucan. in 1. Pharf. Plin. L. VI. c. 12.* fit mentio, à Sinensibus nostris nonnisi solâ appellatione discrepare, tenus hâc ab aliis evidenter demonstratum habetur. Utplurimùm tamen voce CHUNCHOA & CHUNQVE Imperii sui majestatem exprimunt, qvæ illa *Regnum mediterraneum* significat, hæc verò *ejus-*

*jusdem amœnitatem FLORIS* encomio commendat.

III.

*Qvis situm ac mores Sinarum primus in Europâ prodidit?*

Primus id fecit *M. PAULUS VENETUS*, ex Eremitarum Ordine in universa Italia nominatissimus. Is enim qvum circa *A.C. MCC.* Orientem lustrâsset, *Catajorum* nomine Imperium hoc indigitavit, inq; eodem observata suis retulit. Extant autem *Veneti* illius *Libri* III. *de Region. Oriental. in Corp. Script. Novi Orb.* editô *Basil.* 1537. Paulum secutus *JOH. MANDEVILL, Anglus, Itin. c. LXXII. & XXII. Catajorum* s. *Sinensium* eruditionem pariter ac subtilitatem in omni literarum genere prædicavit: qvibus tamen relationibus olim fides nullatenus adhibita. Lusitanorum tandem freqventiores in Indiam excursiones Itinerisq; Socii Societatis Jesu Patres, obscurum hactenus in universo Orbe celebratissimum Sinense reddidêre Imperium.

IV.

*Anne autem adeò antiqvum, ut vulgò perhibetur, Imperium est Sinense?*

Ita scil. ipsorum Sinensium traditiones, qvas *JOH. GONZALES de MENDOZA* refert, perhibent, initium hujus Imperii incidere in tempus ante diluvium & *A. M.* 1417.

Verùm Sinensium hanc antiqvitatem, frustrà ab *IS. VOSSIO* jactatam, *CL. HORNIUS* ceu inanem ac mendaciloqvam omnium oculis ante paucos annos *Dissertat. de verâ ætate Mundi c. XII.* subjecit. Qvid? qvòd idem ibidem *HORNIUS* eruditè ostendat, *Catalogum Regum* ap. *Sinenses*, cujus initia superant æram diluvii Mosaicam, *non exactæ veritatis esse.* Vide sis hâc de re fusius *MARESIUM in Refutat. Fab. Præ-Adamit.* Qv. 3. §. 53. dissertantem. Is qvippe ibi litem omnem de Sinensium Chronologia molliter componit.

V.

*Qvid novi tamen peculiariter, etiamsi non immeritò suspecta tam cana Imperii Sinici habeatur antiqvitas, de Sinensium Linguâ in erudito Orbe circumfertur hodie?*

Prodiit in Angliâ, è qvâ semper aliqvid novi, ut olim ex Africâ, per *JOH. WEB. Armigerum, Londini Anno 1669.* impensis *Nath. Brook*, *novum Specimen Historicum:* qvo probabile reddere allaborat Autor, *Lingvam Sinensium fuisse primitivam.* Probare videl. in imprævisо hoc Specimine indubitatis sibi autoritatibus ille contendit: (1) *Sinenses à Noachi diluvio populum semper extitisse, sicut & ante Lingvarum confusionem, cui absentes,* illius qvidem sententiâ, *fuissent:* (2) *ipsorum sermonem, indesinenter omnibus temporibus à* tem-

*tempore nempe, qvo auspicati essent populus fieri, libris conscriptum, semper servatum fuisse;* (3) *Characteres, qvibus hujusmodi Libri conscripti, eosdem esse, qvi ab omni antiqvitate ex originalibus hieroglyphicis extracti :* (4) *ipsorum Lingvam semper exinde his Characteribus constitisse, & secundum eos in hunc præsentem usq; diem purè enunciari :* (5) *iisdem Characteribus Sinensium Lingvam per universum Orbem intellectam fuisse.* Atqve sic Autor tandem ex iis omnibus simul sumptis infert: *unam Sinarum Lingvam maternam vel naturalem in sua puritate absq; ulla alteratione remansisse.*

VI.

*Qvæ animi tui super illato novo hoc Paradoxo, nec non super iis, è qvibus illud infertur, mens est?*

Ita Ego eqvidem sentio: qvòd eandem in primævitate, Sinensi Lingvæ asserendâ, Autor impræviši illius Speciminis luserit operam, qvam ingeniosus ille & eruditus nugator *JOH. GOROPIUS BECANUS* luserat: qvum seriò an jocô, certè multô sudore & magnis Libris, contenderet: *DEUM in Paradiso, & primos reliqvosq; deinceps veteri ævô mortales, Saxonicâ s. Brabanticâ Lingvâ fuisse loqvutos: in illâ appellationes illas esse animalium, qvæ profunda continerent mysteria & abstrusam notitiam.* Certè, qvæ chartæ in simili materiâ ille & hic illeverunt, lepidæ narrationes

sunt & aniles fabulæ: qvibus nutriculæ infantibus somnum conciliare solent. Contemnendus autem esset uterqve: nisi hoc fastidioso seculô, qvô nauseamus ad triticum & lac, pasci mallent plurimi qvisqviliis & sordibus: nisi & uterq; sacræ veritati nugamenta, ille qvidem suorum Sinensium, hic verò sua ipsius, anteponeret. Næ ambo, qvoniam nimiæ antiqvitatis stolidissimam captant famam, βεκκεσέληνοι sunt, eorundemq; nugamenta βεκκεσέληνα. Unde nec qvisqvam tam imbecillâ erit mente: ut ipsi arrideant, qvæ à sagacioribus æqvè ac cordatioribus meritò ridentur: vel planè, ut summæ antiqvitatis aucupium in Græcis *EDON DICKINSON. Diatribâ de Noæ in Ital. adventu p. 30.* salsè ridet, atqve perstringit.

## VII.

## *Qvod studium interim in novo illo de Sinens. Lingva Specimine commendandum?*

Commendandum datâ occasione hoc tantùm singulare Autoris est studium, idem tamen & ipsum sagacissimi Lectoris judicio relinqvendum, qvod in præcipuis de *Sinâ* Observationibus, qvarum optimi Imperii Sinici Scriptores meminêre, colligendis adhibuit: v.g. *Sinenses literarum usum habuisse ante ullum qvemlibet populum: remotas Asiæ partes inhabitatas fuisse ante Babylon. dispersionem: Sinam primam fuisse regionem à diluvio habitatam:*

*tam: hasq; Colonias inceptas esse & constitutas priusqvam ad Schinnar* (planitiem, in qvâ Babel extruebatur) *migraretur: Sinenses se extendisse ad Coream, Japan, Javam, Ceylon, Siam, Cambori & Madagascar; si non ad Mexicam ipsam: Sinensem murum 2000. annos fermè durâsse, nec adhuc temporis injuriâ affectum esse: Tartaros factos esse Sinenses, non hos Tartaros, ad maternæ lingvæ præservationem: Sinenses 4000. annos absq; ullâ cum qvavis natione commistura extitisse: neq; commercium, neq; conqvisitionem satis virium habuisse ad leges, consvetudines vel lingvam hujus populi immutandas: Historicam Sinensium computationem à 2207. Anno ante Christum incipere: qvi in 40. annum ante confusionem Lingvarum incidit: nullum populum in universo Orbe illis Chronologica certitudine parem esse &c.*

## IIX.

## *Qvæ & aliæ ibidem ejusdem Autoris Sinicæ sunt Observationes?*

Qvantum ad Sinensium ingenia ac Artes, observat *impræviſi illius de Lingva Sinensium Speciminis Autor* ibidem: *magnetem ap. illos 110. annis fuisse, sicut & papyrum & atramentum supra 180. annos, utrumq; ante Christum natum: illos atramentum ex olei fuligine conficere: pulveris tormentarii inventionem & ignes artificiales illis jamdudum innotuisse, sicut & sericum conficiendi & tingendi manu-*

*ćturam ab una ex eorum Imperatricibus inventam: eorum figulorum mysterium & modum porcellana vasa conficiendi omnem aliam hujusmodi industriam superare, ipsosq; ea tanti facere, ut vasibus argenteis cibum capere nolint, &c.*

IX.

*Qvid deinceps qvoad artem Typographicam ille observat?*

Qvoad *Artem Typographicam* hoc observat Autor: *eam ap. Sinenses inventam esse circa 56. annum post Christum natum: illorum autem modum esse talem, ut suos Characteres ferreo instrumento, sicut nos typos ligneos, in lignum aliqvod aptum sculpant, cui leviter scriptam copiam agglutinent, qvo & pacto illorum libri errorum planè sint expertes, &c.*

X.

*Siccine* autem *Sinenses rectè Typographiæ inventores creduntur?*

Non rectè creduntur. Fieret enim hâc parte magna Germanis nostris injuria. Verum qvidem id est, qvod diu *aliqvid Typographiæ simile* habuerint Sinenses: eâ tamen peritiâ, qvâ nostri Germani in excudendis libris valent, illi nunqvam fuêre instructi. Qvicqvid fit: satis interim laudis hoc est Sinensibus: *qvod simile qvid magno nostræ German. invento habuerint.*

XI.

XI.

*Talia & alia τεχνικὰ, qvæ huc trahi possent, qvid indicant?*

Certè ea omnia satis indicant, *Sinenses ingeniosos esse homines, multarumq; artium insigniter peritos.* Unde & percelebre hoc dudum inter eos dicterium circumferri cœpit: *Sinenses duos habere oculos, Europæos unum, & qvod hominum est reliqvum, cæcutire.* Esto autem, qvòd multis partibus superent Europæos Sinenses; certum tamen est, qvod ad illam accuratam artium variarum cognitionem nondum pervenerint, ad qvam dudum pervenêre Europæi. Superiores nos Artium perfectione illis sumus; illorum tamen acutissima ingenia nostras artes facilè percipiunt.

XII.

*Anne & ad literarum Studia Sinenses, qvum tam acuti sint, ut reliqvos mortales omnes tanqvam rudes superciliosè despiciant, animum appellere solent?*

Omninò animum ad indefessa literarum Studia solent appellere. Tanti enim literas ac Studia faciunt: ut absq; illorũ præsidio nullus ad Rempubl adhibeatur. Habent autem Sinenses, qvæ nocturna diurnaq; manu versent, Monumenta Astronomica, habent Medica, habent Ethica, habent Politica, habent Historica. Historiam præprimis 4000. annorum jactant: qvæ licet incertæ sit fidei, sic satis tamen accuratam

habent rerum, à multis seculis gestarũ, memoriam. Conscribitur namq; Historia ap. illos autoritate publicâ. Nempe simul ac Imperator obiit, Successor ejus curat describi, qvæ Antecessoris sui temporibus contigêre: & hoc propterea, ut major relationi adhibeatur fides.

## XIII.

## *Cujus potissimùm in Studiis suis philosophicis magni faciunt Scripta?*

Magni imprimis CONFUTII faciunt Scripta: qvem anno ante Christum natum 551. vixisse *Trigautius* scribit. Illius scil. Doctrinam, qvæ Ethicam & bene vivendi rationem continet, omnes sine ulla contradictione amplectuntur: Hujus interpretes, ut Scripta illa vulgò intelligantur, alias ejusdem sententias illi, qvam exponere contendunt, persimiles adducunt: varias lectiones inter se conferunt: imò & verba singula, qv. numerus illorum mysticus foret, appendunt. Deniq; non minore curâ ac sollicitudine *Confutii* doctrinam integram sinceramq; conservare, qva nos S. Bibliorum Textum, student. Imò nec literati solùm, sed ipsi qvoq; Reges, eum per tot retrò secula tantô, mortalium tamen, non etiam immortalium, ritu venerantur, atq; gratum hoc ipso animum acceptæ ab illo doctrinæ sese exhibere profitentur, ut omnes ipsius in hanc usqve diem posteros magno loco habeant.

XIV.

*Qvæ verò Confutii, tantæ existimationis Philosophi, fuêre placita?*

Illorum omnium Compendium è *primô Confutii Libro* exhibet *Hist. Sin. L. IV. p. 129.* his verbis: *Magna sive magnorum Virorum doctrina in eô posita est: ut, qvum qvisq; seipsum perfecerit, alios qvoq; perficiat, sic ut omnes unum, hoc est, summum bonum conseqvantur. Sed sui ipsius perfectio in eo consistit: ut qvisq; lumen naturale in se accendat, clarumq; reddat, ita ut à lege naturæ, præceptisve à natura insitis, nunqvam exerret. Qvod qvia sine vera rerum cognitione scientiave fieri neqvit, inde Philosophiæ danda est opera: per qvam, qvæ facienda, qvæ fugienda, scientiam habeamus. Hac scientiâ consilia nostra dirigimus, hâc voluntatem, h. e. utriusq; actiones, perficimus: ut nihil sentiamus, nihil velimus, nisi qvod est rationi consentaneum. Exinde corporum etiam sensuumq; existit perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio, qvæ nunqvam proventura est, si non è bonâ mente velut è fœcunda matre efflorescit.*

XV.

*Absolutissimum hoc Philosophiæ Sinicæ Compendium qvæ exactissimè nobis Capp. exprimit?*

Exprimit nobis (1) *cùm propriæ tùm alienæ perfectionis PRINCIPIA*, h. e. prima illa perfectionis rudimenta, à splendore illo congenito

deducta: qvem strenua præceptorum Naturæ coævorum observatio promoveat, atq; ab eodem inchoata perficiat. (2) *MEDIA*, *rerum* videl. *cognitionem* (en *PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ* semina!) & *actionum pariter ac voluntatis perfectionem*, (en *DOCTRINÆ MORALIS* rudimenta!) (3) *NORMAM*: qvæ, infallibilis utriusqve Regula, *RATIO* appellatur: ut nihil scil. sentiamus, nihil velimus, nisi qvod *RATIONI* consentaneum. (4) *EMERGENTEM* deniqve *UTILITATEM*: qvæ corporis sensuumqve perfectione indigitatur. Dignissima certè hæc sunt omnia, qvæ expendantur accuratiùs. Expendit autem ea satis copiosè & accuratè, atqve tandem, collatione qvadam *Philosophiæ Confutianæ* ac *Platonicæ* factâ, illam dividit *THEOPH. SPIZEL. de Re Lit. Sinens. Sect. VII. p. 128. seqq.*

XVI.

*Tune jam putas, qvòd, ut æqvè facilis, ita & æqvè felix ap. Sinenses philosophandi sit ratio, ac est ap. nos Europæos?*

Non puto: idqve ob *perqvàm difficilem*, qvæ ap. illos est, *scribendi ac legendi rationem.* Literarum enim locô Characteribus & imaginibus variis utuntur, singuliqve Characteres integras denotant voces: ut adeò tot Characteres habeant, qvot vocum millia, intraqve 30. annorum spatium vix legere ac scribere discant. Atqve sic omninò peculiarem scriben-

bendi rationem habent Sinenſes. Nam, ubi *literæ* ap. nos *ſigna* ſunt *ſonorum*, eæq; vel *vocales*, vel *conſonantes*, eædem ap. Sinenſes *ſigna* ſunt *integrarum vocum*. Indeq; coguntur tot millia Characterum habere, qvot millia habent vocum. Nos contrà, etſi haberemus 20000. voces, viginti tamen qvatuor literis eas ſcribere poſſumus. Hâc ergò parte immane qvantum prævalemus Sinenſibus. Undè & ap. nos eruditio longè majores ac feliciores facere poteſt progreſſus.

XVII.

*Qvæ igitur ac qvotnam circa Literaturam Sinicam, abſolutè ſpectatam, maximè obſervanda?*

Obſervandus eſt *Characterum* in Literatura Sinica abſolutè ſpectata (1) SITUS & DISPOSITIO. Neqve enim (verba ſunt P. JARRICI *Theſ. Rer. Indic. T. II. p. 634.*) verſus à dextra ad lævam, ut Ebr. neqve ab lævâ ad dextram, ut nos, ſed ad imum à ſummo perducunt. Uni itaqve figuræ alteram ſubjiciunt, non verò ad latus noſtro more ponunt, atqve, ad imum usqve perductâ ſerie, aliam in ſummo ad latus auſpicantur, qvam etiam infernè proſeqvuntur. (2) NUMERUS. In hoc autem determinando non omnes conſentiunt. P. JARRICUS *Theſ. Rer. Ind. T. II. c. 17.* qvadraginta facilè millia numerari poſſe ſcribit. MERCAT. *Atlant. Maj.* qvinq; duntaxat notarum millia Sinis attribuit. KIRCHERUS *Oedipi Ægypt.*

T. III.

*T.III Theatr. Hieroglyph. c.II.* 80000. Characterum notitiam illis adscribit, qvâ instructus esse debeat, qvi ad summum literatorum honorem adspirare velit. M. MARTIN. *Præfat. Hist. Sin.* supra sexagies mille, omnes figura & significatione diversos, Sinas possidere Characteres judicat. Sunt &, qvi usq; ad 120000. Char. numerum extendant. Omnes verò in *Vocab. magno*, qvod HALPIEN nominant, s. *Oceanum*, descripti habentur. Nec alia ratio discrepantiæ illius dari potest, qvàm qvòd literarum elementa successu temporis semper aucta fuerint. (3) VALOR. Non sanè Vocalem aut Consonantem literarum elementa indicant, ut ex earum connexione vocabula formentur, sed singula rerum singularum sunt notæ. (4) FIGURA & DIFFERENTIA. Non constat literatura Sin. ex certô aliqvo Alphabeti ordine : sed rem qvamlibet figurâ exprimit, ab aliis diversâ, nullâ arte vel norma composita, sed veluti casu subjectæ rei attributâ. Ante omnia verò sciendum heic: *Literaturam Sinensium recentiorem à vetustiori maximopere discrepare.* Etenim qvum prisci Sinenses ex omnibus ferè rebus Characteres composuerint, ex animalibus puta, volucribus, reptilibus, piscibus, &c. recentiores, magnam in tantâ animalium plantarumqve congerie confusionem animadvertentes, non figuratis amplius Characteribus, sed certis qvibusdam linearum ductibus uti cœpêre : qvi tamen figuratas antiqvorum literas non obscu-

rè

rè referrent. Vide Specimen hujus rei, qvod TH. SPIZEL *Sect. IV. de Re lit. Sin. p. 55. 56.* nobis ob oculos ponit.

XVIII.

*Sed qvid de ipsa Sinesium Lingvâ heic peculiare habes, qvod me doceas?*

Hoc de *Lingvâ Sinicâ*, seu *sermone Mandarino* (qvi ad literatos spectat) peculiare habeo: qvòd, etsi à plebejis non intelligatur, ab iis tamen, qvi legendi artem callent, etiam apprehendatur, non tamen sine magnis difficultatibus.

XIX.

*Qvæ caussæ sunt potissimæ difficultatis hujus?*

*Prima* est: qvia *pleraq. Sinicæ dictiones sunt monosyllabæ:* qvæ orationem cum ingenti loqventis fastidio statim interrumpunt. *Altera* est: qvòd *multas voces habeat homonymas*, h. e. qvæ plurimas & diversissimas res significent, illasqve tantùm nonnullis accentibus aut tonis Mus. distinctas. *Tertia* & ultima difficultatis caussa in eo consistit: qvòd *Lingva Sin. Alphabeto careat, vel certô literarum numerô destituatur.* Qvælibet enim res peculiari Charactere notantur.

XX.

*Qvæ porrò accedit Lingvæ Sin. incommoditas?*

Accedit hæc: *qvòd à loqventis ore scriptio nulla,*

*nulla, ab audientibus exſcribenda, excipi poßit, neq; liber ullus ab audientibus, qvum prælegitur, intelligi*, niſi librum eundem præ oculis habeant: ut æqvivoci vocum ſoni (qvos aurium judicio minimè diſtingvere poſſunt) oculorum, figuras intuentium, fidei innoteſcant.

XXI.

*Qvid liqvet è dictis?*

Facilè id liqvet: *nullam totô terrarum Orbe Lingvam advenis æqvè difficilem eſſe, ac eſt Sinica.* Idcirco Jeſuitæ, qvi ad Sinas in negotio religionis miſſi, qvinq; apices ſ. notas excogitarunt: qvibus, ſupra ſingula vocabula poſitis, accentuum ſ. Toni gradus, juxta notarum Muſ. modum, exprimerent.

XXII.

*Qvæ tamen illicia in tanta hâc rerum difficultate adhibere putas Sinenſes, qvibus ad indefeſſum Studium diſcentes invitent?*

*Magnis præmiis* ſuos invitant: qvæ Eruditioni tribuere ſolent. Non tantùm enim, qvemadmodum ap. nos fiunt *Magiſtri* & *Doctores*, ſic illi variis titulis & ſolemnitate qvâdam doctos ornant; verùm etiam doctiores tantis præmiis cumulant, ut juſtam laborum ſuorum propè inexhauſtorum compenſationem habeant. Qvid? qvòd doctiores ad ſumma demum Regni officia admoveri ac dici ſoleant *MANDARINI*, h. e. *Regni Magiſtri.*

XXIII.

XIII.

*MANDARINI nomen undè?*

*MARTINUS MARTINIUS* dicit, Titulum hunc qvoad nomen suum à Lusitanis profectum esse, non verò vocem esse Sinicam. Et qvidem *MANDARINOS* esse dictos vult à *mandando: qvòd* scil. *vim mandandi & præcipiendi habeant.*

XXIV.

Mitto *Rem Literariam Sinensium*, dumq; ad *eorundem Res Civiles* transeo, qværo in ipso statim transitu: qvis *ante irruptionem ult. Tartarorum Scopus Reipubl. Sinensis fuerit?*

Qvod Scopum Reipubl. hujus attinet, *CONRING*, non aliter judicare se posse, ait, qvàm qvòd, anteqvam ita miserè à Tartaris Sina occuparetur, *communis utilitas*, & *Regis*, & *Subditorum*, ex æqvo fuerit proposita. Et qvidem Regibus non erat propositum dilatare Imperium, sed semper contenti suis vivebant finibus. Qvando autem hoc ita fit, feliciter administrari potest Respubl. si illa præterea sibi sufficiat. Si qvis igitur Histor. Sin. legat, apparebit, populum ibi qvàm optimè vixisse. Nec enim Populus ibi durè est habitus: sed data semper opera, ut omnibus esset commodè.

XXV.

*Qvæ forma Reipubl. erat tunc Sinicæ?*

*Forma* erat *Monarchica.* Omnia enim nutu

regio

regio adminiſtrabantur : ita tamen ut *Reges Regni* obſervarentur : qvod non impedit Monarchiam. Vel ideò autem optimè Imperium Sin. adminiſtratum fuit : qvia optimè diviſum in partes : qvibus ſinguli dati Præfecti varii generis, qvi reqviruntur ad Rempubl. rectè gubernandam.

XXVI.

*Num verò ſimplex & abſoluta erat Monarchia, an temperata?*

Elucet è rebus qvibusdam ultrò citroqve conſideratis, *Monarchiam Sinicam aliqvô modo temporatam Ariſtocratiâ fuiſſe.* Licet enim omne id, qvod à Magiſtratu concludebatur, ab Imperatore Sinico confirmaretur, neceſſe eſſet, nullam tamen concluſionem ſolus per ſe in ullâ re faciebat, priusqvam à Magiſtratu rogatus eſſet. Et, ſi qvando ſupplicatio Imperatori à privatâ perſonâ traderetur, ipſeqve conſentire videretur, his tamen aut ſimilibus verbis eam ſubſcribebat : *Collegium, ad qvod hæ cauſſæ propriè pertinent, conſideret illa, qvæ ſupplicatione hâc continentur, meq; poſtea, qvid hâc in re faciendum ſit, certiorem reddat.* Nullâ inſuper ratione concedebatur Imperatori, ullum pecuniâ, muneribus, aut honoribus publicè ornare, niſi unum è Collegiis præcipuis illud ab Imperatore efflagitâſſet.

XXVII.

*Valebatne Succeſſio, an Electio?*

*Succeſſio* valebat. Imperium enim à patre in

in filios,&,his deficientibus, in proximos cognatos derivabatur. Ex filiis nempe *natu major* imperium, cæteri verò ſtipendium qvidem regium & urbes, ſed nullum in cives jus accipiebant. Egregiè proindè ſibi Sinenſes providebant: non qvidem, qvemadmodum Turcæ faciunt, ut omnem ſtirpem regiam interimerent, præter unum: ſed ut omnes, qvi ſtirpe nati regiâ in privatam fortunam redigerent, nemoqve illorum ad ullos honores admitteretur. Atqve ſic illi, dum cogebantur in ſorte vulgi vivere, non poterant qvicqvam novarum rerũ moliri. Poterat tamen & hoc pacto nunqvam Imperio deeſſe è familiâ regiâ Succeſſor.

XXVIII.

*Qvæ ratio adminiſtrandi erat Rempubl. Sinicam?*

In *Regia Tribunalia Curialia VI.* numerabantur: *à qvibus totius Imperii conſilia pendebant.* A Præfectis enim Provinciarum rogabatur Imperator: qvi, examinatis negotiis juxta rerum qvalitatem, tribunali negotia examinanda mittebat. Aſſeſſores ſantentiam ſuam Imperatori ſcriptam offerebant, qvam pro lubitu vel admittebat, vel rejiciebat. Hoc ut eò melius fieret, ſummos qvosdam totius Regni Philoſophos adjutores eligebat: qvi primum poſt Regem locum obtinebant, Regemq; conſiliis juvabant. Mittere & Rex ad ſingulas Regni ſui Provincias (numerabantur autem XVII. ac dividebantur in VII. *maritimas* & X. *mediterraneas*) Viſitatorem ſolebat,

ma-

magna ſuper omnes Præfectos autoritate præditum, qvi res Præfectorum accuratè examinaret. Rex tamen ipſe vix palatio ſuo unqvam exire ſolebat.

XXIX.

*A qvibus itaq; totum Imperium Sinicum adminiſtrabatur?*

Adminiſtrabatur à *Philoſophis* & *Doctis*: qvi ab Optimatibus & Ducibus ſumma veneratione colebantur. Qvid? qvòd eorum major ap. Imp. qvàm Ducum eſſet autoritas. Sinenſibus vocabantur *QVONFU*, h. e. *Præſidentes*, Portugallis *Mandarini*. Sic ergò ad Reipubl. adminiſtrationem nonniſi illi adhibebantur: qvi prævio examine gradumDoctoris & Licentiati gerere digni habiti. Neqve autem ullis aditus ad hos honores favore aut gratiâ patebat, ſed, ut ſcientiâ, & prudentiâ & ingenii acrimoniâ præditi eſſent, neceſſe erat.

XXX.

*An autem benè ſemper adminiſtrarunt Rempubl. Mandarini?*

Paulò antèTartarorum irruptiones peſſimè adminiſtrare incipiebant Rempubl. *Mandarini*. Nam, qvum illi Athei eſſent, nonniſi otio ac vitæ ſvavitati cum Regibus ſuis indulgebant: donec tandem Tartari, numerô Sinenſibus longè inferiores, illos debellarent. Videtur igitur omninò DEUS ulciſci voluiſſe *Atheiſmum Regum* & *Mandarinorum*: qvippe qvi DEO magis diſplicet, qvàm Idololatria.

Aliàs

Aliàs impoſſibile fuiſſet, tantum Imperium incidere potuiſſe in manus populi adeò vilis: qvi ne tertiæ qvidem parti Sinenſium numerô par erat. Certè VII. annorum ſpatio Tartari plus terrarum occupârunt, qvàm integer exercitus in longum & latum perambulare poſſit. XII. nimirum Imp. Sinici Provincias & Coream & Lea Otung, ingentia terrarum ſpatia, ſibi hodiè ſubjugarunt.

## XXXI.

## *Qvæ Lex Regni in Sina vigebat qvondam?*

*Regni Lex* hæc èrat olim: *ut ad nihil aliud qvàm ad pacem & conſervationem Reipubl. reſpiceretur.* Ideoqve florebat in Sina qvondam *Juſtitia*, qvietis mater: deindè *Politia*, legum Magiſtra: deniq; *Induſtria*, pacis filia.

## XXXII.

## *Qvæ Arcana Imperii erant Sinici?*

Præcipua erant hæc: (1) *exteros in viſcera Imperii temere non admittere:* (2) *indigenis, ut regione ſuâ excederent, non permittere:* (3) *bello neminem offendere:* (4) *Tartaros ab irruptione prohibere.*

## XXXIII.

## *Qvi Reditus Imperii Sinici?*

Ingentes ſanè reditus Imperii Sin. ab antiqvis temporibus fuerant. *Magnam* ſiqvidem *Rex Sinæ auri vim è Tributis peripiebat:* qvum nullum, vel parum tantum terræ, haberet, undè tributum non ſolveretur. Certum hinc eſt: qvòd,

qvod, præter expenſas publicas Regulorum ac militum, *ultra LX. Milliones ſcutatorum* qvotannis in Regiam olim delati fuerint: ut ſic ſumma omnium redituum facilè *150. ſcutatorum Milliones* confecerit.

## XXXIV.

### *Qvæ ac qvantæ vires?*

Satis id colligere licet ex ingenti hominum multitudine: qvâ ſemper abundavit Sina. Et qvidem, hoc noſtro ſeculo *ſexcenta millia militum contra Tartaros eduxiſſe Sinenſes*, legimus. Qvanqvam autem tanta ibi hominum multitudo ſemper extiterit, imbelles tamen ſunt Sinenſes ob voluptates. Perhibentur & heic inſtructæ qvondam fuiſſe Claſſes. Tartari tamen, qvi Regnum invasêre, Claſſe non valent. Sic igitur numeroſa potius probeq; inſtructa apparatu bellico, qvàm probè ordinata, qvàm fortis & vegeta, cum eqveſtris, tùm pedeſtris, tàm terreſtris, qvàm maritima, militia Sinarum ſemper fuit.

## XXXV.

### *Qvæ præcipua Regni adverſus vim qvamvis externam munimenta?*

*Mare & Murus immenſus* præcipua contra vim externam, ut Tartarorum, ita hoſtium aliorū qvorumvis, Imperii Sinici erant munimenta. Liqvet enim è *Mappis Geograph.* eâ parte, qvâ cingitur Oceano, ſatis eſſe munitum: qvia Claſſe aliqvâ magnâ per latum illud mare non temerè tranſire valet populus aliqvis.

Qvum

Qvum verò Reges Sinenses observarent, se esse versus Septentrionem debiliores, non dubitârunt murô qvodam immensô Imperium adversus, Tartarorum præprimis, invasiones cingere. Atqve murum hunc præsidiarii custodiverunt 100000. Qvi tamen qvum mollitie diffluerent, superarunt tandem murum Tartari, muroqve superarô propè in universam eruperunt Sinam.

XXXVI.

*Qvæ Regia Imp. Sinensium fuit Sedes?*

Regia Sedes urbs fuit vastissima *PEKING*. Maximè autem profuerat Imperio, qvòd Imperator ibi sedem suam collocârat. Nam voluerat ille eâ parte semper esse vicinus: qvâ maximè periculum imminere à Tartaris Sinæ poterat.

XXXVII.

*Qvinam perpetui Imperii Sinici erant hostes?*

Erant antè irruptionem *Tartari*: à qvibus semper metuebat sibi Imperator Sinarum. A maris tamen latere *Japanenses* qvoqve hostes habebat. Admodum qvoqve Sinensibus suspecti erant in Insulis Philippinis *Hispani*. Situ enim valdè commodô ad vexandam Sinam Hispanus eas possidet.

XXXVIII.

*Qvid de Religione Imperii Sinici jam habes, qvod recites?*

Hoc habeo : qvod *Sina triplici diu Sectâ infecta fuerit. Prima* & antiqvisſima erat *PHILOSOPHICA:* penes qvam Regni erat Regimen. Atqve huic Sectæ qvi dediti erànt, nihil magis olim ſpectabant, qvàm juſtum ac perfectum Reipubl. ſtatum. *Altera* erat illa vulgi, nempe *IDOLOLATRICA:* qvæ *Metempſychoſin* ſtatuebat. *Tertia EPICURÆA:* qvæ, in voluptate felicitatem collocans, poſt mortem nihil ſupereſſe aſſerebat.

## XXXIX.

## Cognovi ex Te Statum Sinæ, qvi fuit ante ultimam Tartarorum irruptionem. *Ecqvis* vero *hodiè illius ſtatus eſt ſub Tartaris?*

Non alius eſt, qvàm qvi fuit ante ultimam Tartarorum irruptionem. Tartari enim, qvi admodum prudenter res ſuas ibi inſtituerant, ſimul ac Provinciam aliqvam occupaverant, non temerè qvicqvam, qvod ad pacis negotia, mutabant. Qvin potius omnia in priſtino ſtatu relinqvebant : niſi qvod imperium militare ſibi retinerent, in ſuam interim militiam etiam Sinenſes pertrahentes.

## XL.

## *Statum hunc omnem Imperii Sinici, cùm priſci, tùm moderni, unde fuſiùs & uberiùs licet cognoſcere?*

Primus,

Primus, Europæo Orbi qvi hoc Seculo nostrô Imperium Chinense prodidit, est *JACOB. PANTOGIA*, Jesuita qvidam, in *literis Chinæ Anno 1602. scriptis*, Habentur versæ in sermonem Latinum, & editæ *Moguntiæ Anno 1607.* è qvibus *Descriptio Reipubl. Sinens.* desumpta: qvæ in *Thesauro Polit. CASP. ENS*, inqve *Dissertationibus NICOLAI BELLI* reperitur. Post *Pantogiam* Jesuita *NIC. TRIGAUTIUS* laudem meretur. ille enim adhuc accuratiùs res Sinensium descripsit. Extat autem ejus de *Christianâ Expeditione, ap. Sinas à Societate Jesu susceptâ, Opus*, in *Qvarto Romæ editum*, & deinceps etiam in *Germania Anno 1610.* Sinicæ qvoqve res è *M. HENNINGO, JOH. BARRIO, MATTH. DRESSERO, MENDOZA, VALIGNANO & JOHANNIS de MANDELSLOHE Itinerario*, operâ *AD. OLEARII* editô, patefiunt. Longè tamen uberiorem omnium rerum Sinensium notitiam dedit nobis hauriendam *MART. MARTINIUS.* Scripsit enim is *Opus Regni Sinensis Chirographicum* sub Tit. *ATLANTIS SINICI.* Scripsit item per Decades peculiarem Librum: qvem *Historiam Sinensem* vocat. Peculiari qvoqve Libro *bellum Tartaricum, in Sina gestum, ad initium usq; Anni 1651,* descripsit. Is qvippe, qvum omni illo tempore in Regnô Sinarum viveret, res ejus omnes poterat habere cognitissimas. Novissima interim omnium *LegationisBelg. adTarta-*

*rorum Chamum & Imperatorem Sin.* eſt *Deſcriptio:* qvam *Amſtelodami Anno 1666.* impreſſam *NIEHOFIUS*, oculatus teſtis, edidit. Undè & hic Liber ipſius, ut lectu jucundiſſimus, ita fide ſuâ eſt digniſſimus. Nec tamen ſilentiô prætereunda heic *CHINA:* qvam Monumentis qvà ſacris, qvà profanis, nec non variis naturæ & artis Spectaculis, aliarumqve rerum memorabilium Argumentis illuſtratam, non ita diu nobis in Belgio dedit *ATHAN. KIRCHERUS.* E talibus ſanè & aliis, heic non nominatis Libris, cùm uberior, tum accuratior Rerum Sinicarum cognitio peti poteſt.

# CAPUT IX.

## *DE* IMPERIO JAPANICO APPENDIX.

### EROTEMA I.

### *Ecqvodnam illud Imperium eſt Japanicum?*

EST *Imperium inter Reſpubl. Aſiaticas maximè Orientale*, & ſimul magni nominis, propè Sinam in *Japania*, qvæ Sinis *Gepuen*, incolis *Gipuen* dicitur, ſitum: ab Oriente habens

habens *Californiam* & *Novam Granadam*, intervallo 1000. ferè milliarium, ab Occidente *Sinam*, à Meridie *Novam Gvineam*, terræ Australis partem.

II.

## *Anne autem Japania una saltem aliqva magna, ut vulgò traditur, est Insula?*

*Non una aliqva magna est Insula: sed ex multis constat Insulis*, qvæ omnes in *tres* divisæ *Classes*, in *Chickock Saychock* & *Japan*, Insulam strictè sic dictam: à qvâ & *Imperium Japanicum* tanqvam nobiliori & potiori parte dicitur.

III.

## *Qvæ omnium est maxima?*

*Maxima* è tribus illis Insulis est *Insula Japan*, ac Regni Metropolim Meacum habet, continens juxta *MAFFEUM*, LIII. Regna: qvorum præcipua *Meacense* & *Amangucianum*. *CARONIUS* tamen, in V. tantùm Provincias divisam illam esse, tradit: ita ut totum hodiè Imp. Japanicum VII. constet Provinciis: qvæ sunt (1) *Saychock*, (2) *Chickock*, (3) *Jamaysoit*, (4) *Jetsengo*, (5) *Jetsegen*, (6) *Qvanto*, (7) *Ochio*. Atqve hæ qvidem Provinciæ deinceps in Satrapias suas subdividuntur.

IV.

*Insula Japan, strictè sic dicta, qvàm ampla est?*

CLUVERIUS longitudinem ejus esse scribit *150.* latitudinem *70. mill.* Sed, longè majorem illam absqve terrâ *Jesso* esse, vel indè liqvet: qvòd ab urbe *Meaco*, qvæ tamen in meditulliô fere Japan sita, ad regionem Jesso numerentur *254: Milliaria.*

V.

*Qvæ est terra illa Jesso?*

Terra *Jesso* vel *Sesso*, Provinciæ Ochio, intercedente Isthmo, adjacens, licet Imperatori Japan non subsit, *continens* tamen est *Japaniæ.* Num verò Regio hæc, ab omni parte mari cincta, cumqve Japania una sit Insula, qvidam non constare dicunt. *MARTINIUS*, Insulam peculiarem esse, dicit: qvæ à Japon per fretum disterminetur. Inculta tamen est regio & montibus aspera paucisqve locis habitata, tamqve longè extenditur, ut Japanenses ipsi finem ejus nesciant. Habitant ibi populi toto corpore hirsuti, belluis potius qvàm hominibus similes. Undè & Japanensibus ipsis gens est formidolosa.

VI.

*Qvod Insulam interim Japan, strictè sic dictam, maximè attinet, cujusnam ea est b[illegible]tis?*

Ea

Ea eſt profectò inter omnes univerſi Orbis Inſulas meliores numeranda: eò qvod abundet omnibus ad vitam tàm neceſſariis, qvàm utilibus rebus. Non tantùm enim aër ibi eſt ſaluberrimus; ſed & reperiuntur ibidem omnia ferè Europæ fructuum genera, mala Perſica & præcocia ceraſa, pruna, poma, pyra, & ſpecialiter poma, qvæ *Pippins* vocant, ut & pyra, qvæ *Boni Chriſtiani* nuncupantur. Præter hoc ingens aliorum fructuum copia ibi habetur: præcipuè frumentô & oryzâ abundant. Reperitur & ibi argentum in ſummâ ſuâ perfectione: ſed in commerciis non uſurpatur. Solo enim aurô utuntur: ſicut & parvâ æris monetâ, qvam nimis purificando depravant. Chalybs ibi etiam eſt optimus. Ibi multæ ſunt acidulæ & thermæ: qvibus incolæ ſuis morbis medentur. Tot ſunt in Japan feræ, ut domeſtica animalia parùm curent: qvamvis nulla horum ſit inopia. Varia deniqve mercium genera producit: ſed præcipuè omnia panni ſericei genera, ut & ſerica cruda, ſuccinum, lapides pretioſos, moſcum, æs, chalybem & laccæ opera.

VII.

*Anne & populoſa eſt Japania?*

Eſt omninò populo admodum repleta: qvi tamen à Sinenſibus originem ante VIII. circiter Secula traxiſſe perhibetur: qvum antè Inſulæ illæ incultæ fuiſſent. Sinenſiũ nempe exules & proſcripti multitudine ſuâ Inſulas iſtas,

qvæ uno *Japaniæ* nomine veniunt, implevisse traduntur.

## VIII.
## *Qvæ natura & indoles est gentis hujus?*

Gens est bellicosa, fortis & erecti animi: nec caret etiam judicio. Talis, inſto, gens est Japanica, qvalis ad vitam civilem reqviritur. Reqviritur autem ad hanc, populum non esse servilem, nec pertinacem.

## IX.
## *Qvi mores?*

In libidinem & compotationes intemperanter Japanenses sunt effusi: detestabile qvoqve Sodomiæ crimen admittunt: sævitia qvoqve morum & dira immanitas illis familiaris. Simulandi qvidam studio sunt dediti: sed à fallendo tam alieni, ut, si qvando plus se accepisse per ignorantiam videant, reddere non dubitent. Cæterùm & ipsi admodum superstitiosi. Nam Mathematicos apud se habent, & judiciariæ Astrolog. ita credunt, ut eorum Optimates illis inconsultis, qvi eam profitentur, nihil incipiant.

## X.
## *Qvæ recreationes animi Japanenses habent?*

*Comœdiarum recreatione* utuntur: qvas habent elegantiores Europæis. *Venationes* & *ludos*, ut alearum, chartarum, latrunculorum,

rum,&c. peramant. Omnibus diei horis, inqve omnibus visitationibus suis thea & tabacco utuntur.

XI.

*Qvis totius corporis habitus?*

Sunt staturæ satis proceræ: nec vultu inelegantes: ventres nonnihil prominentes habent: supra modum activi sunt.

XII.

*Qvæ Lingva?*

Japanensium Lingva à Sinensi prorsus differt. Sed eorum Sacerdotes & Aulici, i. e. Docti ap. eos, qvi aulicis muneribus funguntur, *Cochin-Chinæ Lingvam* intelligunt, & hac mediante *Lingvas Tanquin Chinæ, Coreæ &c.* Neqve tandem à rectâ ad lævam, nec à lævâ ad rectam, sed perpendiculariter scribunt.

XIII.

*Qvæ Religio?*

*Religio* est *Ethnica*: nunqvam preces fundunt: qviqve singulis mensibus semel ingreditur templum, valdè religiosus esse putatur: nefariorum tamen Sacerdotum plurimæ sunt Sectæ, cum qvibus Japanenses vino sese ingurgitant.

XIV.

*Cur autem Religio Christiana adeò odiosa & invisa Japanensibus esse cœpit?*

Christiana Religio nullo alio pacto odiosa & invisa Japan. esse cœpit: nisi qvia aliqvi eorum, qvi eam profitebantur, Japanensibus persvadere voluerant: ut dignitatem ejus superiorem regiâ, deqve diadematibus & sceptris disponentem, agnoscerent.

XV.

*Qvæ Japanensibus Ratio Status inde enata?*

Hæc illis indè enata est Ratio Status: *ut exteras Religiones, imprimis Christianam, strictissimè prohibeant.* Etenim, qvum illa natio sit admodum sagax, facilè se capi patitur peregrinis religionibus, præsertim verò Christianâ: utpote qvæ Japanensium idololatriæ è diametro adversatur. Imperatores igitur, metuentes indè mutationem, omnes novos Christianos, qvorum numerus erat immensus, interfecerunt, aut illos edicto excluserunt: ita tamen, ut Mercatoribus, dummodò nihil in religione molirentur, liber pateret aditus.

XVI.

*Dic jam sodes, qvæ ratio Regiminis ap. Japanens. valeat?*

*Regimen* eorum *est Despoticum.* Is enim, qvi summas Imperii Japanici tenet, & *Cæsar* ab Europæis appellatur, absoluta pollet potestate, totiusqve Regni est Dominus. Ob parva sanè delicta magnos is Reges ac Optimates in exilium mittere & perimere potest.

XVII.

*Qvis Reipubl. Japan. Scopus hinc patet?*

Patet, *Rempubl. totam hanc ad id eſſe compoſitam, ut ſit Imperii herilis.* Jam autem in univerſum de omnibus iſtiusmodi Rebuspubl. notius eſt, qvàm qvod notisſimum, qværi qvàm maximè ibi dominantium commodũ. Qvemadmodum enim heri alii ſervos ſuos molliùs, alii duriùs habent: ita etiam fit in Rebuspubl. herilibus: ut ſubditi alii mitiùs, alii duriùs habeantur.

XVIII.

*Per qvos eadem Reſpubl. adminiſtratur?*

Adminiſtratur per *Præfectos.* Sunt autem, qvi Rempubl. adminiſtrant in *Machau*, homines ſummâ cum autoritate *tres*, præcipuum gerentes omnium Statuum Magiſtratum. *Primus*, qvi velut ſummus eſt Pontifex, curam ſacrarum rerum gerens, dicitur *ZAZO: alter UCO* ſuper omnes dignitates ac honores; *tertius CUBAMA*, belli ac pacis curam gerens. Ex Conſiliariis Cæſaris qvilibet habet ſua munia, exceptis illis tribus, vel etiam, juxta alios, qvatuor exceptis: qvi ſummâ poſt Cæſarem autoritate pollent.

XIX.

*Cæſar Japan. per qvos clandeſtinos præcavere ſolet motus?*

Ad præcavendos clandestinos motus per singulas Provincias *Corycæos* habet: qvi suorum erga se animos cognoscant. Singulis etiam Regibus adjungere solet *Consiliarium*: qvi omnes contra Cæsarem machinationes exploret atqve perscribat.

XX.

*Ubi aulam & sedem ille suam habet?*

Plurimas qvidem Cæsar Japanicus habet arces, ut amplas, ita etiam firmas. Inter eas pulcerrima est *Jedo*, qvam *Osaka* seqvitur. Hodiè autem aulam & sedem suam in *Jedo* habet: qvæ olim *Meaci* fuerat.

XXI.

*Qvantum & qvale Palatium Cæsaris est Japanici?*

Est *amplum* & *auro splendidè ornatum*: haut secus ac Regum & præcipuorum Ministrorum ædes auro obductæ habentur. Atqve in hujus secundo ac tertio ambitu (Palatium Jedonense puto) qvilibet Procerum & Regum proprias habet ædes: in qvibus certo anni tempore habitare, Regiqve ministrare coguntur. Eo autem expleto ad suas qvisqve provincias revertendi licentiam habet, aliis iterum adventantibus.

XXII.

*Qvæ opes ac reditus Cæsaris Japanici?*

Qvum

Qvum Japania aurifodinis abundet, & mercatura qvoqve insigniter ibi floreat, non tantùm est *ditissima*; sed & Cæsari ingentes indè qvotannis redundant reditus: qvos partim Vasallis & Militibus suis attribuit, partim in aulam suam insumit. Excrescunt autem illi ad *2834. Tonnas Auri Flandr. s. 283. Mill.* Et sanè incredibilem Cæsar thesaurum cistis inclusum habere dicitur: qvi à longô jam tempore collectus qvotidiè augetur.

XXIII.

*Qvæ vires sunt militares?*

Qvum militaris ordo in majori, qvàm mercatorum ac aliorum civium, ap. Japanenses sit honore, ideò ad rei militaris studium maximoperè feruntur. Sic igitur Cæsar Japanens. alit ad 100000. pedites & 20000. eqvites. Qvid? qvòd & constet, præter hos ad mandatum Cæsaris exercitum 368000. peditum & eqvitum 38000. à Regibus & Dynastis colligi posse.

XXIV.

*Qvæ militiæ hujus arma sunt?*

Arma eqvitum sunt *sclopeta, sagittæ, arcus &c.* Pedites etiam *sclopeta* habent. *Tormentis* qvoqve *bellicis*, non tamen eâ dexteritate, qvâ Europæi, uti nôrunt. Porrò tam egregia chalybis temperaturâ gladios & pugiones confectos habent, ut ferrum nostrumc aci illæsâ discindere possint.

XXV.

XXV.

*In qvot deniqve Ordines divisum suum habet Populum Cæsar Japanicus?*

In *qvinq. Ordd.* hunc habet divisum. In *primo Ordine* illi sunt: qvorum ea est dignitas, qvæ nostris *Regibus*, *Ducibus*, *Marchionibus*, *Comitibus* respondet. Sub *altero Ordine* continentur: qvi aliqvod in rebus Ecclesiasticis habent officium, calvis capp. & raso mento incedentes, sine fœminis agentes, inq; varias divisi sectas. *Tertius Ordo* est Nobilium & Civium. *Qvartus* complectitur Mechanicos: *Ultimus* Ruricolas.

XXVI.

*Ecqvodnam è dictis jamnunc mihi de Republ. Japan. Politicum formabis judicium?*

Ultrò citroqve iis, qvæ dicta tenus hâc atq; breviter responsa ad proposita Erotemata de *Japanica Republ.* habentur, consideratis, facilè judicare licet: *quòd ita se Imperium Japan. habeat, ut reverà multùm in eo desiderari possit.* Et certè *duæ* sunt potissimùm *causæ*: qvæ Monarchiam illam reddunt inqvietam. *Prima* est *Regulorum*, aut, ut nostro more loqvamur, *Ducum* & *Principum hæreditariorum, sic satis potentium, qui in Japania sunt, pluralitas.* Videtur ergò Japan. Respubl. non semper fuisse una: sed in multas divisa

exti-

extitit partes, h. e. in multa Regna. Unus tamen Regum s. Ducum prævaluit, reliqvosqve sub jugum misit. Interim, qvia manserunt adhuc jura hæreditaria, apparet Rempubl. non posse ita regi, ut non aliqvando oriantur motus. *Altera causa est imperantium juxta novam regni constitutionem dualitas.* Etenim, ubi secundum Leges Regni primogenitus debebat Patri in Regno succedere, ante hos 170 annos qvidam *Dayrorum*, qvum haberet filios tres, ac, tertii maximè studiosus, regni participem illum esse vellet, novam hanc Regni Legem excogitavit: *ut filio tertio dignitas tota bellica deferretur, ipseqve esset qv. Imp. belli; primogenitus verò civilium rerum rationem haberet.* At verò qvum ægerrimè hoc ferret filius natu secundus, invito parente arripuit regimen, atqve adeò sibi conciliavit animos militum, ut etiam haut dubitaret adversus patrem arma sumere. Filio hoc ipso debellato, in locum ejus successit tertius: qvi & ipse noluit fratri primogenito obedire. Nati inde ingentes sunt motus, qvòd *armorum potestas penes filium esset tertium, jus* autem *summum penes primogenitum.* Nec desiêre isti motus: donec & tertius, curante fratre majore, interimeretur filius: cui succedebat ignobilis & peregrinus qvidam miles, dictus *Taico.* Is enim qvum esset vir fortis ac prudens, conciliavit sibi militum animos, & ad tantam tandem potentiam pervenit, ut superstes *Dayrus* ille cogere-

tur

tur ipsum *Præfectum militiæ* constituere, & qvidem *perpetuum*. Qvâ qvidem dignitate potius totam occupavit Japaniam: nisi qvòd semper comiter veneratus illum *Dayrum* fuerit. Ex eo itaqve tempore *jus* semper mansit penes *Dayros*: *vis* verò esse cœpit *penes Cæsarem* illum, *qvi regnat potestate hæreditaria*, ac *penes quem tota cura Reipubl.* Atqve hâc ratione omninò *pessimè constituta Respubl. Japan.* qvum *unus agnoscatur qv. jure Rex*, *alter verò reapse sit Rex*: id qvod non potest non ingentes dare turbas. Est verò hoc contra Monarchiæ principia: *alium actu esse Regem*, *alium verò, cui competant jura regni.* Nam periculosum est, duos ita esse in Republ. ut penes unum sit jus, nec tamen nisi cum umbrâ saltem alicujus majestatis, penes alterum verò vis, cum liberâ imperandi potestate ac verâ majestate perpetuò conjuncta.

## XXVII.
## *Siccine ergo duo Soles Japanico lucent Imperio?*

*Lucent* omninò *duo Soles* contrà, qvàm aliàs Monarchiæ natura permittit, *Imperio Japanico*: sed *dispari splendore*. *Duo* nempe *Monarcha* ab eo tempore, qvô ita qvidem *Taico*, qvi trium annorum spatiô imperium totius Japaniæ, Dayro spontè se abdicante, ad se transtulerat, planeqve novum incredibilis potentiæ ac magnificentiæ Monarchiam condiderat, potentissimus Japaniæ Cæsar evasit, ut au-

autoritatem *Dayri* adhuc cognoſceret, aut ſaltem comiter illum veneraretur, *Imp. Japanico præeſſe cœperunt, ſub alio tamen atq; alio autoritatis gradu honorisq; titulo.* Nam, ubi hodierni adhuc Japaniæ Cæſares imperandi poteſtate veraqve majeſtate pollent, ap. Dayros eſt ficta ſaltem & ſimulata Majeſtas. Sunt videl. hi ipſi ſummi Sacrorum Antiſtites, inq; eo habentur honore, qvô ap. Romano-Cathol. eſt Papa. Aulam autem ſuam in urbe Meaco habent: qvam Cæſar, in Jedo reſidens, per Præfectum gubernat.

## XXVIII.

## *E dictis quid patet?*

Hoc jam patet: *Japaniam*, qvæ Regna olim 53. habuiſſe traditur, *uni paruiſſe Monarchæ*, qvem *DAYRUM* voce Japanicâ appellârint, atq; veluti Numen aliqvod venerati fuerint Japanenſes.

## XXIX.

## *Quo tempore Dayrorum defecit poteſtas?*

Defecit *A. C. 1600.* Qvum enim autoritas *Dayrorum* jam inde ab *A. C. 1500.* propter inteſtina diſſidia multùm fuiſſet diminuta, Reges Provinciarum paſſim rebellare ac ſuo arbitrio vivere cœperunt. Præcipuus ex his fuit Nubunanga, Rex Voaris: qvi *A. C. 1570.* urbe Meaco captâ, potentiſſimus totius Japaniæ

Rex

Rex evasit: ita tamen, ut & ipse adhuc agnosceret autoritatem *Dayri.* Ei *Anno 1586.* successit Taxiba Qvaba Condonus eodem titulô. Huic *Taico* vel *Taiko Samma:* qvi *Anno 1600.* primus Imperator Japaniæ à *Dayro*, spontè se abdicante, declaratus, novam Monarchiam condidit. Atqve de hujus factis, potentiâ, atqve magnificentiâ qvum stupenda referantur, non est, qvod miremur: unde factum, ut totam Japaniam is intra triennium sibi, umbrâ saltem aliqvâ majestatis *Dayro* relictâ, subjiceret.

## XXX.

### *Hæc & alia memorabiliora Imperii Japanici qvamplurima unde fusiùs cognoscere nobis licet?*

Memorabiliora Imp. Japan. pleraqve, qvod ad *priscum* qvidem attinet *statum*, non aliunde fusiùs cognoscere nobis licet, qvàm è *Rerum, à Societate Jesu in Oriente gestarum, Volumine*, edito *Colon An. 1574.* In eo siqvidem non tantùm *Epistolarum de Rebus Japanicis ad Annum usq. 1565. Libri V.* continentur, verùm etiam *specimen qvoddam Literarum Vocumq. Japan.* accessit. Atqve sic omninò primam Japaniæ s. Japon. notitiam Jesuitis debemus. Hi siqvidem, istuc superiori seculo migrantes, satis feliciter magnos progressus in Relig. Christianâ ibidem fecerunt, Orbiqve Europæo accuratam cognitionem il-

larum

rum Insularum, qvæ *Japaniæ* nomine vulgò veniunt, prodiderunt. Prodiderunt autem maximè per *Epistolas*, qvæ qvotannis missæ ex illis terris, atqve magnam partem in German. cumprimis *Coloniæ* & *Moguntiæ*, typis exscriptæ habentur. Unde & illæ merentur legi, cùm ob alias qvamplurimas causas, tùm ob rerum potissimùm Japanicarum cognitionem. Sic itaqve magnum Japaniæ Imperium è *variis* illis *Japanicis Epistolis*, è totidem præterea *Relationibus* à *GVELREIRO, GEMERIO*, aliisqve editis, atqve imprimis è *L. V. TRIGAUTII* & *Relatione Histor. ÆGIDII ALBERTINI* satis copiosè patefiet. Conscripsit de *JAPAN* insignem qvoqve *Librum Linguâ Batavicâ* qvidam, homo aliàs indoctus, sed ingeniosus. Extat insuper de *Republ. Japanicâ Liber* singularis, cui Tit. *Descriptio Japaniæ*, Autore *BERNARDO VARENIO*: qvi qvidem omnia sua desumpsit partim ex *Epp. Jesuitarum*, partim etiam è *variis Relationibus*, qvæ qvotannis in Bataviâ de navigationibus in Indiam susceptis excuduntur. Ut autem *Pars Operis illius Vareniani prior descriptionem Regni Japan.* continet: ita *Pars altera* seorsim de *statu Religionis, qvi est in Japaniâ*, tractat. Qvod *statum* deniqve *modernum Imp. Japan.* concernit, ecce nobis eum partim *CAROLUS* in *Descriptione*

*Re-*

*Regni Japan.* partim *MARTIN. MARTINIUS* in *Append. Atlantis Sin.* aperit. Nec tamen prætereundæ heic *Obſervationes* ſunt *de Japania:* qvæ, ab induſtrio viro, qvi in iſta terra per multos annos commoratus, profectæ, in *Act. Philoſoph. Angl. Menſ. Jul. Anni 1669.* memorantur.

BRE-

# BREVIARII
# HISTORICO-
# POLITICI

*Quadripartiti*

# PARS SECUNDA,

*Erotematicâ Methodô*

exhibens

Præcipua Orbis Hodie-Imperantis

# REGNA.

# CAP. I.
## DE
# REGNO HI-SPANICO.

### Erotema I.

*Inter Regna præcipua Orbis Hodiè-Imperantis quodnam primum?*

PRimum inter præcipua Orbis Hodie-Imp. Regna locum *Regno Hispanico* tribuo, cum adjectis Insulis in XIV. Regna olim tresve Coronas diviso. Nolo tamen qvicqvam heic præjudicare *Transactioni: qvâ prioritatem ordinis Gallo Hispanus solenniter cessit post turbas, in Anglia circa præcedentiam à Battevillio datas.*

### II.

*Ob qvas potissimùm causas primum Regno Hispan. inter præcipua Orbis Hodie-Imp. Regna tribuis locum?*

Id facio ob duas præprimis caussas. Nam (1) *Regnum istud inter omnia reliqua Regna latissimè patet:* ita ut potentiam suam dispersam habeat per magnam Europæ partem, per Africam & Americam. Adeoqve in omnibus terrarum partibus aliqvid habet, qvod possideat Hispanus. Unde nec dubita-

bitavit *JOH. BOTERUS*, Regnum Hispan. appellare *Rempubl. Universalem.* Duas enim esse universales Respubl. ille credit? *REGNUM HISPANICUM & TURCICUM.* Deinde & *ipsa Hispania in ordine Europæarum Provinciarum est qv. prima:* si ab Occidente numerare velis.

III.

*Unde autem uberrimam omnium rerum Hispan. præprimis earum, quæ ad Rempubl. Hispan. faciunt, cognitionem Tibi parabis?*

Qvum varia, jampridem hinc indè edita, Scripta habeantur (qvorum qvædam *ad Rer. Hispan. Historiam*, qvædam *ad ipsius Reipubl. Hispan. notitiam* faciunt) in Rer. Hispan. Historiâ cognoscenda primô locô ad varios confugere licebit Scriptores: qvi, in unum Corpus sub Tit. *Hispaniæ Illustratæ* congesti, atqve IV. Tomis à *Johane Pistor.* & *Andr. Schotto* editi, extant. Nec tamen nisi mediæ ætatis Historiam attingunt: indeqve Lectorem suum in cognoscendis rebus Hispaniarum recentioribus minus juvare possunt. Sunt autem varii illi Scriptores *Margarinus Episcopus Gerundens. Rod. Sanctius, Alphons. à Carthagena, Marineus Sic. L.XXII. Tarapha, Vaseus, Laur. Valla, Æl. Antonius, Alvarus, Bernh.* Gome-

*Gomesius de Rebus Arragon. Damianus à Goes Mich. Ritius Libris III. de Regibus Hispan. Ximenius, Pantinus, Toletanus aliiqve:* qvibus tamen omnibus inter Latinos Scriptores palmam, *CONRINGII* judiciô, *JOH. MARIANA* præripit, natione Hispanus famosissimiqve nominis Jesuita. Edidit is grande *Rerum Hispan. Opus:* in qvô in ipsos suos Reges qvandoqve est mordacissimus. Etenim, qvum mira & eloqventiâ & prudentiâ valeret, magnâ idem ibidem libertate & sentiendi & loqvendi fuit usus. Præstat *Editio Op. Toletana, inq; Tomo II. Script. Hispan.* continetur, constans *Libris XX. Moguntina* autem Anno 1605. correctior est, Librisqve X. auctior. Scripsit in eum *P. Mantuanus Secretarius Conestab. Castil. Advertencias à la Historia de Joan de Mariana enq; se emienda gran parte de la Historia de Espanna.* Habemus insuper *generale AMBR. SALAZARII de rebus maximè notabilibus Hispan. Inventarium.* Habemus *Annales & Anqtivitates Hispan.* Autore *AMBR. MORALES:* habemus *universale Hispan. & Regni Valentiæ Chronicon:* habemut *Delicias Lusitano-Hispan.* RESENDII. Qvò pertinent *MOLINA de Nobilitate Hispan.* & de *Inquisit. Hispan. CONSALVIUS.* Qvod jam ipsius Reipubl. Hispan. notitiam attinet: eam sanè nobis uberrimè haurire licet è *STEPHAN. de GARIBAY XL Libris:* qvos *de Regnis Hispan.* ab O. C. *usq; ad Carolum V.* scripsit. Maximè autem laudandus

in

in hoc negotio eſt *JOH. BOTERUS:* qvippe cujus *Relatio* ſ. *Diſſertatio* de *Regno Hiſp.* in de *præcipuis Rebuspubl. Relationibus c. XXVII.* extat. Obiter tamen *CONRING.* heic monet: qvòd nimis ille affectibus ſuis in Regem Hiſpan. indulſerit. Et qvidni affectibus indulſiſſet? Etenim, licet Philippus, difficillimo bello cum Belgis implicatus, ingentem rerum ſuarum jacturam jam ſuperiori ſeculô, cujus anno currente XC. Relationem ſuam ſcripſerat *Boterus*, feciſſet: ille tamen omnia iſta mala ſilentio præteriit, & vix uno tetigit verbulo. Inſerta interim eadem Boteri Relatio *CASP. ENSII, NIC. BELLI* & *PHILIPPI HORNII*, diſſimulato tamen ſemper nomine, habetur Libris. Extat aliàs, præter illam XVII. Tomi I. in *NIC. BELLI* Opere alia de *Republ. Hiſpan. Relatio*, eſtqve XII. ejusdem Tomi *Diſſertatio*, lectu digniſſima. Extat & egregia Diſſertatio de *Origine potentiæ Hiſpan.* apud *THUANUM*, & in *Thuano* qvidem *enucleato P. IV.* Qvid? qvòd multa qvoqve de Republ. Hiſpan. in *Archontolog. Coſmica* reperire liceat. Omnes autem conatus ſuperat Libellus *JOH. de LAET:* qvem de *Regnis Hiſpan.* tantâ cum induſtriâ ſcripſit: ut pauca qvædam in illo deſiderentur.

IV.

*Tune enarrare mihi jam noſti qvaſi in Compendiô aliqvô totam Regni Hiſpanici Hiſtoriam?*

Novi eam his *CL. HORNII* compendioſè enarrare verbis: *Regnarunt poſt Romanos in Hiſpaniâ VVeſt-Gothi: qvorum potentia à Saracenis Africanis deſtructa fuit. Inde iterum varia Chriſtianorum Regna per Hiſpaniam emerſerunt: qvorum præcipua qvatuor fuerunt, Caſtilia, Arragonia, Navarra & Portugallia: qvæ tandem in unam iterum, vel duas coaluerunt Monarchias. Id qvod hac contigit ratione. Ferdinandus Rex Arragoniæ, ductâ Iſabellâ Henr. IV. Regis Caſtiliæ Sorore, duo illa Regna conjunxit. Atqve hic eſt ille Ferdinandus Catholicus, qvi fundamenta Monarchiæ Hiſpanicæ poſuit. Qvippe ſub eo non tantùm Regna Navarræ & Neapolis in poteſtatem Hiſpanorum venerunt: verum etiam novus Orbis, qvem Americam vocant, innotuit, atqve ab Hiſpanis occupatus fuit: qvod factum Anno 1492. Autor tanti operis fuit Chriſtophorus Columbus Genuenſis: qvi, qvum fruſtrà alios Reges ſollicitaſſet pro novo Orbe detegendo, tandem Ferdinandum & Iſabellam Reges Caſtiliæ permovit, & ab illis inſtructus Oceanum Atlanticum penetravit: neqve ante navigare deſtitit, qvàm in novas, illas, & hactenus incognitas terras incidit: qvæ immenſis opibus graves, & à barbaris habitatæ. Unde data Hiſpanis occaſio immenſa terrarum ſpatia parvis Copiis occupandi, atqve inde, tantis divitiis animati, ſpem V. Monarchiæ conceperunt. Et ſanè omnia tunc ab eo tem-*

*tempore Hispanis favere videbantur. Qvippe per conjugium Philippi cum Johanna Ferdinandi & Isabellæ Filia Belgicæ Provinciæ & potentia Austriaca Hispaniæ conjunctæ fuêre. Ex hoc conjugio nati fuerunt Carolus & Ferdinandus : à qvibus hodierni Reges Hispaniæ & Imperatores German. descendunt. Atqve ita Hispanicum Imperium per omnes partes mundi latissimè se diffudit. Ita qvidem, ut Carolus V. Ducatum Mediolanensem Gallis qvoqve eriperet, & Germaniam, victis Protestantibus, debellaret. Hujus Successor fuit Philippus II. qvi dum nimia alta moliebatur, Hispanicam potentiam graviter concussit, ac omnes Americæ thesauros inutilibus bellis consumsit. Qvippe ab eo tempore Belgæ, Angli & Galli conjunctis viribus se Hispanorum ambitioni opposuêre. Sed fortuna alio compensare locô videbatur illud damnum, cæso in Africa Sebastiano Rege Portugalliæ: unde Philippus* II. *qvanqvam jure inferior, armis sibi Portugalliam asseruit, atqve ita omnia Hispaniæ Regna in unum Corpus redegit. Sic Hispanica potentia ad summam conscendit fastigium, atqve in eo statu permansit sub Philippo* III. *&* IV. *usqve ad annum 1640. qvo Portugalli, Castiliæ dominationis pertæsi, creato Rege Johanne Duce Bragantiæ, defecerunt : qvô qvidem modo Hispania iterum divulsa in duo fuit Regna.*

V.

*Qvas & qvot fatales mihi Regni Hispan. Periodos è recitatâ Historiâ elicis?*

Elicio *tres* inde *fatales Regni Hispan. Periodos, Gothicam, Mauricam, Castellanam. Gothica* cœpit An. 418. qvô tempore Hispan. Duce Wallia eripuêre Vandalis, qvi eam Imperio Rom. extorserant. *Maurica* ab Anno Chr. 713. incipit: qvô scil. Mauri universâ potiti sunt Hispaniâ, Gothis tamen mox iterum regnare in montibus Austriæ, Cantabriæ & Pyrenæis magna fiduciâ, qvum se inexpugnabiles scirent, incipientibus; *& ad excidium usq; omnium Maurorum extenditur. Castellana* deniqve *domitis jam Mauris, (nempe ab Anno 1491.) currit usq; ad nostra hæc tempora.* Nam qvnqvam multum debilitatum Regnum Hispanicum hodie, cùm Belgii, qvæ superiori seculô, tum Portugalliæ, qvæ nostro ævo contigit, defectione habeatur: Mauris tamen (à qvibus Granata per 780. annos infesta fuerat,) cum ultimô Granatæ Rege Saracen. Zageibo expulsis, Hispani per universum terrarum Orbem arma victricia circumtulerunt, atqve dominationem suam longe lateq; tunc extenderunt.

VI.

*Per Mauros hos, qvi, universa potiti Hispaniâ, penitùs tandem eâ ejecti sunt, qvosnam intelligis?*

Omnes

Omnes intelligo *Saracenos Afros*, *à Mauritaniâ*, unde primò in Hiſpaniam profecti fuerant, ſic dictos. Atqve hinc omninò fluxit vocabulum Mohr: qvô Europæi Germanicæ nationis Æthiopem deſignant. Æthiopum ſiqvidem ſedes in Africâ, & Africani Europæis primùm per illam Maurorum in Hiſpaniam irruptionem innotuerunt.

VII.

*Qvæ victorioſæ illius ejectionis Maurorum cauſſa erat remota?*

*Cauſſa remota matrimonium erat inter Ferdinandum* II. *Arragon.* in ſerie Regum Caſtellæ ac Legionis V*tum*, & *Eliſabetham* ſ. *Iſabellam* JOH. II. Regis Caſtellæ & Legionis filiam, Henrici IV. Sororem. Ex hoc ſiqvidem Matrimonio feliciſſimo IV. conſecuta fuêre: (1) *perpetua inter Regna Caſtellæ & Arragoniæ unio:* (2) *omnium Saracenorum in Hiſpania exciſio:* (3) *novi Orbis ſ. Americæ detectio:* & (4) *Monarchiæ Hiſpanicæ*, h. e. potentiſſimi Hiſpanorum Imperii, *per univerſum terrarum Orbem extenſio.*

VIII.

*Qvis proinde ſummam Regni Hiſpan. potentiam fundavit?*

Fundavit eam (1) *per conjunctionem Arragoniæ, Caſtiliæ, Siciliæ, Neapolis & Navarræ,* (2) *detectione & occupatione novi Orbis,* (3) *filiæ ſuæ Johannæ cum Philippo Archiduce*

*Austriæ conjugio*, FERDINANDUS IIdus, *Catholicus* & *Magnus* dictus.

IX.

*Aqvo* REGIS CATHOLICI *Titulo insigniri Ferdinandus hic cœpit, & cur ita dici meruit?*

*CATHOLICI* Titulum *Ferdinandus IIdus* à Pontifice Romano, *Anno 1496. Mense Augusto*, impetravit: & qvidem ob ejectos Mauros. Qvum verò sic titulus omnium amplissimus tribueretur Ferdinando, ut, qvod Papa in Ecclesiasticis, idem *Rex Catholicus*, in temporalibus esset (*ut Papa nempe in fidem, hic in omnia regna dominaretur*) haut obscurum id erat omen, Hispanos totum terrarum Orbem suâ potentiâ, sed inani successu, resistentibus Gallis, complexuros.

X.

*Anne autem Ferdinandus primus fuit, qvi usus hoc titulo?*

*Non fuit primus.* Originem namq; communiter & Recaredo petunt, circa Annum DXC. admodum: cui, qvum Arianos ejecisset, in Concilio Toletano III. hic Tit. datus. Postea Alphonsus I. Pelagii gener, Tit. hunc circa A. 790. tulit. Caussam reddunt geminam: unam *à felicibus Expeditionibus Alphonsi in Mauros petunt*; alteram *à studio Concordiæ Ecclesiasticæ in ipso conspicuo.* Post hunc & varii Hisp. Reges hoc Titulo usi: Rex Sanctius Crassus, Rex

Rex Alphonfus VI. &c. Ergo *in Ferdinando non tam inventus CATHOLICI Titulus fuit, qvàm ab ultimâ antiqvitate repetitus.*

XI.

*Qvæ caussa potissima Tit. hujus repetiti?*

Caussa potissima erat *æmulatio, jam tum adversus Gallos insurgens.* Horum qvippe Reges *Christianissimi* Titulo superbiebant: qvem usqve à Sacro oleo, ad Baptismum Clodovæi s. Ludovici I. cælitùs misso, pennes ipsos fuisse, non pauci Scriptores Gallici ajunt. Ut igitur Gallis Reges *Le Roy Tres Chrestien, Sa Majestè Tres Chrestienne, Christianissima Majestas* audiebant: ita æmulaturi Hispani volebant, ut Rex suus CATHOLICUS audiret. *La Catholica Persona de vuestra Magestad*, scribunt ad Regem in Lit. It. *La Sacra Catholica Real Magestad.*

XII.

*Qvibus interim Mediis potentiam Regni Hispan. fundavit Ferdinandus Catholicus?*

*Fundavit* illam (1) *Arragoniæ, Castiliæ, Siciliæ & Navarræ conjunctione:* (2) *detecti Orbis Novi occupatione:* (3) *filiæ Joannæ cum Philippo, Archiduce Austriæ, maritatione.* Per hoc ipsum siqvidē conjugium Belgicæ Provin-

ciæ & Auſtriaca potentia conjungi cœperunt. Qvid? qvòd & ex hoc ipſo conjugio Carolus & Ferdinandus nati fuerint: à qvibus hodierni Hiſpaniæ Reges & Imperatores Germaniæ deſcendunt.

## XIII.

## *Detectio illa Novi Orbis in qvem A. C. incidit?*

Incidit in *A. C. 1492. 3. Aug.* utpote qvo ipſo die *CHRISTOPHORUS COLUMBUS* Colonus Genuenſ. è Paleſtrella, ſtirpe Placentina oriundus, Vir Geograph. & Aſtronomiæ reiqve nauticæ peritiſſimus, eò appulit.

## XIV.

## *Anne CHRISTOPHORUS COLUMBUS rectè tanti operis creditur Autor?*

Rectè omninò Novi detecti Orbis Autor ſtatuitur ac creditur Columbus. Nam qvanqvam *FRANCISCUS LOPEZ de GOMARA Hiſt. Indic. L. 1. c. 10.* homini Italo gloriam detecti Orbis invidens, narret, *Columbum à nauclero qvodam, qvi è Portugall. profectus, & adverſô Eurô verſus Occidentem in incognitas oras pulſus fuiſſet, redux verò factus in Maderâ Inſula ægrotare cœpiſſet, diemq; tandem ſuum obiiſſet, omnium locorum incognitorum deſignationem accepiſſe:* iſta tamen, qvod ficta ſint, exindè liqvet, qvia de patria naucleri, etiam de locô mortis, conſtans non eſt ſententia. Accedit, & hoc. qvòd idem

idem *GOMARA* multum Platonis, Aristotelis, aliorumq; fabulis de Carthaginensib9 tribuat: qvòd, in freto Herculeo ultra Gades prouplsi, in vastam pervenerint Insulam, omnibus rebus, tantùm non hominibus, abundantissimam.

XV.

## *Qvæ Caussa movens s. impellens erat, ut tale qvid operis auderet COLUMBUS?*

Si dicendum, qvod res est, *Zephyri* sunt, *tam constanter à mari spirantes:* qvi maximè movebant Columbum, ut de novo aliqvo Orbe detegendo cogitaret. Conjiciebat enim, ut Physicus accuratissimus, ventos nonnisi è terra assurgere posse. Acqvisitâ igitur per multos annos rei Nauticæ & Geographicæ notitiâ, ad Genuenses se contulit, ibiqve coram Senatu exposuit, qvid præstare vellet, si media sibi adessent: sed habitus pro vesanô ad Aphonsum V. Portugall. Regem concessit, eandem præ se ferens petitionem. Habitus tamen & ibi pro futili ac deliro circulatore in aulam Ferdinandi Catholici commigravit, eiq; omnem intentionem suam exposuit. Ast, ubi neminem inveniret, qvi suis vellet applaudere rebus, aditum sibi ad Isabellam patefecit, eamqve rationum pondere eò adegit: ut à maritô Rege Liburnicam unam & duas Caravellas precariò obtineret. His Columbus Occidentem versus iter fecit, inqve Insulas *Cubam*, qvæ celebris portu *Havana*, *Jamaicam*, *Hispaniolam*,

*lam*, &c. ſub Tropico Cancri ſitas, poſt varias exantlatas moleſtias appulit.

XVI.

*Qvis ipſam tandem terram detexit continentem?*

Detexit hanc *Anno 1497.* Caſtellæ Regi *AMERICUS VESPUTIUS*, Dux nobiliſſimus. Hic nempe, deſcriptione navigationum Columbi edoctus, exploravit ferè omne illud Americanum latus, & deprehendit, non ibi Inſulam, ſed terram continentem eſſe. Atqve ab hoc *Americo Veſput.* homine profectò feliciſſimo, tota illa terra dici meruit *AMERICA.*

XVII.

*Qvomodo Hiſpani terram illam vocant?*

Vocare ſolent *Novum Orbem*, vel *Indiam Occidentalem.* Nolunt enim inventori tantum tribuere honorem: ut terram continentem de ejus nomine vocitent Americam.

XVIII.

*Sed qvo jure Rex Hiſpaniæ occupare potuit ac ſibi ſubjicere vaſtam iſthanc terram?*

Sanè, ſi de jure occupandi Americam qværas, aqva hærebit. Qvum enim illa jam eſſet occupata, tum demum de jure occupationis in Hiſpania dubitare cœpit. Extant hinc aliqvot præclara de hoc argumentô Scripta. Præ omnibus verò, qvi hoc argumentum tra-

ctâ-

ctârunt, laudem meruisse videtur *FR. VICTORIA.* Is namqve geminâ Dissertatione in præclaro *Opere Relectionum de Jure, qvo Ferdinandus Cathol. in occupandis æqvè ac dominandis Novi Orbis terris usus sit,* disputat. Valdè autem se torqvet, nec tamen idonea argumenta invenit; qvibus jus illud stabiliat. Et qvî inveniret? Æqvè enim injustam caussam Americam invadendi atqve occupandi Rex Hispaniæ habebat: qvàm olim Romani, qvum propè universum armis invaderent Orbem. Et utut non pauci è Theologis & JCtis *justitiam Romanorum* in tot acqvirendis jure belli dominiis defendant, non tantùm asserentes, *illos justè armis suis usos, illorumq; imperium justum ac legitimum fuisse;* verùm etiam fundamentum assertionis suæ ap. *ARTHURUM DUCK L. I. de Aut. Jur. Civil. c. I. p. 17. seqq.* indè petentes, qvod (1) *caussa justitiæ Imperii Rom. dependeat à DEI voluntate,* (2) *à consensu Principp. & Popp. ab iisdem debellatorum,* (3) *ex præscriptione ac diuturnitate temporis:* talia tamen & alia fundamenta ad jus illud Novi Orbis terras occupandi demonstandum non admodum qvadrant. Ferdinandus qvidem & cæteri Reges *donatione Pontificis* Rom. pro jure occupandi Americam videntur niti. *Alexander* enim VI. natione Hispanus, pro omnipotentiâ suâ non dubitârat Ferdinandum donare Americâ: ea tamẽ lege ac conditione, ut Lusitani versus Orien-

tem, Hispani versus Occidentem commercia sua exercerent. Donationis istius Bulla passim extare solet: dividitq; in eâ Pontifex Orbem lineâ deducta in duas partes: qvarum alteram, qvæ continet Americam, donavit Regi Hispaniæ. Atqve huic sanè Bullæ, qvæ perscripta *Romæ Anno 1493.* habetur, ipsaq; in *Annal. Eccles. Bzovii ad ann. prædictum*, nec non in *Bullario Laërt. Cherubini Tomo I.* extat, Hispani qvum innitantur, putant, sibi fuisse caussam justissimam occupandi Americam.

## XIX.

### *Ecqvid tibi de hoc prætenso Hispanorum in occupatione Americæ jure videtur?*

*Mera* è prætensione istius juris *impietas* elucet. Adeò scil. impium est, Papam aliis permittere aliena invadendi atq; homines occidendi licentiam, ut ipsi Theologi Hispani donationem illam Papæ non ausint probare. Nec & inter ipsos qvidem Jesuitas reperitur temerè qvispiam, qvi dicat, Papam habuisse jus in terras istas antehac incognitas. Vide *GROTIUM L. II. de J.B.&P. c.22. §. 14.* ubi ex professo ille contra hos disputat, qvi jus in Americanos populos Ecclesiæ asserunt: nec minus tamen ipsum ibidem putamina baccis miscere, prolixè nos *JOH. AD. OSIANDER in Observat. Th. ad hunc Grotii Locum p.1223. seqq.* docet, deq; ipso Controversiæ principalis puncto verbis *Thummii* nostri rectè pronunciat.

XX. *An*

## XX.

## *An & ullo jure Hispani Americanos, Americâ jamjam s. per fas, s. per nefas occupatâ, in durissimam redigere potuêre servitutem?*

Magnates, qvorum id intererat, affirmabant: religiosiores contrà Theologi contrarium statuebant, dicebantqve Americanos asserendos esse in libertatem. Placuit & hoc Carolo V. undè homines Americanos è gravissimâ servitute liberari, eosqve in majorem libertatem asseri curavit. Interim, dum sic satis hodienum serviant Americani, qvamvis non adeò duriter, ut olim, legendi sunt, qvi editi habentur de Americanorum servitute, Libri. Cumprimis autem, qvod jure serviant, defendit Vir aliàs magni nominis ac doctrinæ, *JOH. GENESIUS SEPULVEDA*, Hispanus, pro fundamento hujus suæ assertionis maximè illud habens: *qvod Americani naturâ essent servi*. Perindè igitur, ut Aristoteles in Politicis disputat, *dari naturâ servos, qvi debeant ab aliis regi*, translatâ thesi ad hypothesin, probare nititur: *qvod, qvia Americani naturâ servi sint, regi illi ab Hispanis debeant, iisdemq; servire*. Qvicqvid sit: fuêre tamen alii, qvi sese opposuêre SEPULVEDÆ, & inter hos qvidem *JOSEPHUS ACOSTA*, doctissimus pariter ac sapientissimus Jesuita *in Historia Americana*. Opposuit item sese SEPULVEDÆ, inter Dominicanos *DOMINICUS à SOTO*: cujus

jus præclari extant *de justitiâ & jure* Libri.

XXI.

*Sic igitur satis feliciter, qvanqvam parum justè, occupatâ Americâ, lateq; deinceps per omnes partes Mundi diffusô Regnô Hispan. cuinam rei putas prima fundamenta posuisse Ferdinandum Catholicum?*

Prima fundamenta *Qvintæ* posuit *Monarchiæ*: cujus spem tunc conceperant Hispani, qvum data ipsis occasio esset immensa terrarum spatia parvis occupandi copiis, indeqve tot tantisqve divitiis animari cœpissent.

XXII.

*Ecqvid de Qvintâ heic Monarchiâ audio?*

Dudum sanè est: qvum *Qvintam Europæ, si non totius Mundi, Monarchiam Hispanus meditari cœpit.* Ne dicam: qvòd eandem hodieqve meditetur. Hispani nempe, immensis freti opibus ac ditionibus suis, spem alicujus *Novæ*, h. e. *Qvintæ, Monarchiæ* non tantum jam olim concepêre; sed & in illo consilio non absqve spe manifestâ ad nostra usqve tempora perseverarunt. Qvid? Nonne, *Philippum* II. id jam suo ævo fuisse meditatum, satis est liqvidum? Nonne &, ex eo tempore id seqventes Hispan. Reges molitos esse, clarè patet? Habebant namqve illi Germaniam propter affinitatem Domûs Austriacæ sibi obnoxiam. Italia verò ipsis magnam partem erat

addicta.

addicta. Et qvanqvam Anglia & Gallia immensæ se spei poterant opponere: Galliam tamen factionibus *Sanctæ Ligæ* perturbabant, & Angliam qvidem prævalidâ illâ Classe *Anno 1588.* expugnatum tandem iri sperabant. Nec minus etiam, Belgas, qvorum tunc exiguæ vires, facilè sub potestatem venturos, sperabant.

XXIII.

*Qvibus mediis id efficere studebat Hispanus, qvod in votis maximè ac spe habebat?*

Qvum *Regiones* vel *dolô*, vel *apertâ Vi occupandæ* sint: utroqve hoc medio, utut qvàm maximè illicito, usi sunt Hispani. *Dolò* qvidem in eô potissimùm: qvòd nunqvam non illos, qvi passim in existimatione aliqvâ erant, sibi magnâ obligarent pecuniâ, atqve hoc pacto in arcana Regum ac Principum consilia sese penetrarent. Semper enim consiliarios habebant sibi ære obstrictos. *Vi apertâ* id egerunt: dum Angliam, Germaniam, Italiam, Galliam apertô Marte aggressi.

XXIV.

*Qvibus prætextibus Hispanus in Qvintâ constituendâ Monarchiâ utebatur?*

Ut omnes Hispani duabus rationibus ambitiones suas palliare solent, *Religionis* nempe (1) *Romano-Cathol. cujus supremum* se *Protectorem* Hispaniæ Rex venditat, *defensione, ejus-*

*ejusdemq; propagatione*, (2) *Hæreticorum*, ut vocantur, *extirpatione* : ita nec minùs ſub iisdem prætextibus armatus dudum *Qvintam* moliri cœpit *Monarchiam* Hiſpanus. Has ſcil. prætexere nullus dubitavit cauſſas : *qvòd* ipſe *non potentiæ amplificandæ ſtudio, ſed partim pro defenſione Eccleſiæ Romano-Cathol. partim ad extingvendas hæreſes BELLUM SACRUM gereret.*

## XXV.

## *Qvis Autorum docere rationem conatus eſt, qvomodo Rex Hiſpan. ad MONARCHIAM illam QVINTAM pervenire poſſet?*

Conatus id eſt *THOMAS CAMPANELLA*, *celebri de Monarchiâ Hiſpan. Diſcurſu* : qvem, rogatus à qvodam Nobili Auſtriaco, Auditoribus ſuis, qvos ante cancellos carceris habebat, memoriter in calamum dictitaverat; qvaſi ludendo media ſuppeditans perveniendi ad qvintam Monarchiam. In eo ſc. Diſcurſu portentoſi æqvè ac ſtupendi ingenii homo nullus dubitat docere rationem: *qvomodo Rex Hiſpan. Monarchiâ totius terrarum Orbis potiri poſſet.* Reperire autem juxta hæc in eodem *Diſcurſu*, omnium noviſſimè *Amſtelodami Anno 1640. editô*, qvamplurima licet, qvæ ad Rempubl. Hiſpan. faciunt. Qvid? qvod & ipſe ibidem de Rebuspubl. univerſi Orbis eruditè diſſerat. Cæterùm qvod viri hujus fatum attinet, illud ſatis eſt miſerum. Factum enim

fuit

fuit, ut, qvum Rex Hiſpan. ab hoc *Campanella* ſibi metueret, ne qvid in Regno Neapolitano, in qvo vivebat, moliretur, in carcerem compingi, inqve eodem duriſſimè eundem haberi curârit. Vixit igitur in eo ultra 25. annos, fuitqve ipſi interdictus omnis chartæ & atramenti uſus. Aliqvoties etiam eqvuleo imbellis hic Monachus fuit tortus: qvia accuſatus, qv. motus eſſet in Regno Neapol. daturus. Snnt tamen & alii, qvi, vel propterea in tam triſti per tot annos detentum fuiſſe *Campanellam* carcere, ſuſpicentur: qvòd Inqviſitoribus Rom. ob Atheiſmum ſuſpectus eſſet. Scripſerat enim & ille *Atheïſmum*, qvem vocat, *triumfatum*: cujus omninò lectio, qvamvis curſoria ſaltem, Lectorem confirmat, non adeò erraturum, qvi libro huic gloriam *Atheiſmi triumfantis* adſcribat. Unde & eſt, qvòd non ſine cauſsâ *VOETIUS Diſp. Theol. ſelect. Tom. I. p. 201.* notârit, locum ferè heic habere poſſe, qvod *BARLÆUM* de *Amphitheatro Vanini* judicâsſe legimus.

XXVI.

*Anne & unqvam, dum ita Hiſpani ſæpe Qvintam affectarunt Monarchiam, Imperatoris Titulô Hiſpaniarum uſi ſunt Reges?*

Multi ex his uſi titulô Imperatoris ſunt. Nominatim autem eô uſus eſt jam antiqviſſimis ſeculis *Sanctius Major*: deinde *Alphonſus VI.* tum *Alphonſus VII.* qvi ſe etiam *Auguſtum* appel-

appellavit, ac contendit, Imperium Rom. translatum fuisse non ad Germanos, sed ad Hispanos. Ex Regibus Arragoniæ Imperatoris Titulô usus fuit *Alphonsus* cognomine *Bellator*.

## XXVII.

### *At verò qvàm amplum hoc est Regnum, in qvô dudum Qvintam affectarunt Monarchiam Reges, imò & jam olim Impp. dici voluêre?*

Tam amplum est: ut ab Orbe condito nulli Imperatorum, Regum vel Principum majus Imperium obtigerit eô, qvô Philippus Indiarum & Hispaniarum Rex potitus: maximè qvum Lusitaniæ Regnum ipsi postremò adjectum. Certè enim amplissimas Europæ provincias nobilissimasqve Asiæ Africæqve Regiones regimine suo complectebatur: Novum deniqve Orbem, qvi Europâ Africaqve latiùs patet, absqve corrivali pacificè ad tempus possidebat. In *Europâ* scil. BOTERI verbis, *Hispaniam tenebat, qvæ 800. abhinc annis nulli tota qvàm ipsius Philippi imperio paruerat. Tenebat Belgium, qvod mille*, eodem Autore teste, *milliaribus ambitur. Regnum Neapolitanum tenebat, qvod mille & qvadringenta milliaria circumeunt: Insubriam tenebat, cujus ambitus est 300. milliarium: Majoricam & Minoricam & Evisam Insulas tenebat: qvarum prima 300. altera 150. tertia 8. milliaribus in Orbem porrigitur. Siciliam tenebat: cujus circuitus est*

700.

*700. milliarium*, *&* *Sardiniam*, *qvæ 562. milliaribus* ( *milliaria* ubiqve *Italica* intellige ) *patere dicitur*.

XXVIII.

*Ipsa interim, rebus Philippi sic stantibus, Hispania in qvot ac qvænam Regna qvondam dividi cœperat?*

Qvum *Hispania* antiqvissimis temporibus in *citeriorem*, à Pyrenæis montibus ad Iberum, & in *ulteriorem*, respectu urbis Romæ, ab Ibero flumine ad fretum usqve Herculeum divisa esset, tempore verò Augusti in *Bœticam*, *Lusitaniam* & *Tarraconensem Provinciam*, s. citeriorem Hispaniam, dividi cœpisset, ( qvarum *illa* comprehendebat Granatam, Andalusiam s. Vandaliam & Beturiam s. Extremaduram; *ista* Regnum Portugalliæ; *hæc* Arragoniæ ) qvatuordecim tandem Regna, Pelagii jam ævô, Christianis, qvi in abdita sylvarum profugerant, collectis, & post magnam Saracenorum editam stragem, sensim urbibus ac regionibus recuperatis, constitui cœpêre. *Legionis* nempe, *Gallæciæ*, *Portugalliæ*, *Algarbiæ*, *Andalusiæ*, *Granatæ*, *Murtiæ*, *Valentiæ*, *Arragoniæ*, *Cataloniæ*, *Navarræ*, *Castiliæ veteris* ac *novæ*, Insularum *Balearium emersit Regnum*.

XXIX.

*Ex omnibus hisce Regnis qvot ac qvænam potissimùm durabili titulô ad nostra ferè tempora inclaruere?*

Utut

Utut avorum noſtrorum memoriâ qvinqve maximè clara fuerint Hiſpan. Regna, Regnum nempe (1) *Caſtellæ*, qvod omnium ampliſſimum, (2) *Arragoniæ*, (3) *Portugalliæ*, (4) *Navarræ*, & (5) *Regnum Legionis*, à Legione urbe Aſturiæ dictum, qvam Pelagius Anno 716. magnâ Saracenorum ſtrage editâ, occupârat, primus Legionis & Aſturum Rex creatus: in tres tamen Coronas tandem unius Capitis coaluêre, ut ſic ad noſtra fere tempora præ cæteris inclareſcerent Regna tria, *Caſtiliæ*, *Portugalliæ* & *Arragoniæ*. Sub *Arragonia* comprehenſa habetur *Catalonia*, *Valentia* & *Baleares Inſulæ*: *Portugallia* ſ. Luſitan. complectitur in ſe *Algarbiam*: *Caſtilia* deniqve provincias continet reliqvas.

## XXX.

## *Qvæ nominatim ſunt illæ Provinciæ, qvas continet Caſtilia hodie?*

Sunt (1) duæ *Caſtellæ*, *vetus* & *nova*: in qvarum illa caput urbs Burgos, in hac *Toletum* umbilicus Hiſp., Madrit ſedes Regia, & Complutum. (2) *Legio*, in qva Urbs Legio; (3) *Aſturia*, ubi Aſtorga; (4) *Gallæcia*, ubi Compoſtella; (5) *Extremadura*, ubi Badojoz; (6) *Andaluſia*, in qva Seville & Corduba; (7) *Granata*, in qva Granata & Ronda; (8) *Murcia*, ubi Carthagena; (9) *Biſcaja*, ubi Bilbao; (10) *Navarra*, ubi Pampelona; (11) *Mediolanum*, (12) *Belgicæ provinciæ*, Hiſpanis adhuc parentes, (13) *Burgundiæ Comitatus*, (14) *Inſulæ Canariæ*,

(15) *America*, (16) *Insulæ Philippinæ*, & aliæ qvædam. Mediolanum tamen, Burgundia, Belgium Hispan. in clientela Imperii sunt nostri.

XXXI.

*Sub qvonam jam Rege summum incrementum simul ac decrementum Regni Hispanici factum?*

Summum incrementum, nec minus etiam maximum decrementum, accepit Hispania sub Philippo II. *Incrementum* nempe summum accepit per *accessionem Portugalliæ*. Hoc pacto enim tota Hispania in unius regis concessit potestatem: ut totum terrarum Orbem imperiô tenere videretur. Qvemadmodum verò Portugallia incrementum maximum Hispanico dedit Regno: ita Batavia eidem maximum fecit decrementum, & *plus citra* subsistere jussit. Per defectionem nimirum Belgarum maximum sustinuit Hispania rerum suarum decrementum.

XXXII.

*Qvo jure ac titulô Portugallia Regno accessit Hispanico?*

Portugalliam eâ ratione acqvisivit Philippus. Anno 1578 Sebastianus, Portugall. Rex, in Mauritan. perierat: qvum Muhammedem Abdemelechum, Regem Fessæ, in Regnum esset reducturus, qvi à patruo suo auxiliis Turcicis pulsus fuerat. Qvumqve is esset juvenis 24. Ann. ἄτεκνος: successit Henricus, Emma-

nuelis

nuelis fil. & Joh. III. fratér, Archiepiſcopus Eboræ & Cardinalis. Eum abſterruit Philippus à conjugio, atqve poſt fata ejus in hæreditatem tam auguſtam Anno 1580. provolavit. Ut proximus nempe cognatus hæreditatem occupavit, fruſtra Antonio, Priore de Conto, tunc temporis Magiſtro Eqvitum Rhodenſ. naturali filio Ludovici, Eduardi fratris Emmanuelisqve ult. Portugall. Regis, (cujus filia Iſabella mater Philippi fuerat,) nepote renitente. Qvum vero deinceps Ao. 1598. Pſeudo-Sebaſtianus ſurrexiſſet, qvi ſe Sebaſtianum, è prælio Mauritano, qv. in eô non fuiſſet cæſus, reducem finxerat, ipſeqve vi jam oppreſſus eſſet: Philippus tandem ſibi armis Portugalliam aſſeruit, eamqve reliqvis Hiſpaniæ Regnis univit. Duplici igitur jure Portugallia Regno Hiſpan. acceſſit: nempe *jure ſucceſſionis* per *cognationem*, & deinceps *jure occupationis* per *arma*.

XXXIII.

*Anne & hodie tenetur Portugallia ab Hiſpano?*

Non amplius tenetur ab illô. Nam Anno hujus ſeculi 40. cum Algarbia à Regno Hiſpaniæ defecit, electô ſibi ac creato Rege è *Ducibus Braganzæ Juanne.*

XXXIV.

*Quæ defectionis hujus cauſſa?*

Caussa erat: qvod non per indigenas, sed per Castellanos omnem gubernationem Hispanus administraret. Etenim, qvum hi pro ingenii sui superbia omnia superciliosè agerent, Nobiles Regni contemnerent, imò qvosdam ex horum numero ad remigia condemnarent, populus, injuriis istis irritatus, publicâ autoritate Regem sibi constituit proprium, qvi Philippo deinceps Lusitaniam omnem ademit, eamqve adhuc hodie tenet.

XXXV.

*Sed Belgarum defectio qvô annô fieri cœpit?*

Cœpit jam ipsa *Anno 1568.* longô bellô, qvod à prædictô scil. Annô gestum usqve ad *Annum 1648.* si excipias inducias duodecennales ab *Anno 1608.* usqve ad *1620.* Coacti igitur tandem fuêre Hispani Belgas ut liberos homines respicere, omnibus suis prætensionibus renunciare, & perpetuum, qvem vocant, Ambassadorem in aula suâ tolerare.

XXXVI.

*Qvid & heic caussæ erat, cur Belgæ ab Hisp. deficerent?*

*Crudelitas & superbia*, unô nomine *Tyrannis*, defectionis Belg. caussa erat. Partitur autem eam *Hornius Orb. Polit. c. 2.* alteramq; probat pertinuisse *ad vim religioni inferendam*; alteram ad *evertenda Reip. jura.* Qvod ut negari neqvit: ita statuendum profectò, ex *Decimarum exactione & Comitiorum*,

qvæ

*qvæ Hiſpani, tanqvam juri Regis adverſa, ſublata cupiebant, abrogatione, tanqvam ex veris motuum initiis, proficiſci cœpiſſe reliqva.*

XXXVII.

*Qvos Solœciſmos igitur Politicos in irritandis ad defectionem Belgis Hiſpanos commiſiſſe putas?*

Varia de Hiſpanorum errore prodierunt judicia: majoris tamen momenti *Solœciſmi politici* ſunt: qvòd Hiſpani (I) *naturam & indolem Belgarum non reſpicerent.* Belgæ qvippe nec totam libertatem, nec totam Servitutem pati poterant. Attendere heic debuiſſet Philipp. II. Parentis ſui Caroli V. monitum: *nullam gentem magis ſervire, qvàm Belgas: nullam ſervitutis nomen magis reſpuere.* (II) *Qvòd Belgis, qvi asſveti fuerant Præfectos regii ſangvinis habere, peregrinos præficerent.* (III) *Qvòd decimum numum à mercimoniis exigerent.* (IV) *Qvòd Religionis libertatem impedirent*, idqve primò novis creatis Epiſcopis, qvi vivere debebant ex reditibus Abbatiarum & Epiſcopatuum: qvi partim erant ſecularisſati, partim in manibus Clericorum Pontificiorum relicti fuerant. Accedebant inqviſitores hæreticæ pravitatis: qvorum odiô multa deſignabantur, qvæ aliàs facta non fuiſſent.

XXXVIII.

*E qvô principio Solœciſmi hi politici profecti cenſentur?*

Cenſentur profecti vel inde: qvòd Philippus

pus totus esset Hispanus, Princeps melancholicus & asper, qviqve primùm non aperto Marte, sed Arte Machiavellicâ feroces populos aggredi imperioqve premere vellet. Unde, exosus Germanis, invisus Belgis, qvamvis per ingentia bella fatigaret Europam, plus tamen sibi, qvàm aliis damni inferebat.

XXXIX.

*Qvod si Philippus totus Hispanus fuit; cujus qvæso indolis sunt Hispani?*

Laborant *intolerabili fastu.* Qvapropter nec ipsi inter se, multò minus cum aliis, colunt amicitiam. Qvid? qvòd eô sint fastu, ut omnes præ se contemnant, & qvilibet eorum se qv. Regem esse existimet. Similiter omnes sunt *tristes*, nihilqve in illis venustatis aut jucunditatis reperies. Unde & nec jucundæ sunt conversationis, sed graves & austeri. Atqve hoc ipso pactô omnium populorum odium sibi conciliant. Qvis enim cum taliter superbis & morosis hominibus amicitiam colere posset? Sunt autem omnes Hispani vel propterea eadem hac animi indole: qvia temperatura corporum in omnibus Hispanis penè est eadem. Qvòd si jam verum hoc sit, corporis verò temperatura animum ad hoc vel illud inclinet vitium, mirum sanè non est, omnes etiam Hispanos, qvum sint eâdem corporis temperaturâ, esse iisdem etiam animi vitiis.

XL.

## *Quæ illa eadem corporis in Hispanis est temperatura?*

Qvod *eandem temperaturam corporis Hispanorum* attinet, omninò ex *nigredine oris ac corporis* (videas enim hos omnes *nigricantes*, *non proceros*, *non obesos*, sed *macros*) apparet, *omnes esse melancholicos*, & *abundare in illis humorem melancholicum*. Ab hoc autem humore non tantùm reliqva corporis temperatura, qvòd nimirum non sint proceri, neqve obesi, oritur; verùm etiam inde fluit, qvòd Hispani non sint animô vili, sed semper magnanimi, qvodqve nihil tenue spirent, sed omnia, qvæ moliuntur, ab animo superbô & magno proficiscantur. Temerè hinc nihil moliuntur, sed animi ipsorum ad arduos incitantur conatus. Eâdem de caussâ non sunt leves, sed graves, nec facilè mutant animum, sed pertinacissimi in eo, qvod semel aggressi, opere persistunt. Unde & fit, ut sæpe Gallos victores, qvos facilè laborum capit tædium, victi licet, pertinaciâ suâ superent.

XLI.

## *Cujus heic Virtutis laus meritò tribuitur Hispanis?*

Tribuitur his meritò laus *fortitudinis bellicæ*. Magno namqve animo pericula & labores aggredi solent: famem verò, sitim, & vigilias diutiùs, qvàm ulla gens sub Sole, perferunt, bellatores iidem egregii, ac strategematum

tum optimè gnari existentes. Unde & nihil non tentare audent.

XLII.

*Suntne & aliæ Virtutes in Hispanis spectandæ?*

Spectandæ in his præter *Fortitudinem sunt qvoq; Temperantia* & *Justitia*. *Temperantiam utiq;, qvæ occupatur circa cibum & potum*, optimè exercere nôrunt Hispani, parumqve comedunt ac bibunt: præsertim si vivendum ipsis sit propriis sumptibus. Parcè scil. bibunt, & pleriqve raphanis, lactucâ, pomis, &c. vivunt. Qvæ qvidem tenuis vivendi ratio Hispanis ad res maximas gerendas profuit. Et sanè, nisi ita vixissent, non regendis apti fuissent Indis. In eo verò Temperantiæ genere, *qvæ versatur circa voluptates Venereas*, non sunt exercitati Hispani. Non enim sunt temperantes, sed à Castitate absunt maximè: adeò ut libidine superent omnes gentes. Certè in Christiano Orbe non reperiuntur homines adeò libidinosi & Venerei, qvàm sunt Hispani. *Justitia* seqvitur: qvam rigidè observant Hispani. Justitiam tamen suis potius, qvàm peregrinis administrare dicuntur. Credunt enim, sibi nihil non in alios licere. Idem in Lacedæmoniis *Aristot.* olim observavit: utpote qvi sibi persvaserant, non exercendam erga exteros, sed domi saltem colendam esse justitiam.

XLIII.

*Ad qvam Virtutem intellectualem præcipuè animum appellere solent Hispani?*

Hiſpani, qvum magno ſint & elatô animô, appellere ſolent animum præcipuè ad *Prudentiam bellicam.* Idqve propterea: qvoniam exiſtimant, ſe è re bellicâ facilè & nominis gloriam, & opes parare poſſe. Inter omnes igitur Artes nullam magis exercent qvàm *Bellicam.* Et hâc parte qvoqve valent: niſi qvòd corruptiores hodiè eorum ſint mores: qvippe qvi miſerè acqviſitarum opum copiâ, indeqve emergente luxuriâ, fracti.

## XLIV.

### *Qvæ Hiſpanorum ſunt Studia, qvibus animum excolunt?*

Hiſpani, qvum *temperamenti* ſint *Melancholici, triſtiora* amant *Studia*, eaqve feliciſſimè excolunt: reliqva verò, qvæ *amœniora*, faſtidiunt. Apparet hinc, *illos eam maximè partem Theologiæ, Jurisprudentiæ ac Philoſophiæ, excolere, qvæ triſtior, & multis meditationibus, magnâ operâ, magnoq́ labore indiget. THEOLOGIAM* nempe potiſſimum excolunt, qvam Veteres dixerunt *SCHOLASTICAM.* Et ſanè in totâ Europâ nuſpiam invenies ſubtiliores Scholaſticos, qvàm in Hiſpania. Cœpit autem Theologia Scholaſtica ibi his initiis, qvæ ipſi dederat *FRANCISCUS VICTORIA, Hiſpanus.* Is qvippe tanta felicitate Pariſiis hauſerat Theologiam Scholaſticam: ut non tantùm Præceptores ſuos longè ſuperaret; ſed & inſignes in Theologia Scholaſt. faceret progreſſus: eò qvod ingeni-

um

um ejus, utpote qvod erat triſte, pro naturâ Hiſpanorum, aptius huic Theolog. parti excolendæ, qvàm Gallorum eſſet. Extat *VICTORIÆ* hujus *Liber* ſub Tit. *Relectionum*, qvi non Theologis tantùm, ſed & JCtis uſui eſſe poteſt: qvia de rebus moralibus accuratiſſimè diſſerit: qvia & peregregiè de uſuris, de jure belli, de jure Regis Hiſpaniæ in Indos diſſerit, atqve non niſi ea affert, qvæ valdè ſunt docta, nec ſine magnâ admiratione legi poſſunt. *JURISPRUDENTIAM* qvod attinet, ea maximè, qvæ eſt *JURIS NATURALIS*, excolitur in Hiſpania: nec ulli bi felicius hoc diſcitur, qvàm ab Hiſpanis. Par ratio eſt *PHILOSOPHIÆ*. Nam *Moralis Philoſophia* eſt, qvam ſtudiosè excolunt Hiſpani. Qvisqvis igitur ad ſubtiliſſimam Philoſophiæ Moralis cognitionem adſpirat, Hiſpanos conſulere jubetur. Germani enim & Galli, ſi cum his conferantur, nulli ſunt. Qvumqve ad *Metaphyſicam* maximè reqviratur ingenium aliqvod *triſte*, factum indè: ut & Hiſpani feliciter excoluerint Metaphyſicam. In *Phyſica* verò ſunt pueri: qvia ejus ſtudium eſt amœnius. Unde & *Medicina* eâ ſaltem parte, qvâ eſt triſtior, ab Hiſpanis excoli cœpit.

## XLV.

### *Nonne & humaniorum Literarum Hiſpani ſunt ſtudioſi?*

Qvia *literarum humaniorum Studia* paulò ſunt amœniora, illa certè frigent in Hiſpania.

In tanto enim hominum numero vix unum aut alterum laudaveris, qvi literas humaniores excoluerit. Agnoscit & hoc *MARIANA*: qvi alioqvi satis bonis fuit instructus literis. *Cultus*, inqvit, *humaniorum literarum desideratur.* Et *BARCLAJUS* inqvit: *In Hispania non Latinæ eloqventiæ studium viget: non venustas Poëtices: non Historiæ priscorumq; Rituum utilis ac robusta lepiditas.* Atqve hinc qvidem fit: ut Hispanos, plerumqve in Philosophiâ Scholasticâ summè versatos, experiaris Grammaticæ adeò expertes, ut vix Latina loqvantur, vix intelligant. Exornat testimonio hoc Hispanos nobilissimus Gallorum Historicus, *GRAMONDUS*, *Hist. Gall. L. I. p. 21.* Id verò tam exploratum certumqve visum ipsi fuit Hispanò *JANO HUARTO*, *Doctori Medicinæ*: ut, solo Latinitatis indiciô Scriptores aliarum gentium ab Hispanis primo intuitu distingvi posse, putârit *Scrutin. ingen. c. XI. p. 309.* Lepida est Historia, qvam de Theologo qvodam Hispano ille refert, qvi inter Patres Concilii Tridentini habitus eruditissimus, & isthoc nomine à *Pio VI. Rom. Pontif.* vocatus, statim primâ responsione barbarâ omnem eruditionis famam extinxit. Ipse enim Papa, teste *Huarto*, cubiculi sui Præfectis atqve asseclis confirmavit, non sibi videri ita Theologiæ gnarum esse hominem, qvi parùm adeò Latinæ elegantiæ dedicisset.

XLVI.

## *Qvæ Religio est Hispanorum?*

Uni-

Univerſa Hiſpania *Romano-Catholicam Religionem* hodieqve ita profitetur: ut aliam non toleret. Vulgus tamen certitudinem religionis nullam habet. Et hinc *Secta* ibi *Illuminatorum* cœpiſſe dicitur: qvi apparitiones & illuminationes divinas jactabant, reverà iidem cum Enthuſiaſtis, atqve his ferè æqvales, qvos Angli hodiè die Quakers vocant. Loqvor autem de *Vulgô*: qvod omninò naturâ ſuâ admodum ſuperſtitioſum: qvemadmodum omnes Melancholici multis perpetuò agitantur phantaſmatibus. Undè & hodienum nuſqvam adeò homines in Enthuſiaſmum ſunt proni, qvam in Hiſpania. Nec mirum eſt, homines ibi adeò apparitionibus ſuis dementari. Planè enim non informantur in Religione Chriſtianâ: tamen etiam arcentur à lectione Codicis ſacri. Prætereà naturâ ſunt ad *Melancholiam* propenſi: qvæ reverà *balneum eſt Diaboli*. Cæterùm, qvid Indi de eruditorum qvoqve Hiſpanorum Religione ſenſerint, *HIERON. BENZO Mediolan.* per plures annos inter illos verſatus, in deſcriptâ à ſe *Novi Orbis Hiſtoria*, exqve Ital. Idiomate ab *URBANO CALVEZONE* in Latinum translatâ, prolixè docet, in ſpecie præter alia notatu digniſſima *L. II. c. 18.* Atheiſmum Hiſpanorum commemorans.

XLVII.

*Ecqvodnam Myſterium iniqvitatis in Religione ſuâ propagandâ prodidêre Hiſpani?*

Ex eo tempore, qvô res Christianæ, expulsis Mauris, vel iisdem ad Sacra Christiana, nec pari tamen violentiâ coactis, crevêre, tam graviter post illorum ejectionem Hispanorum in Mauros æqvè ac Judæos, qvorum utrorumqve ingens multitudo, Christianismum simulans, supererat, grassari cœpit sævitia: ut instituerent novum Judicii Sacri genus, qvod appellabant *Judicium Inqvisitionis*. Atqve sic famosa illa *Inqvisitio Hispanica*, qvæ nunqvam antehac audita fuerat, ipsum *Iniqvitatis* est *Mysterium*: qvod in Religione suâ, & per natales, & per alienas terras propagandâ, tàm crudeliter jampridem prodiderunt Hispani: ut absqve mentis horrore hujus rei historiam nemo legere possit, nemoqve item in hunc usqve diem, nisi cum Rom. Pontifice sentiat, pedem Hispaniæ facilè inferre audeat.

## XLVIII.

## *Qvid rei HISPANICA illa est INQVISITIO?*

Est *judicium sacrum, adversus Mauros qvondam & Judæos, per delegatos fidei ac Religionis Romano-Cathol. Inqvisitores in Hispaniâ institutum, qvodq; hodienum in dissidentes ibidem, præcipuè verò in Christianos Evangelicæ veritatis amantes, sævâ flammâ ac solemni tripudio instituitur, ut fidei confessio per vim ex illis extorqveatur.*

## XLIX.

## *Inqvisitio talis qvando primùm omnium cœpit,*

*cœpit, & deinceps in plenum vigorem erupit?*

Jam circa A. MCC. contra *Albigenses* & *VValdenses* primùm institui cœpit: inde per Constitutiones *Frid. II. Imp.* succrevit: cujusmodi tres contra Hæreticos, & singulatim Patarenos, editæ sunt Ao. 1221. In plenum deniq; vigorem circa Annum 1480. auspiciis *Ferdinandi* & *Isabellæ* erupit: qvô ipso Anno exactius & accuratius Tribunal fuit erectum, eiq; & Reges subjecti. Penetravit abhinc Inqvisitio Hispan. in Italiam, sed minore cum insolentiâ. In Regno tamen Neapolitano & Ducatu Mediolanensi acerrimè inqviritur in dissentientes. Qvum v. Belgæ etiam hac Inqvisitione vexarentur, novis Episcoporum sedibus in eam rem constitutis, primi tumultus pro Relig. libertate Ao. 1566. in Belgio sunt exorti. Qvi & motus Neapoli eandem ob causam, *Petro Toletano* Vice-Rege, de more Hispaniæ in cujusq; fidẽ ac Religionem inqvirente, excitati fuerint, describit nobis *Petrus Svavis Histor. Concil. Trident. L. 3.* & *Thuan. L. 3. ad Ann. 1547.* Eandemq; unam è caussis esse, cur Hispania inopiâ hominum tantoperè laboret, communis Polit. est opinio: qvia nempe abesse cogantur omnes, qvi etiam in rebus leviculis à Relig. Pontificia dissentiunt. De inqvisitionis itaq; Hispan. ortu hoc habeto: *qvod nata illa non aliunde, qvàm ex Hispanorum in Relig. affectu.* Inde scil. Eccles. *hæc lex* in Regno Hisp. stabiliri cœpit: *qvæ severissimè in Capita ac fortunas hominum pravè*

*de Relig. ac ritibus Eccleſ. Rom. ſentientium inqvireret.*

L.

## *Qvis Romanenſium de Inqviſitionis iſtius officiô omnium noviſsimè ſcripſit?*

Qvum ingentes Libri de Hiſpan. Inqviſitionis judicio & crudeli hominum carnificinâ conſcripti habeantur, qvos nemo absqve horrore leget, omnium qvidem noviſſimè *ſpiſſum de Officio Inqviſitionis circa hæreſin Opus* in lucem publicam *THOMAS del BENE*, *Clericus Regularis, Theol. Prof. Examinator, inq; Rom. univerſali inqviſitione Qvalificator, aliarumq; in Urbe Congregat. Conſultor*, emiſit. Multa ſanè in eo Opere congeſſit Autor, qvæ ad rem pertinere videbantur, in *alterâ* qvoqve *parte* de *blaſphemiâ, ſuperſtitione, idololatriâ, divinatione, tam in communi, qvàm in particulari*, de *Magia* item & *maleficis*, de *infidelibus* qvoqve, in ſpecie de *Judæis*, de *Schiſmaticis*, *Apoſtatis* &c. agens.

LI.

## *Tibi autem qvid videtur de eadem Inqviſitione?*

Præpoſtera & perverſa qvum ſit judiciorum in Inqviſitione Hiſpan. forma, judico, *eam contra naturalem æqvitatem & omnem legitimum ordinem obſervari fuiſſe ſolitam, & hodienum obſervari ſolere.* Et qvidni ſic judicarem? Si qvis enim ſuperiori ſeculo, vel unico teſte, Lutheranæ Religionis ſuſpicionem incurreret, nulla ejus excuſatio vel audiebatur, vel acci-

pieba-

piebatur: sed tormentis tamdiu membra accusati distrahebantur, donec fidei confessio extorqveretur. Meritò proindè exclamo, mecumqve omnes boni ac cordati Viri exclamant: *O perqvam præposteram, ô perqvam perversam Judicii hujus inqvisitorii formam, qvæ in immaniorem, qvàm Busiridis aut Phalaridis erat, crudelitatem abit ac desinit!*

LII.

*Qvam Hispanorum, circa Religionem maximè occupatam, indè mihi elicis Politicam?*

Elicio *Politicam* indè Hispanorum *ad extremam usq; crudelitatem religiosam.* Etenim Hispani, qvum pertinacissimi circa religionem conceptarum sint sententiarum, erga diffidentes item ac dissentientes sævissimi, magnifici qvidem Religionis Romano-Cathol. defensores ac zelotæ videri volunt, hoc omnium suorum bellorum generale qv. fundamentum ponentes. Atqve eâ arte Galliam longô olim & miserabili bellô involverunt, Germaniam & Belgium perturbarunt, Angliam spe devorârunt: nec ullis tamen, qvàm sibimet ipsis, detrimentum intulerunt. Nam deprehensis, qvas Religionis prætextu, velant, fraudibus, non tam Religionem, qvàm Regionem ab ipsis qværi deprehensum fuit.

LIII.

*Qvæ aliàs Hispanorum est Politica?*

Hispa-

Hiſpanorum *Politica* , *qvod ad Rationem Status*,tota conſiſtit *in faſtuosâ qvâdam aliisq; populis ridiculâ gravitate:* qvod & Lingvâ & habitu & inceſſu,ab aliis diverſis, luculentiſſimè teſtatum faciunt. Cura hinc illorum præcipua eſt,Regis ſui ad ſcrupuloſitatem usqve magnitudinem exigere, jactare immenſam illius potentiam, & cæteris populis omnibus , ſolô exceptô Imp. Rom. controverſiam de *Præcedentiâ* movere: non aliô argumentô,niſi qvod Rex Hiſpan. amplius, qvàm reliqvi, obtineat territorium.

## LIV.

## *Qvæ prima heic ſemper eſt Controverſia ?*

*Prima* in Hiſpanorum *circa Rationem Status Politica* ſemper *de Præcedentiâ inter Hiſpanos, Gallos ac Anglos eſt controverſia.* Galliæ Reges prærogativam ab antiqviſſimis temporibus usqve habuerunt : ſed tempore Caroli V. eâ ceſſerunt : qvia ille Rex Hiſp. & Imp. R. ſimul erat. Poſtmodum tamen reſumere eam Galli omnibus modis conati ſunt : ſed Philippus II. jure in Parente ſemel fundato ſe abdicare noluit. Unde graviſſimæ lites inter Regna hæc enatæ, Gallis *antiqvitatem*, *præcellentiam ex unione* & ſimilia cauſſantibus ; Hiſpanis contrà *factũ* allegantibus, & *circumſtantias ratione Hiſpan. mutatas*, & antiqvos mores

tantùm

tantùm concernere Castiliæ Regem, eoqve jus illud Gallo nihil prodesse. *Respicienda* enim *esse* ajunt, *in ejusmodi casibus tempora præsentia: præterea Hispanum Gallo hactenus majorem fuisse, & deniqve in Hispaniarum Rege omnino Regum ac Principum Christianorum, qui unqvam fuerint, sangvinẽ coaluisse*: qvod *Sciopp. probat in Consil. Reg. ad Phil. III.* &, ex Impp. 33. & Regibus 143. descendisse, demonstrat. Movent verò & Angliæ Reges Hispano Prærogativæ Controversiam: *qvia antiqvissimi Christiani sint, antiqvissimi Reges, nullius Vasalli, & deniq; Ecclesiasticis absolutè imperent:* qvas & similes rat. ap. *Meteranum L. 13.* legere licet.

LV.

*Qvinam Autores litem contestantur, adeoq; Controversiam hanc de trium Regum Præcedentiâ suam faciunt?*

Hispanici certè Regis eminentiam propugnant *CAMILLUS BORELLUS L. de Præcedentiâ Regis Cathol. FERDINANDUS VASQVEZ Præfat. ad Qvæst. illustr. JACOBUS VALDESIUS L. de Dignitate Hispan. JOH. JACOB. CHIFFLETIUS T. I. c. IX. X. seqq. Vindic. Hispan. ALEXANDER PATRICIUS Armacanus in Marte Gallico L. I. c. II. seqq.* Galliarum verò Regis partes acriter *THEOD. GODOFR. L. de Præcedentia Reg. Francic. DAVID BLONDELL. L. de Ampulla Rhemensi,*

*JOH. BODINUS L. I. de Republ. c. IX.* tuentur. *ROBERTUS* deniqve *VVINGFELD* & *JAC. HOVVELLUS*, *Libris de Prælatione Regis Angliæ* editis, prærogativam jure meritoqve Anglo deberi demonſtrant.

LVI.

## *Qvæ altera jam Controverſia priori illi ſuccedit?*

Succedit de *Lingvâ*, qvâ in Tractatibus utantur Hiſpani, *Controverſia*. Namqve & hoc non parùm addere autoritati videtur, cujus qvis utatur Lingvâ. Convenientibus igitur aliqvando Hiſpaniæ & Angliæ Legatis, diſceptabant inter ſe de Lingvâ. Legatus Hiſpan. per ludibrium dicebat ad Legatum Angl. loqvamur Lingvâ Gallicâ, qvippe Regina tua, eſt Regina Galliæ. Immò verò, regeſſit Anglus, loqvamur Ebraicè: qvippe Rex tuus eſt Rex Hieroſolymitanus. Fieri omninò hinc cœpit: ut omnes *Tractatus publici Lingvâ Lat. tanqvam omnibus communi & neutrarum partium in Hiſpan. hodie peragantur.*

LVII.

## *Qvod præcipuum Hiſpanorum eſt ARCANUM?*

*Præcipuum* illorum *Arcanum* eſt *defendere Italiam, imprimis Ducatum Mediolanenſem, ab invaſione Gallorum.* Nihil enim ægriùs ferunt, qvàm ſi Galli pedem in Italiam ponant. Exiſtimant enim eâ amiſsâ actum fore de Monarchia Hiſpan. Pari ſtudiô, ſed majori

cum

cum emolumento, *Americam s. Indias ab inva-sione, Anglorum præcipuè & Batavorum, defen-dunt.* Nam, qvum omnes Hispanorum opes indè dependeant, justo metu suam præsumunt ruinam, si exteris populis, præcipuè mari potentibus, navigatio in eam pateret.

LVIII.

## *Qvis Reipubl. ap. Hispan. est SCOPUS?*

In Republ. Hispan. juxta *CONRING. commoda Hispanorum* spectantur, & imprimis *Castellanorum.* Horum qvidem beatitudo in magnis collocatur divitiis. Nempe id unum agunt Magnates, ut cum ipsius etiam Regis damno ditescant. Reliqvorum Hispanorum, qvorum & commodum maximè qværitur, felicitas in superbia & lascivia collocatur. Volunt semper aliis imperare, ut sic possint suam explere superbiam: ne dicam, qvòd & unum id agere studeant, ut scortando expleant suam lasciviam. Nempe scortationes sunt, qvæ immane qvantum fœdant Hispan. tantaq; ibi, ut olim, ita adhuc hodiè lupanarium est multitudo, qvanta in tota Europa non reperitur. Atq; sic omninò in Hispanorum Republ. maximè id agitur: ut Hispanis benè sit, & ut possint explere lasciviam, aliisq; imperare. Interim tamen etiam ratio habetur reliqvi populi, qvi sub jugo Hispan. est extra Hispan. sed non nisi *secundariò & per Accid.* Qvemadmodum aliàs nulla Respubl. ita potuit institui, ut non ratio haberetur populi. In omni Republ. populo est

benè:

benè: in optimâ verò Republ. populo eſt optimè. Sic itaqve in Hiſpania populo alicui non eſt optimè, nec etiam peſſimè, alicui ne qvidem benè.

LIX.

## *Qvæ FORMA Reipubl. eſt Hiſpanicæ?*

Apud Mauros *Monarchia* erat *ſimplex & abſoluta.* Mauri enim, aſſveti in Africa dominio abſoluto, illum in Hiſpania qvoqve ſervarunt morem. Atverò Hiſpani, originem trahentes à Gothis, gente liberrima, ac præterea ſuâ ſponte ſibi eligentes Reges, perpetuis inſuper bellis exerciti, non tulerunt ab initiô Monarchiam abſolutam & illimitatam, ſed certis legibus eam ac conditionibus aſtrinxerunt: qvas, niſi excidere Regno Rex vellet, infringere haud poterat. Et qvanqvam, ſucceſſu temporis, creſcente indies Regum potentiâ, Hiſpanorum libertas decreſceret, nihilominus hodieqve Hiſpani Privilegiorum ſuorum tenaciſſimi ſunt, neq; majora ſibi imperari patiuntur tributa, qvàm cum legibus ipſorum convenit.

LX.

## *Qvi tamen omnium ſemper fuêre liberrimi?*

Omnium liberrimi ſemper fuêre *Arragonii*, & hodieqve ſunt *Cantabri*, *Biſcaini* ſ. *Vaſcones* & *Catalonii*. Tantam ſanè libertatem Arragoniorum fuiſſe Hiſtoriæ memorant, ut Reges

ges in judicium vocare, ac citra Majeſtatis crimen novum creare Regem potuerint. Undè nec ullum qvoad libertatem cum Arragonio comparari potuit Regnum: neqve ullius Magiſtratus tanta fuit poteſtas, qvantam *JUSTITIA* Arragonum habuit: qvi indè etiam bonâ cum Grammaticorum venia non *hæc*, ſed *hic Juſtitia* appellandus: qvemadmodum Ungari olim Reginam ſuam *Mariam* noluerunt appellari *Reginam*, ſed *Regem*: qvæ etiam in edictis publicis appellata fuit *Rex Maria*. Penes ſolam nempe *JUSTITIAM* in Arragonia abſoluta erat poteſtas explicandi leges, ejusq; explicationi ſine ulteriore provocatione ſtandum erat. Idem Magiſtratus ſolus judicabat, an parendum regiis eſſet mandatis, nec ne: & ipſe Rex, qvotiescunqve dubitabat juſtumne eſſet aliqvid & legitimum, an ſecus, cogebatur ſententiam Juſtitiæ exqvirere. Qvod *Cantabros* ſpectat, illi hodieqve liberrimi vivunt, nec ullum *Regem*, ſed tantùm *Dominum* agnoſcunt: nec licet Regi Hiſpan. absqve bonâ ipſorum veniâ cum exercitu fines Biſcajæ ingredi. *Catalonii* qvoqve, qvantam curam libertatis gerant, ſatis ante hæc tria luſtra oſtenderunt: qvippe qvi ob minimas à militibus Hiſpan. acceptas injurias ad Gallos defecêre, de fractis privilegiis & oppreſsâ libertate Patriæ conqveſti.

## LXI.

*Cur Arragonii non æqvè ac Catalonii &*

*Ca-*

*Cantabri suâ libertate hodienum, ut olim qvidem fiebat, gaudent?*

Ratio hæc est: qvia, qvum introducta tandem, etiamsi iniqvè id Arragoniis ferentibus, in Arragoniam Castiliani regiminis forma esset, *libertas tandem illorum sensim labefactari & opprimi cœpit.* Ita scil. res sese habet: qvòd Philippus II. Arragoniam insignibus suis exuerit Privilegiis, indeq; Successoribus suis usq; ad nostra tempora magis absolutum in Arragonios reliqverit Imperium.

LXII.

*Anne verò planè absolutum est in Arragonios, qvod Successoribus suis Philippus II. reliqvit, imperium?*

Introducta qvidem est in Arragoniam Castiliani regiminis forma: *nec planè* tamen *absolutum* in *Arragonios Rex habet imperium.* Etiamnum enim Magistratum habent, qvi vocatur *El-Justicia.* Coram hoc scil. illi, qvi per sententiam vel in bonis, vel in persona læsi sunt, qverelam instituere possunt. Qvid? qvòd & in hoc Judicio etiam eâ adhuc antiqvâ libertate gaudeant Arragonii: ut tributa tantùm sub titulo *Subsidii & Arbitrii* pendant, seq; cum Cataloniis à *metatis & epidemeticis* eximant.

LXIII.

*Qvæ ratio interim ac forma Castiliani est Regiminis?*

Qvantum ad *Castellæ* vel *Castiliæ Regnum* atti-

attinet: illud *magis absolutè & monarchicè* à Rege administratur. Imperat videl. in eo Hispanus *absolutè*. Habet enim *potestatem ferendarum legum, jus belli & pacis, jus vitæ ac necis, jusq; bonorum in universâ Castiliâ.* Habet & Rex Hispaniæ ibi *potestatem creandi Archi-Episcopos, Episcopos & Abbates:* idqve accepit, beneficiô Adriani VI. Papæ. Hic namqve liberam Carolo V. dedit potestatem illos eligendi: ut Papa nihil hodiè habeat, nisi potestatem confirmandi. In Hispania deinde qvum liberrimi *Magistri* essent *Ordinum militarium Sacrorum*, qvemadmodum Germ. *Ordinem Johanniticum* liberrimi habet arbitrii, Ferdinandus Catholicus à Pontifice R. sub qvo Ordines illi eqvestres erant, impetravit: ut vel ipse Magister esset omnium Ordd. (ein Groß-Meister) vel ipsi liceret tales constituere Ordinum Magistros. Ne dicam, qvòd hodiè per totum Castiliæ Regnum omnes Magistratus, etiam Politici, omnes item Gubernatores, omnes Judices, & verò, si non omnes promiscuè, potiores tamen pro arbitrio à solo Rege constituantur. Unde apparet, *Regem Castiliæ esse Monarcham plenum:* qvanqvam ne in Castiliæ qvidem Regno tam laxa potentia sit Regis, ut planè nullis limitibus coërceri possit. Rex siqvidem nulli nisi Hispano officia Regni tribuere, nec alios prætorianos milites suo primogenito, qvàm ex Asturia natos, adjungere potest.

LXIV.

LXIV.

*Qvæ ratio administrandi Sacra per universam est Hispaniam?*

Qvum *omnis administratio pertineat*, ut alibi, ita & heic ad *res* aut *sacras*, aut *civiles*, *Sacra* qvidam omnia *administrantur* per *Archi-Episcopos:* qvi numerantur hodiè VIII. *Toletanus* nempe, *Burgensis*, *Compostellanus*, *Hispalensis*, *Granatensis*, *Cæsar-August. Tarraconensis*, *Valentianus*. Inter hos Primas, more omnibus *Regnis* recepto, est *Archi-Episc. Toletanus*, & sic simul *Cancellarius natus Castil.* ipseqve à Rege ejusqve filio proximus. Episcopi numerantur circiter 40. suntqve ipsi sub Archi-Episcopis. Nec minus tamen membra secretioris sunt Consilii, ac Titulo *Don* honorantur.

LXV.

*Qvæ ratio est Res administrandi civiles?*

Qvod *Statum Hispan. civilem* attinet, *Præsides*, *Consiliarios*, *Pro-Reges* & *Gubernatores* Rex in hanc rem constituit. Habet præterea plurima ac diversa *Consilia*: ad qvæ negotia sibi exposita remittere solet.

LXVI.

*Qvæ sunt illa plurima ac diversa Consilia?*

Sunt (1) *Consilium Secretum*, dictum *Conseio de Estado:* cui Rex ipse præsidet, cogitqve & vocat

vocat illud pro suo arbitrio. (2) *Consilium Regium:* in qvo tractantur res ad vectigalia pertinentes. Qvid? qvod & lites omnes ab aliis Tribunalibus ac Curiis Castiliensibus ad hoc Tribunal per appellationem transferantur. (3) *Consilium Bellicum:* in qvo omnia negotia belli tractantur, s. invadendæ, s. defendendæ sint provinciæ. (4) *Consilium Castiliæ.* (5) *Consilium Arragoniæ:* qvod moderatur Arragon. Catal. Majoricam, Minoricam, Ibicam & Cerdenam. (6) *Consilium Italiæ:* cui præest *Castiliæ Connestabilis*, comprehenditqve Regnum Sicil. & Neapol. cum Ducatu Mediolan. (7) *Consilium Indicum:* qvod possessiones Hispanico-Americas gubernat, tàm in Secularibus, qvàm in Ecclesiasticis rebus. Heic enim Pontifex nihil juris habere dicitur. (8) *Consilium Ærarii:* in qvo de reditibus Regis agitur. Et ab hoc rationes accepti & expensi per totum Regnum administrantur, vectigalia locantur, & assignationes fiunt. (9) *Consilium Ordd. Eqvestrium:* in qvo expediuntur literæ ac diplomat: *Ordd. S. Jacobi, Calatravæ,* & *Alcantaræ*, lites item dictorum Ordd. diri-muntur. (10) *Consilium Inqvisitionis:* in qvo de illis, qvos pro hæreticis, habent, cognoscitur, & à qvo Inqvisitores particulares per totum Regnum ordinantur. (11) *Consilium Inqvisit. Toletanæ.* (12) *Consilium Gratiarum:* in qvo præmia iis, qvi officiis suis rectè præfuerunt, decernuntur, condemnati capitis vitâ donantur, & literæ, beneficia Regis confirman-

mantes, expediuntur. (13) *Consilium excussionis debitorum:* in qvo debita & æs alienum Regis dissolvuntur. (14) *Consilium Sylvarum Regiarum:* in qvo ea, qvæ ad curam Sylvarum regiarum spectant, peraguntur. Additum his olim fuit *Consilium Portugalliæ.*

LXVII.

*Qvi Pro-Reges tamen & Gubernatores Regni sunt Hispanici?*

*Pro-Reges* & *Pro-Principes Hispan.* sunt (1) *Pro-Rex Neapolitan.* (2) *Pro-Rex Siciliæ,* (3) *Pro-Rex Navarræ,* (4) *Pro-Rex Valentiæ,* (5) *Pro-Rex Mexicanus,* (6) *Pro-Rex Peruvianus &c.* GUBERNATORES sunt (1) *Mediolanensis,* (2) *Arragonens.* (3) *Cerdenensis,* (4) *Majoricæ ac Minoricæ*, &c.

LXVIII.

*Sed qvæ ratio Regiminis Hispan. in Regno est Neapolitano?*

*Regnum* hoc, qvod armis à Ferdinando Cathol. & qvidem expulsis Gallis, partum, hodie *verè Monarchicum* est. Antehac verò in magna fuit libertate: nec in magnâ tantùm, sed & in nimiâ libertate: cumprimis ipsa urbs Neapolis suis Regibus fuit gravis. Per bella autem populus Neapolitanus fuit domitus. Dependet interim Regnum hoc à Papa tanqvam Ecclesiæ Feudum. Unde & qvotannis Rex Hispaniæ Pontifici Rom. eqvam albam cum 7000.

Du-

Ducatis in recognitionem directi Dominii pendere tenetur. Clerum tamen, Prælatos, Archi-Episcopos & Episcopos Neapolitanos non minus sub imperio continere solet, qvàm alios, frustra Clerô, imò Rom. Pontifice, ringente: qvanqvam ratione collationis minor Regis sit potestas. Pertinent enim Archi-Episcopatuū & Episcopatum ibi collationes ad Papam: qvi qvidem horum magnam partem solet concedere suis Nepotibus, parum Episcopis ipsis è perpetua Curiæ Rom. praxi relinqvens. Qvod autem res civiles Regni Neapol. attinet, longè durior hodiè à Pro-Regibus ibi, qvàm in Sicilia sit administratio.

## LXIX.

## *Qvæ ratio regiminis est Hispanici in Sicilia, item & in Sardinia?*

Utraqve Insula administratur manu regiâ nutuqve Regis Hispan. Hispanus nempe uttobiqve *Monarcha* est, & administrat omnia per Pro-Regem: qvi qvidem in Sicilia sedem suam *Panormi* habent, tanqvam in urbe satis castellis ac munimentis auspiciis Caroli V. instructa. Qvanqvam autem perpetuo milite Hispanico teneatur ob perpetuas eruptiones piraticas Sicilia, proportione tamen habitâ inter Regnum Neapolitanum & Siculum, semper Sicilia mitiùs habita, qvàm Neapolis: cumprimis mitissimè habetur *Messina*, qvæ urbs ditissima est & florentissima commerciis.

LXX.

LXX.

*Qvid de Insula Malta heic habes, qvod recites?*

Hoc habeo : esse portionem qvandam Regni Siciliæ, in manibus tamen hærere *Eqvitum Melitensium:* qvippe qvibus illa concessa à Carolo V. ut munimentum Regni Hispan. & Siculi essent. Qvapropter Hispanum tanqvam *Dominum directum* agnoscere tenentur : inqve signum *recti Domini ACCIPITREM ALBUM* offerre illi solent.

LXXI.

*Qvale Regimen in Mediolanensium Ducatum habet Hispanus?*

Hic eodem ferè modô regitur, qvô Neapolis, sed longè tamen mitiùs : idqve vel hac præcipue de caussâ, qvia si durè æqvè haberetur, facilè posset per seditionem dubium facere imperium. Habet enim à latere Gallum, habet Sabaudum, habet Venetos, & alios Principes Italiæ. Verentur ergo Hispani : ne si durè habeatur ille Ducatus, seditione motâ, vicinus accersatur, populusqve se in libertatem vindicet: qvippe qvi longè bellicosior qvàm Neapolitanus. Mittitur interim eò *Gubernator Castellanus,* qvi in arce Mediolan. residet : utq; possit in officiô tota retineri urbs, tenetur ea semper præsidiô Germanico.

LXXII.

*Insulæ Baleares, Majorica & Minorica, qvale habent Regimen?*

Regun-

Reguntur & hæ duæ Insulæ manu regiâ *simpliciter:* ut summa potestas sit penes solum Regem. Solet autem Rex Hispan. eas regere per *Gubernatorem:* qvi meritò deberet esse Arrag. qvia propriè pertinent ad Regnum Arragón. Raró autem talis admovetur, sed plerumqve est Castellanus. Qvoad regimen Ecclesiæ sunt sub Episcopo, qvi subest Archi-Episcopo Tarraconensi: ut ita appareat, regimen Insularum harum dependere à Rege Arragoniæ.

## LXXIII.

## *Qvod Regimen Hispanus olim in Belgicis habebat Provinciis, anteqvam VII. excuterent jugum?*

Qvoniam singulæ Provinciæ à se erant distinctæ, non poterant uno communi regimine ab Hispano teneri Et qvanqvam id qvidem facere volueratCarolusV.&PhilippusII.nec tamen ausi sunt propositũ hoc exeqvi. Videbant enim, populum libertatis esse studiosissimum. Qvare in singulis Provinciis (Brabantiâ exceptâ) suos habebant Gubernatores: ita tamen ut Judicium unum summum omnium provinciarum, qvod à Carolo V. jam tum Mechlinæ constitutum, foret. Interim ut olim, ita & hodieqve Provinciarum, qvæ qvidem jugum Hispan. non excussêre, unus *Generalis* est *Gubernator:* ad qvem omnia remittantur. Sic jam olim sub Carolo V. habebant *Margaritam Parmensem*; sub Philippo II.

*Albanum, Reqvesenium, Johannem Austriacum, Alexandrum Parmanensem*, generales Gubernatores.

LXXIV.

*Regimen Americanum qvomodo se habet?*

America regitur per *duos Pro-Reges*. Qvia enim dividitur in duas partes, in *septentrionalem* & *meridionalem*, qvælibet illarum pars singularem habet *Pro-Regem. Pro-Rex Americæ meridionalis* resides in urbe *Lima*, Regni Peruani Metropoli: *Pro-Rex* verò *Americæ septentrion.* residet in urbe *Mexico*, Regni Mexicani Metropoli. Solent autem illi, ut & alii Pro-Reges, ordinariè nonnisi ad triennium munere isto fungi, idq; prudenter: ne scil. diuturnius regimen Reipubl. noceat.

LXXV.

*Tam latè proinde imperitans Hispan. ubi firmam hodie & fixam sedem habet?*

Elegit sibi hodie à temporibus Philippi IIdi perpetuam sedem *REGNUM CASTILIÆ*. Tametsi enim Rex Hispan. latè imperitet: *in Regno* tamen *Castiliæ sedem qv. firmam habet*. Primus hoc, ut dixi, Philippus IIdus fecit: ut Castilia perpetua esset Regum Hispan. sedes. Nam longè aliter Carolus V. res suas constituerat, nuspiam fixam habens sedem, sed Germaniam, Hispaniam, Africam, Italiam & Belgium peragrans.

LXXVI.

*Sed qvæ regia hodie Metropolis Regni est Hispanici?*

Eſt *MADRIL* ſ. *MADRITUM*, qvibusdam *Mantua Carpentanorum*, aliis *Viſeria*, in editiori clivo ſitum, Septemtrionibus majori ex parte obverſum, in ſolo magis ſalubri qvàm fœcundo: ubi Carolus V. Imp. diuturno qvartanæ morbo poſt paucorum dierum moram liberatus. Qvinto abhinc lapide diſtat Monaſterium S. Laurentii, vulgò *Eſcurial*, Philippi II. opus, ſepulcris ejus, filiiqve & nepotis nobile: qvò & Reges ter qvotannis ſeceſſum inſtituere ſolent.

LXXVII.

*Hiſpaniæ Rex ubi ſupremum ſuum habet Dicaſterium?*

Habet id in *Curia Regia*. Ibi enim qvatuor Juſtitiæ Præfectos à Rege ipſo conſtitutos haberi, *DE LAET* teſtatur: qvi de omnibus cauſſis civilibus & criminalibus cognoſcant.

LXXVIII.

*Qvod inſuper eſt uſitatiſſimum in Hiſpan. judicium?*

Eſt id, qvod *Pesqviſam* vocant, cujusq; Judices dicuntur *Syndici*. Horum verò judicium *Syndicatio* vocatur: & Syndicatus hic eſt experimentium totius juſtitiæ, deq; qverelis ſingulorum ſermo.

LXXIX.

*Qvi ipſi Regni Hiſpanici ſunt Proceres?*

*Proceres* Regni Hiſpanici *trium* ſunt *Claſſium.* Nempe ſunt *Duces*, *Marchiones* & *Comites:* qvi uno nomine apellantur *GRANDES.* Non autem adeò diu eſt: qvòd ipſorum Ordo cœpit. Primus qvippe Henr. II Rex Caſtellæ & Legionis fuit: qvi eum inſtituit. Et ſanè hodiè *GRANDIUM* ea eſt ratio in Hiſpan. ut Rex non immeritò ſibi ab illis metuat: præſertim ſi magna hæreditaria bona habeant. Undè imprudenti conſilio factũ hoc putatur: ut in tantum numerum excreſcerent Magnates, hiqve ipſi ad tantas eveherentur divitias.

## LXXX.

## *Qvomodo hi cum Rege agunt in Comitiis?*

Agunt cum Rege paulò liberiùs, qvàm par eſt in Comitiis. Unde & rarò indicuntur à Regibus: etiamſi ſæpe petantur. Præſidet verò in illis Rex & proponit: poſtea *Gravamina*, ut appellantur, exponunt Ordines: qvorum tamen jamjam deciſorum executio lenta eſſe ſolet.

## LXXXI.

## *Rex Seculi moderni è qvâ Domô eſt oriundus?*

Eſt oriundus è *Domô Auſtriacâ*, atqve ſic arctiſſimè Cæſari noſtro junctus. Philippus namqve Archidux Auſtriæ, Dux Belgii, Maximiliani I. Filius, in uxorem Johannam, Ferdinandi Arragonii & Iſabellæ filiam duxerat: è qvo qvidem conjugio Carolus V. & Ferdinandus

dus ſunt nati, qvorum uterq; Imperator factus. Carolo V. verò in Regnis ac Provinciis Hiſpan. ſucceſſit Philippus II. Caroli Filius atq; unicus Regni hæres.

LXXXII.

*Qvid è dictis apparet?*

Hoc indè apparet: qvòd in *Regnis Hiſpan. ſucceſſio etiam fiat per filias:* qvale qvid nuſpiam in German. obtinet, nec & in Regno Galliæ. Sic igitur, maſculinâ Familiâ regiâ extinctâ, facilè fieri poteſt, ut nova Familia rerum in Hiſpaniâ potiatur: utpote qvum Regna *jure dotalitii* poſſint ibi ad alios pervenire.

LXXXIII.

*Qvale verò Hiſpanicum eſt Regnum?*

Eſt *hæreditarium*. Naſcuntur enim in Hiſp. Reges, non fiunt: nec & filiæ ibi, deficientibus filiis, à Regno excluduntur.

LXXXIV.

*Qvo peculiari nomine primogeniti Regum Hiſpan. filii vel filiæ veniunt?*

Regia utriusqve ſexus ſoboles peculiari nomine jam olim dici cœpit *INFANS*, non à Latinâ illa voce, qvâ *puerum* & *minorennem* denotamus: (Nam INFANTES in Hiſpania dicuntur provectioris etiam ætatis viri fæminæqve) ſed à voce Cantabricâ, qvæ ſignificat *proximum Regni Succeſſorem*. Atqve ſic in hodiernum usq; diem *primogeniti filii* vel *filiæ* Re-

gnum Hispan. maximè vocantur *INFANTES*. Transferri tamen & ad qvosvis Regni successores *Infantis* nomen cœpit. Sic superstite Balthasare natu maximo nuper *Infantis* nomen gessit Ferdinand. Carol. & possunt plura exempla dari.

LXXXV.

*Cujus nominis INFANTEM masculum Rex Philippus IVtus in Hispania post obitum Regno reliqvit?*

Reliqvit *Carolum II. qvadrimulum:* ejusdemqve tutricem ante obitum Anno 1665. constituit Reginam, VI. huic adjungens Consiliarios: nempe IV. ex constitutione Regni, & adhuc duos è liberâ voluntate (*Marchionem* puta *& d' Aytona, & Comitem de Pigneranda*) ut horum consilio, si liberet, uteretur, cœteroqvin absoluto imperiô frueretur.

LXXXVI.

*Quæ INFANS fœmella est Hispaniæ?*

Est *Regina Galliæ:* qvippe qvæ Philippi IV. est Filia primogenita. Hanc tamen Rex, juxta *Relat. Francofurt. de Anno 1665. Mense Octobr.* à successione in Regnum Hispanicum exclusit, Regimenqve Hispanicum post obitum unici relicti filii potentissimo Imperatori nostro cum Filiæ natu IIdæ matrimonio concessit.

LXXXVII.

LXXXVII.

*Cæterùm, qvanta Hiſpaniæ eſt opulentia?*

Eſt *ſatis magna*. Præter fructus enim, qvos multis in locis affatim producit, plurimorum etiam populorum commerciis ditatur. Imprimis portus Hiſpalenſis mercibꝰ eſt qvæſtuoſus. Indè ſiqvidem varia mercimoniorum genera in alias mundi plagas emittuntur. Huc etiam è Regno Peruano aurum & argentum, è Regno Mexicano materia ad tingendas lanas, aliæqve immenſæ opes advehuntur. Ex pulcerrimis qvoqve eqvis non parum lucri Hiſpania percipit. Percipit & lucrum ex optimi vini genere, qvod noſtri Peter Simenes appellitant, nomine inde huic vino impoſito: qvod Peter Simon vites à Carolo V. è German. in Hiſpan. translatas illius juſſu in Caſtil. propagarit.

LXXXVIII.

*Qvi regni reditus?*

Noviſſimus *Itinerarii Hiſpan. Autor* Regis Hiſpan. reditus ad *X. Milliones auri* extendit. Id qvod tamen de *ordinariis tributis ac vectigalibus* ex *Ordinibus Eqveſtribus* Rex magnum habet proventum.

LXXXIX.

*Qvæ potentia?*

*Potentia Hiſpanica* omnis aut *terreſtris* eſt, aut *navalis*. *Terreſtris* in *militia* cùm *eqveſtri*, tùm

tùm *pedestri* consistit. *Eqvestris militia* eqvitum est 5000. nullumqve alium Tribunum, qvàm Regem agnoscit. *Pedestris*, dicta *el batallon*, à civitatibus, vicis ac pagis alitur, continetqve ad 70000. peditum. *Navalis* deindè *Hispanorum potentia* in 10. aut 12. triremibus & 12. magnis consistit navibus, qvæ Mare circa Africam pervagantur. Sunt & præterea aliæ naves in portu Hispalensi ad pugnandum paratæ.

## XC.
## *Qvot Classes Hispanus habet præcipuas?*

Ut olim Rom. vires Imp. sui, per omnes tres Orbis tunc cogniti partes diffusi, geminâ conjungebant Classe, qvarum una ad Mare superum s. Adriaticum excubabat, stationem habens Ravennæ, altera ad Mare inferum s. Tyrrhenum Miseni erat collocata: ita & Hispan. qvum abluatur ab Oceano & Mari Mediterraneo, atqve ab utriusqve maris conterminis Provinciis imperium ejus agnoscatur, idcircò *geminâ classe* ad conjunctionem non minus qvàm defensionem Provinciarum suarum utitur. Est igitur *Classis præcipua una: qvam Hispan. habet in Oceano, stationem utplurimum ad Oppidum S. Lucar obtinens:* ut Indiam defendat Occidentalem. *Altera præcipua Classis in Mari Mediterraneo habetur, ac non Italiam modò, sed & Insulas Baleares, Corsicam, Sardiniam, Siciliam & oppositas in Africa urbes*

*urbes, Larachen, Arcilam, & similes complectitur.* Præcipuè autem illa id intendit: ut summa in Italia autoritas penes Hispanum permaneat.

XCI.

*Atenim qvæ tertia illa est, cui similem Orbis non viderat, Hispanorum Classis?*

Est *infelix illa*, certè tamen apparatu suo toti terrarum Orbi formidabilis, *qvæ in Mari Germanico destinata superiori seculo, Anno nempe 1588. propriè fuerat ad subjugandas iterum Provincias Belgicas.* Tantæ scil. illa fuit potentiæ: ut omnibus Marium peritis vocaretur *INVINCIBILIS: Militibus* enim constabat ferè 19000. *nautis* verò 7049. *Dynastis* 220. ipsis *Religiosis* & *Chirurgis* 669. &, totô numerô exactè computatô, *hominibus* 28239. *Navibus* deniqve 135. Sed unius mensis spatio disjecta fuit, primò *incuriâ* & *tarditate Ducis Parm.* qvi cum 40 navibus min. è Belgio præstò esse jussus ob caussas intervenientes id effectui non dederat; deinde *punctuali observantiâ mandatorum regiorum:* deniqve *virtute Anglorum*, qvorum naves immanibus atqve tardissimis Hispan. manibus minores ac agiliores maxima damna Hispanis inferebant.

XCII.

*Qvos perpetuos Hispani hostes sibi habent?*

Perpetuos ſibi hoſtes habent *GALLOS.* Poſtqvam enim Ferdinandus Arragon. tot regionum conjunctione fundamenta *Qvintæ* alicujus *Monarchiæ* poſuerat, *GALLI,* qvos hactenus Hiſpani tanqvam impares neglexerant, ab eo tempore perpetuis qv. bellis creſcentem horum potentiam defatigare cœperunt. Qvod imprimis factum, qvum Carolus V. Rex Hiſpan. Imperium qvoq; German. conſecutus eſſet. Hinc atrocia illa inter Carolum V. & Franciſcum I., inter Philippum II. & Henr. II. bella.

XCIII.

*Qvalis illa Hiſpanorum & Gallorum eſt hoſtilitas?*

Eſt *mutua.* Mutuis enim odiis ſe invicem ita proſeqvuntur hæ duæ Nationes, ut peculiari libello repugnantia iſthæc Gallorum ac Hiſpanorum deſcripta habeatur. Certè de *Antipathia Hiſpanorum & Gallorum GRAMONDUS* qvædam *L. I. p. 21.* eleganter ſcripta habet.

XCIV.

*Cur mutuis ſe invicem tantopere proſeqvuntur odiis?*

*Cauſſarum mutui* hujus *odii* alia eſt *naturalis*, aliæ ſunt *civiles.* *Naturalis cauſſa* ipſa *naturarum* eſt *diverſitas.* Etenim Galli (1) celeres & incitati, Hiſpani verò lenti & melancholici: (2) Galli in literaturâ omnibus ſcientiis ſe conſecrant, Hiſpani verò, reliqvis prorſus neglectis, unam eligunt. *Cauſſæ Civiles*

*biles* f. *Politicæ* imprimis *tres* ſunt. Nempe (1) *acre de Ducatu Burgundico diſſidium.* Nam licet Franciſcus I. à Carolo V. captus in Transactione Madritienſi jura omnia in Burgundiam reſignâſſet, à Parlamento tamen Transactio illa irrita facta fuit, indeqve adhuc hodiè *Ducatum Burgundiæ* Gallus poſſidet, Hiſpano interim *Comitatum* ſaltem *Burgundiæ* (vulgò die France Conte) tenente. (2) *Armata Neapolitani Regni poſſeſſio.* Qvum enim Galli diu Neapolim tenuiſſent, Duce tandem Magno Conſalvo omnes ſunt ejecti, Neapolisq; armata manu ab Hiſpanis in hunc usq; diem poſſideri cœpit. (3) *Dudum mota ob Ducatum Mediolanenſem controverſia.* Etenim, qvum Philippus Maria, Vice-Comes Mediolan. absqve prole deceſſiſſet, moveri controverſia cœpit: *Eccuinam Ducatus Mediolan proprius futurus eſſet?* Fridericus III. Imp. nomine Feudi ad ſe pertinere aſſerebat: Ludovicus Dux Aurelianenſ. uxoris nomine (huic enim Valentina Galeacii, Vice-Com. Mediolan. filia nupſerat) hæredem ſe vocabat: Alphonſus Siciliæ Rex teſtamento hæres ſcriptus erat: accededebat Fr. Sfortia, qvi Philippi Mar. illegitimam filiam Blancam duxerat: Mediolanenſes ipſi ad libertatem adſpirabant, pro qvâ obtinenda Imperatori qvotannis poculum aureũ promittebant. Obtinuit Fr. Sfortia, qvi obſeſſo Mediolano cives fame victos ſibi ſubjecit. Interea non qvieverunt Galli, præcipuè Ludovicus XII. qvi A. 1500 capto Ludovico Sfortia

ad se retraxit Ducatum. Imperator Pontif. Julii II. & Helveticorum auxilio captivi Filium Maximil. Sfortiam Ducem constituit, & Gallos Anno 1512. ejecit. Secuta Anno 1513. cruenta ad Novariam Helveticorum in Gallos victoria. Renovavit bellum hoc Anno 1515. Franciscus I. Rex Galliæ, atqve d. 13. Sept. per biduum acerrimè præliatus Mediolanum recepit: Sed captus ad Paviam Anno 1525. jura sua resignare coactus fuit. Atqve ab hoc ipso tempore eò aspirare non potuêre Galli, ut ferrô diu motam illam Mediolanensem controversiam penitus dirimerent.

XCV.

*Qvæ deniqve Hispani sunt Prætensiones?*

Tribuit sibi (1) *jus in Regnum Portugalliæ*, injuriaqve sibi, postqvam Philippus IV. hoc Regno exutus, eidemqve Dux Braganziæ Johannes IV. è stirpe Catharinæ surrogatus fuit, idem Regnum ereptum esse conqveritur. (2) *In Ducatum Burgundiæ, & qvidem ex jure hæreditario*, à Maria Caroli ult. Burgundiæ Ducis ad hodiernos Hispan. Reges davoluto. (3) *In Ducatum Britanniæ*: eò qvod Philippus II. post obitum Henr. III. Galliæ Regis Isabellæ filiæ suæ, qvæ Henr. III. ex Sorore neptis erat, jus repræsentationis in Ducatum hunc allegavit. (4) *In superioritatem territorii Ost-Frisiani*: ut constat ex Vervinensi inter Gallum & Hispanum transactione.

CA-

# CAPITIS I.
# APPENDIX
## DE
# AMERICA.
## EROTEMA I.
### *America qvota eſt pars Terræ?*

EſT *pars Orbis Terrarum qvarta*, planè olim ignota & Europæ & Aſiæ. Certè enim in antiqvis, vel Græcorum, vel Romanorum, monumentis ne minima qvidem fit *Novi Orbis* mentio. Conjectando qvidem aliqvid conſecuti ſunt, eſſe ibi aliqvas terras: certò autem id nemo unqvam affirmare auſus fuit, nec & ullibi memoratur, homines eò migraſſe aut navigaſſe.

## II.
### *Qvanta & ipſa pars Terræ eſt.*

Eſt *pars terræ maximè ampla & ſpatioſa*, habens ab *Ortu* Mare Atlanticum & Mare del Nort, à *Meridie* fretum Magellan. qvô à terrâ Auſtrali incognitâ ſeparatur. Ab *Occaſu* pulſatur Mari Pacifico ſ del Zur: à *Septentrione* terra eſt Septentrionalis incognita. Extenditur igitur in *longitudine* ſuâ per *Milliaria Germ.* 2400. in maxima verò *latitudine per* 1300. *Milliaria.*

III.

*Qvomodo dividitur?*

Dividitur in *Meridionalem* & *Septentrionalem*. In *Septentrionali* præcipua est provincia *Nova Hispania* s. *Mexicana*: qvo nomine sæpe venit tota America Septentrionalis, ducto eô, à præcipua Urbe Mexico. *America Meridionalis* ad Mare del Zur habet Castellam auream, novam Andalusiam, Popojanam, &, qvæ potissima, *Peruviam*, Regiones item, Hispanis nondum cognitas, *Chilin* & *Chicam*.

IV.

*Utraq; qvô sensu Novus Orbis dicitur?*

*Novus Orbis* America utraqve dicitur χετικῶς, respectu nempe citeriorum temporum: qvum indicia non pauca deprehensa ibidem fuerint Evang. prædicationis: unde pateret, jam olim illam terræ partem fuisse cognitam. Ipsi nimirum Americani fassi sunt, ante innumerabiles Lunas (sic enim illi tempora putant) viros barbatos, qvales erant Hispani, doctrinam eandem eò attulisse, sed à majoribus suis fuisse interfectos.

V.

*Novi hujus Orbis qvis ac qvalis est situs?*

*Situs ipsius satis est tutus.* Ita enim America est sita, ut non possit adiri nisi navigiis. Pedibus enim ex totâ Europâ, vel Asiâ, vel Africâ nullus populus in Americam transire potest, eidemq; vim pedestri inferre itinere. Undè

dè nec Americani à populis ſibi metuere poſſunt, qvi potenti Claſſe non ſunt inſtructi: nec poſſunt etiam cum populis niſi Claſſe inſtructis commercia exercere. Sic itaqve, qvoniam inter Europæos non eſt populus, qvi magnâ valeat Claſſe, præter Hollandos & Anglos, non poteſt Hiſpanus in illis terris qvicqvam metuere ab Europæis populis, præterqvam à Batavis & Anglis. Præterea, qvoniam in Africa non ſunt præter piratas, qvi Claſſem magnam inſtituere póſſint, neqve etiam præterea Aſiatici Populi claſſe valent, non eſt qvod Americæ ſuæ ab Africanis & Aſiaticis multùm Hiſpania metuat. Tantum Hollandi & Luſitani in India Orientali tenent loca qvædam, ibiqve claſſem paratam habent. Longè verò eâ parte, in qvâ Claſſe Hollandos ac Luſitanos valere dixi, America ab Aſia eſt remota. Inter Indiam enim & Californiam, vel reliqvam etiam Americæ partem, ingens intercedit ſpatium. Utut autem ſic terra firma ſatis ſit tuta adverſus Europæos qvosvis (exceptis Inſulis) commercium tamen & transportationem mercium valde impedire Angli & Batavi per hoſtiles Claſſes poſſunt. Et ſanè impediverunt ab Anno 1620. poſtqvam die West-Indische Compagnie nata.

VI.

*Qvum igitur qvàm maxime incognita Terra illa citerioribus tempp. eſſet, ecqvando innoteſcere demum Europæis cœpit?*

Factum

Factum ſanè ſingulari DEI beneficio, ut terræ illæ antehac ignotæ Anno poſt natum Chr. 1492. & qvidem fauſtis Chriſtophori Columbi Genuenſis auſpiciis, hominibus tandem innoteſcerent.

VII.

*Unde verò hoc nomine dici meruit America?*

Tota illa Terra ab *Americo Veſputio*, homine profectò felicisſimo, dici meruit *America*: qvippe qvi primus *terram* Americæ *continentem* detexerat. Dictus autem eſt *Americus* penultimâ longâ. Si igitur accuratè vellemus loqvi & pronunciare, etiam deberemus *Americа*, penultimâ longâ, dicere. Sed, qvum parùm id referat, vulgò hodiè dicitur, penultimâ correptâ, *America*.

VIII.

*Unde eadem illa ſatis ſpatioſa terra ab hominibus ac brutis habitari cœpit?*

Certè, qvamprimùm admirabilis ille Colonus, Americus Veſputius, in Americam continentem ſe penetraverat, excitari ap. Europæos ingenia cœperunt. Cœpit & non in minori laude poni, originem tot gentium oſtendiſſe, qvàm detexiſſe terras. Adeò videl. inexhauſtæ difficultatis Qvæſtio, *unde hic Novus Orbis, unde immenſa illa hominum & animalium multitudo, qvi ejus incolæ, qvibus terris profecti, qvæ viæ ignorantibus apertæ, qvid eos*

tandem

*tandem ab origine sua mutârit, &c.* plurimorum industriam fatigabat, ut superioribus etiam annis curiosè disputaretur in Hispania: *Utrùm Indi ab Adamo oriundi, an verò media qvædam species inter simios & homines essent?* Atenim qvum certius hoc sit, qvàm qvod certissimum, *omnes homines debere originem Adamo, deinceps Noacho hujusq; filiis*, non opus est heic prolixè disputare: *qvomodo in Americam illi venerint?* Nec & necessum est cum novo Præ-Adamitarum Plaste, *PEYRERIO Gallo*, insanire. Dudum enim est: qvòd *Peyrerio*, meras de prisca Americanorum origine nugas vendenti, cùm *MARESIUS* in *Refutat. Fab. Præ-Adamit. Qv. III. §. 54.* tum *J. PYTHIUS L. I. Resp. Exetast. ad Tract. Præ-Adamit.* responderunt. Doctissimè interim Argumenta de *Orig. Gent. American. L. I. Hist. Americ.* examinavit *ACOSTA*, pervenisse illuc homines ex Europa, Asia, Africa; ipse tradens. Post illum verò idem argumentum in Belgio duplici Dissertatione egit *HUGO GROTIUS*: cui doctissimè se opposuit *JOH. DE LAET*. Et qvanqvam maximè faveant Eruditi Grotio, ipseqve etiam *CONRING.* doctrinam Grotii magni cæteroqvin faciat: præferendus tamen hac in parte *LAETIUS* esse videtur. Is namqve magis hac in re veritatem asseqvitur: qvum ipse, *incolas in Americam terrâ potiùs transiisse, qvàm mari; aut, si ulla intercesserit navigatio, non fuisse eam longam aut difficilem*; è certis indiciis colligit: aitq;,

reverà

reverà unum Orbem alteri esse continuum, aut aliqvâ saltem parte vicinum. Cæterùm *Dissertationem* qvoqve *de Origine Gentium Americanarum* scripsit ac edidit *ROB. COMTÆUS*: nec minus *Animadversionem ad ea, qvæ Grotius & Laëtius de Orig. Gent. Peru & Mexican. scripserant*, ut esset Prodromus Comment. ad *Es. 18.* juris publici fecit *JOH. BAPTISTA POISSON*, nova ibidem suppeditans Argumenta. Novissimè tandem omnium de *Originibus Americanis* scripsit *GEORG. HORN.* res Americanas ab ipsa gentis origine ad Europæorum in eam adventum usqve *Libris IV.* memoriæ prodens. Cui itaqve curiosum hoc Argumentum tractare placet, is laudatos adeat Scriptores.

## IX.

## *Qvæ Gentis Americanæ hinc fluit Antiqvitas?*

Fluit è curiosâ æqvè ac studiosâ hac Originum Americanarum indagatione *veneranda Gentis canities.* Etiamsi enim *Americanorum Origines* incertæ sint, imò obscurissimæ, nec satis constet, an ad Europæos, an ad Asiaticos referri debeant: *JOH. LAETIUS* tamen *Diss. de American. Gent. Orig. p. 70.* confidenter judicat, omninò credendum hoc esse, qvòd, qvum America tàm latè pateat, qvàm noster Orbis, ac non minus habitata fuerit, qvàm aut Europa, aut Asia, aut Africa, *statim post confusionem Lingvarum in Americam migratum fuerit.*

X.

## X.

## *Quæ qvæso conditio ac status Americanorum ante Hispanorum fuit adventum?*

Discere id possumus omne ex *JOSEPHI ACOSTÆ*, doctissimi pariter ac sapientissimi Jesuitæ, *Historia Americana:* qvâ complexus est *Historiam Amer. naturalem, civilem* & *Ecclesiasticam*, eâ fide, eâ accuratâ curâ, ut non dubitemus eundem inter politissimos hujus Argumenti Scriptores referre, Scripta autem illius Historia Americana habetur primùm Hispanicè: versa deinde fuit in sermonem Belgicum, ex hoc in German. Certè igitur, qvi adspirat ad cognitionem Rer. American. civiliū, magnum ex *ACOSTÆ* Opere hoc Histor. fructum potest percipere. Nunqvam enim ab ipso editam *Historiam Novi Orbis* legere licet sine admiratione. Sunt, sunt reverà ibidem omnia stupenda. Nominatim descripsit vasta illa Regna, *Ingarum*, *Mexicanum* & *Peruvianum:* qvomodo se habuerint ante occupationem Hispan. Scripsit itidem Latinè *duos Libros de Nat. Novi Orbis*, qvi conjuncti esse solent ejusdem Autoris *Libello de Prædicatione Evang. ap. Indos.* Potuit autem nemo meliùs *Acostâ* Argumentum hoc tractare: ipse enim per 18. annos in America vixerat, fueratqve longè doctissimus & patientissimus Jesuita, sincerè omnia enarrans. Prodest igitur *Acostæ* hoc *Opus*, qvô *Histor. Americ.* fideliter com-

*complexus est*, Theologis, Politicis ac Mathematicis. Cumprimis notabile est, qvod habet *L. VI. & VII.* nempe *non fuisse eam barbariem in Americâ, uti vulgò creditum, sed florentes Respubl. Major barbaries*, inqvit, *fuit ap. Rom. tempore Taciti, qvàm ap. Americanos. Illi æqvè civiles fuerunt ac Rom ipsi, vel Gentes Europæ.* Tantum abest, fuisse naturâ barbaros, qvod dicit *SEPULVEDA*, ut potius ratione legum multa prudentiùs ap. illos, qvàm ap. ipsosRomanos, constituta fuerint.

## XI.

## *Sed Americanorum res qvales sunt hodie?*

*Tales* sunt: *ut totus ille novus Orbis in doctrina & moribus habeatur mutatus:* Posteaqvam scil. pars Americæ nobilissima Anno 1520. & deinceps Peruvia Anno 1525. subjici Hispanis cœpit. Tametsi verò ingens ille Americæ tractus à septemtrionaliPolo usqve ad fretumMagellan. Hispanorum auspiciis sit inventus: minima tamenAmericæ Meridionalis pars paret Hispano: Saltem littoralia ille ad Mare Australe habet, mediterranea non item. *Brasiliam* ad Mare Occidentale Lusitanus habet. Ne de *Novâ* dicam *Angliâ*, de *Novâ Franciâ*, deqve *Novo Belgio*: ubi Hispanus nullus. *Sunt* & in *utraq; tàm Septemtrionali, qvàm Meridionali, cumprimis verò in Meridionali, Americâ plures sui juris populi.* Et ita utrinqve vasta sunt Regna: qvæ non parent Hispano. Qvæ tamen

tamen propriè ad Hispaniam terræ Americæ spectent, & qvænam terrarum illarum, qvas Hispanus tenet, sit conditio, qvæqve munimenta, omnia præclarè, prout reliqva Americæ, peculiari, eoqve satis magno, *de Reb. Americ. Opere* descripsit *JOH. de LAET.* Superat id Opus omnium reliqvorum Scriptorum diligentiam, editumqve habetur *in Fol.* Profuit tamen *Laetio* in eodem Opere plurimùm Scriptum aliqvod Hispanicum: qvod 50. annos antè Hispanus qvidam accuratissimè scripserat, cui nomen *ANTON. de HERREIRA.* Qvum verò scriptum illud accuratissimam terrarum, Hispano in Amer. subjectarum, *Topographiam* contineret, valdè nocuit Hispanis. Acceperunt enim hoc pacto Batavi non tantùm accuratam terrarum istarum notitiam: verùm etiam exiguas Hispano in Novo Orbe esse vires deprehenderunt. Undè & eundem Librum *Belgicè*, post *Latinè* verti curarunt, non sanè amore, sed odio potiùs Hispanorum: ut scil. manifestum toti fieret Orbi, qvænam ac qvalis Hispanorum in Novo Orbe esset potentia.

XII.

## *Qvotuplices igitur potissimùm sunt Americæ hodie incolæ?*

Sunt potissimùm *triplices: antiqvi* alii, alii *Hispani advenæ*, alii *Æthiopes*. Nonnulli qvartum genus addunt, *natorum* nempè è *promiscuo Hispan. & Amer. conjugio*, qvos vocant *Mestegos.*

*ſtegos. Veterum* autem *incolarum* pro amplitudine Americæ numerus ſatis eſt exiguus. Hiſpanorum namq; ſævities plures perdidit milliones : ut pauci hodiè è veteribus ſuperſint incolis oriundi. Minimus tamen numerus eſt *Hiſpanorum*. Vix enim in totâ America reperies ultra 3000. vel 4000. Hiſpanos incolas : plurimi ſunt *MESTEGI. Æthiopum* qvoqve, qvi ultimo ſunt loco, & ex Africâ venales in Americam tranſlati habentur, multitudo longè Hiſpanos ſuperat.

XIII.

*Poſitô qvadruplici hoc incolarum genere, annon Hiſpanus ſatis cauſſæ habet, ut ſibi à mutuo incolarum odio turbisq; inde in tàm longè disſitis terris emergentibus metuat?*

Tametſi peſſimè habiti ſint Americani ab Hiſpan. nullum tamen in Hiſpanos ſupereſt hodiè odium, nec Hiſpanorum in Americanos : qvia hodierni Americ. diu ſunt nati poſt captam Americam, & priſtinum ſtatum non niſi fando percepêre. Qvum item illi in ſervitute nati ſint, ipſis accidere ſolet, qvod in univerſum omnibus in ſervitute natis : ut nempe præſentem minus odio habeant ſtatum. Cumprimis *Meſtegi* Hiſpanis non adeò malè ſunt affecti. *Æthiopes* ſervili admodum ſunt ingenio : qvippe qvorum magna pars in pueritia iſtuc tranſlata. Neſciunt hinc meliora, & ſeqvuntur ſuos Dominos. Par ratio *Hiſpanorum* :

*norum:* qvorum plurimi nati in Amer. adeoqve minùs curant Hiſpaniam. Sic itaqve, qvum omnes magis ament Amer. qvam Hiſpaniam, ( eò qvod nec *Americani*, nec *Hiſpani*, nec *Meſtegi*, nec *Æthiopes*, unqvam viderunt Hiſpaniam ) non eſt : cur à mutuo, diverſæ licet Gentes ſint, incolarum odio, indeqve emergentibus turbis, facilè ſibi metuat Hiſpanus: niſi qvòd, ſi Dux Americanus rebellis foret, Rex Hiſpan. facilè Americam amittere poſſet.

XIV.

*Americani αὐτόχθονες nominatim cujus ſunt indolis?*

Sunt *ſimplices* ſatis, *civiliter probi, indeq; Hiſpanis qvoad virtutes morales facilè præferendi.* Sat etiam *ingenioſi* eſſent ad artes diſcendas : niſi ab Hiſpanis arcerentur. Non potuerunt ſanè ipſimet Hiſpani, in Americam primùm venientes, ſatis mirari artificia, manibus hominum effecta, in Regno cumprimis Peruviano.

XV.

*Cujus indolis ſunt Meſtegi?*

*Tenent aliqvid virtutum Americanorum & Hiſpanorum:* qvia miſti ſunt ſangvinis. Ex Hiſpanorum qvippe & Americanorum ſangvine nati habentur : indeqve ſemina virtutum, imò & vitiorum miſta habent.

XVI.

XVI.

*Æthiopes Americani cujus sunt indolis?*

*Indole* planè sunt *serṽili*, ipsiqve contenti satis: dummodò habeant, qvod edant ac bibant.

XVIII.

*De Religione Americanorum hodiernâ qvid habes?*

*Religionem* & *Pietatem Americanorum* describit nobis *ACOSTA L. de promulgat. Eṽang. ap. Indos:* è qvô ipsô colligere licet, parùm profecisse Religionem Christianam ap. Americanos.

XVIII.

*Cur autem parùm profecit Christiana in Americâ Religio?*

Caussas, cur parùm profecerit Christ. Relig. in America, ipse haud dissimulare nobis *citato Librô* voluit *ACOSTA*. Est autem *prima*, ipso teste, *caussa incredibilis Hisp. imò etiam sacrificulorum, improbitas*. Inde enim fiebat: ut abominarentur Americani Relig. Christianam, Deoqve Hispanorum maledicerent, qvi tales haberet Discipulos ac Prædicantes. *Altera caussa* est: *qṽia non instituebantur in Relig. Christiana*. Baptizabantur qvidem, & Christianam adoptare jubebantur Relig. sed præterea nihil. Nemo enim ulteriorem hodienum habet curam eorum, ut ipsos instituat.

Dispu-

Disputatum sanè à multis Sacerdotibus & Episcopis, teste *Acosta, an opus sit Americanos de DEO aliqvid scire.* Responsum autem: *sufficere, qvòd credant ea, qvæ credit Ecclesia.* Mirum hinc non est: qvòd multi Americani hodieqve, etiamsi non apertè audeant colere idola, domi tamen & in semotioribus locis id faciant. Fatentur siqvidem pleriqve, se ignorare, qvid credant: qvum pauci admodum reperiantur in Capp. fidei plenè instituti. Par ratio est Æthiopum. Ut enim vulgus in Hispania, ita & in America parum in Relig. instituitur: ideoqve rudis admodum in Religione manet.

### XIX.

### *Qvæ Religiones interim in America hodie reperiuntur?*

In America hodie *Religio* reperitur (1) *Gentilis*, (2) *Romana*, (3) *Reformata*. Inter alia autem, qvæ plurimos Americanos ad Religionem Rom. perduxerunt, *Lingva Mexicana* ad id profuisse creditur. Hæc enim *per 1000. Leucarum* spatium sese extendit. *Regum* qvoqve *impietas* multùm ad id opis attulit. Ultimus enim Novæ Hispaniæ Rex sub capitis pœna, ne qvis ex plebe ipsum adspiceret, edixerat. Mortuo Gainacapa, 1000. hominum morte ipsi parentatum, &c.

### XX.

### *Anne & INQVISITIONES sunt in America?*

Sunt duæ ibi, una *Limæ*, altera *Mexici.* Duæ

item Academiæ in iisdem ſunt urbibus. Hac cura multi ex Indis Romanam Doctrinam amplectuntur: per vim tamen multos baptizari ferunt.

XXI.

*Qvæ Regiminis ratio hodie in America, eâ maximè, qvæ Hiſpano paret?*

*Regitur* hæc per *duos Pro-Reges, Mexicanum* unum *in America Septemtr.* & *Limanum in Merid.* Ordinariè antem ſingulis mutantur trienniis. Et prudenter qvidem mutantur: nempe *ne diuturnius regimen noceat Reipubl.* Nocet autem: (1) qvia poſſet Pro-Rex, autoritate regiâ valens, ita res ſuas firmare, ut ipſemet Regi eriperet Americam. (2) Prodeſt ipſi Pro-Regi ad evitandam Magnatum reliqvorum invidiam. (3) Facit ad conſervandam æqvalitatem, qvos vocant, Grandium. Si enim diutiùs relinqveretur Pro-Rex, poſſet colligere opes ipſi Regi & Grandibus formidabiles. Prodeſt (4) ut eò plures poſſint ad dignitatem iſthanc pervenire. *Multum* autem *intereſt Reipubl. ſi honores communicentur multis.*

XXII.

*Qvæ deniq; & qvot ſumma Judicia hodiè ſunt in eadem illa Americâ, qvæ paret Hiſpano?*

In *Americâ Septemtr. ſumma Judicia* ſunt *tria*, & *totidem in America Meridionali.* Admini-

miniſtrantur autem omnia iſta *Tribuñalia* per ſolos Caſtellanos, magnô Caſtellæ lucrô, aliorumqve Hiſpan. damnô. Qvod ad *proceſſum* attinet *judiciarium*: is eſt *ſummarius* ſaltem, ſecus ac in Hiſpaniâ & Germaniâ noſtrâ.

# CAPUT II.
## *DE* REGNO LUSITANICO.

### EROTEMA I.

*Regnum Luſitanicum ecqvodnam eſt?*

EST illud ipſum *veteris Luſitaniæ ac Poëticæ Regnum*, qvod & *PORTUGALLIÆ Regnum* hodie dicitur, ſub ſe comprehendens *Algarbiam*, potiorem Luſitaniæ veteris partem, peculiare olim Regnum. Unde *Luſitanus Portugalliæ* hodiè & *Algarbiæ Regem* ſe ſcribit.

### II.

*PORTUGALLIA undè dicitur?*

Habet nomen vel ab *urbe* qvadam, portu celebri munitâ, qvæ dicitur *Cales*, vulgo Port à Port: vel à *Gallis braccatis*, qvi in *portu* ſ. *littore* appulerant.

III.

*Lusitaniæ verò nomen unde?*

Non minus Phœnicium Lusitaniæ vocab. qvam Boeticæ aut Tarraconensis esse, credit, statuit, atqve probat *Sam. Bochartus Canaan. L. I. c. 35.* Lusum enim, Liberi Patris filium aut comitem ac Lysam cum eo bacchantem nomen dedisse Lusitaniæ, ut post Varronem Plinius asserit, meras nugas ait esse. Qvin לוץ Ebr. ac Syris, & לוץ *lauz* Arabibus esse *amygdalum* vel *amygdalam*, scribit. Atqve sic לוץ h. e. amygdalum nomeu fecisse Lusitan. putat. Cur autem id putet, porrô docet, qvum dicit: *Primò id certum, Phœnices à proventu fructuum sæpe nominasse loca. Sic Jericho Urbs palmarum à palmis, Tappnua à malis &c. Sed & ab amygdalis dicta Luza, qvæ & Bethel in tribu Benjam. Gen. 28. 19. & altera Luza in Hetthæis in tribu Ephr. Jud. 4. 26.* Qvidni & Lusitania, in qvâ præstantissima amygdala tanta copia proveniunt, ut hac in parte nulli terrarum parti cedat, ab amygdalis diceretur?

IV.

*Qvis Lusitan. situs?*

A *Septemtrione* Galliciam & fluvium Mingo, Aviamqve ad oppidum Ribadan. qvâ parte spectat Galliciam; à *Meridie & Occidente* Oceanum, ab *Ortu* Castiliam, Andalusiam & Estremaduram habet.

V.

*Qvæ amplitudo?*

Non

*Non adeò ampla est Lusitania. Longitudo* enim ejus & Algarbiæ est milliarium ferè German. 95. *latitudo* qvibusdam in locis milliaria German. circiter 20. complectitur. Undè patet, *terram ipsam in longitudinem potius, qvàm latitudinem esse porrectam.* Si latitudinem spectes, est angusta; si verò longitudinem, est satis magna: maximè si Algarbiam adjungas, exiguam qvidem Regionem, regali tamen pollentem dignitate.

VI.

*Qvæ tamen Lusitanico Regno hodieqꝫ subsunt?*

Sub eo, præter Lusitaniam *ipsam & Algarbiam*, sunt hodieqve *Brasilia Americæ, Goa Æthiopiæ*, & nonnullæ *Indiæ Orientalis Provinciæ* cum locis qvibusdam Insulanis, *Moluccæ* nempe *Insulæ* & *Azores* s. *Flandricæ*, qvarum IX. numerantur.

VII.

*Qvos insignes habet fluvios?*

Insignes fluvios habet I. *Tagum*, qvi Aurifer olim dictus: non qvòd ferat, sed auferat aurum, qvum omnia sumptuosa sint & carissima Lisabonæ, circa qvam Oceano miscetur. II. *Duerum*, qvi circa Port à Port miscetur Oceano. III. *Anam* s. *Gvadianam*, Arabico ita dictum vocabulô: qvi nonnisi ex parte Lusitan. tangit, inqve fretum Gaditanum effunditur.

VIII.

*Qvi celebriores sunt portus?*

Portus habet paucos, sed hominibus tamen probè munitos. Sunt autem celebriores *Lisabona* ad fluvium Tagum, *Setubal* ad Oceanum, & *Porto* ad fl. Duerum.

IX.

*Qvæ majores Urbes?*

Hæ sunt *LISABONA*, qvinqve habens arces, *BRAGARA*, ubi sedes Archi-Episcopalis, *EBORA*, *SANDARENUM*, *CONIMBRIA*, *BRAGANZA*, & aliæ: Sunt autem Urbes ipsæ in Lusitania ad Oceanum planè non munitæ: ita ut bonam partem muris Lisabona careat. Melius tamen Port à Port munita habetur; verùm non ut Germanicæ solent urbes. Non tamen ita diu SCHOMBERGIUS, natione Misn. loca Castellæ vicina, & cumprimis sylvas, munire instituit.

X.

*Qvæ verò securitas Lusitan. si urbes munitas non habeat?*

*Securitas omnis* heic in *jugis* *consistit*, *inq; ipso*, qvi & ab Occidente & à Meridie terram alluit, *Oceano*. Sic igitur ab Occidente & Meridie non potest offendi Portugallia, nisi ab eo, qvi Classe prævalet. Qvod *juga* spectat: est & in his aliqva, eà parte, qvâ spectant Castiliam, adversus subitaneas irruptiones securitas.

Et qvanqvam ipsa patiantur transitum: saltem tamen paucis eum præbent.

XI.

*Cæterùm qvàm populosa est Lusitania?*

*Populosa satis fuit ante 200. annos.* Crevit numerus tunc maximè, qvum Ferdinandus & Isabella Mauros & Judæos expulissent. Horum enim 20000. Familiæ in Portugalliam secesserant, qvalibet familiâ 10. circiter capitibus constante. Unde numerosus ortus populus & dives ærarium. Johannes siqvidem Rex Lusitan. è singulis capitibus 8. Ducatos exigebat, datâ ad certum tempus commorandi facultate, ultra qvod in servitutem essent redigendi. Nimium verò qvantum decrevit deinceps numerus populi in Lusitan. ut sic non adeò populosa sit hodie, qvanqvàm paulò magis qvam Hispania.

XII.

*Cur decrevit tantoperè populi in Lusitania numerus?*

*Decrevit* nimium (1) *per longinqvas post A. C. 1457 in Indiam navigationes*, qvibus magna populi vis absumitur: (2) *propter coloniarum, qvas in Indiam, Africam & Americam duxerunt, multitudinem*: (3) *propter Inqvisitionem Hispanicam*, utpote per qvam plurimi ejecti in alias terras: (4) *qvia & Hispani omnes sensim ad militiam aptos magnis stipendiis*

*eduxerunt in Belgium*, majori ipsis stipendio datô, qvàm Hispanis, Italis & German. ut sic nudarent Lusitaniam: (5) *qvia minus fœcunda Lusitan.* (6) *qvia scortationes minus debito puniuntur, immensaq́ lupanarium conceditur multitudo.*

XIII.

*Qvæ interim indoles, qviq́ mores sunt Lusitanorum?*

Idem eorum animus est cum Hispanorum. *Arrogantes* nempe, *superbi, elati, & verbis admodum magnificis turgidi sunt, indeq́ nihil humile & abjectum spirant. Bellicosi* qvoqve aliàs fuêre propter plurimos adversus Muhammedanos & Castellanos bellicosos Reges. Emolliri tamen sensim per commercia ditissima cœpêre. Nempe qvum crescerent divitiæ, cum divitiis luxus, cum luxu mollities & vitia alia qvamplurima crescebant. Hinc, hinc omninò populus factus mollis & luxuriosus: qvi antè virtutem in fortitudine bellicâ collocârat. Hodiè idem mollis est animus Portugallorum: sed necessitati tamen parentes iterum bellicosi fiunt: ut mirum sit, potuisse eos immanem Castellanorum servitutem tam diu ferre.

XIV.

*Qvæ Lusitanorum Religio?*

Æqvè sunt superstitiosi in Religione suâ ac Hispani.

Hiſpani. Ita *addicti* ſunt *Religioni Pontificiæ:* ut nullibi largior Jeſuitarum ſit proventus, qvàm in Portugallia. Sanè vix univerſa Hiſpania tot oſtentat Jeſuitarum Collegia, qvot una Luſitan. Dici ibi meruêre *Apoſtoli*, ob fidei in Indiis propagationem. Qvid? qvod ap. Joh. III. Regem Portugall. in tantâ autoritate fuerint: ut ipſos qv. Curatores Teſtamenti ſui ex Joh. IV. filio nepotis Sebaſtiani conſtitueret.

XV.

*Qvantæ divitiæ ſunt Luſitaniæ?*

Tam amplæ non ſunt divitiæ hujus Regni, qvàm alibi. Rex qvondam percepiſſe dicitur *60. Tonnas auri*. Qvot hodiè percipiat, non æqvè couſtat.

XVI.

*Qvæ militares vires ac potentia?*

Rex Johannes olim in expeditione Africana exercitum habuiſſe memoratur 40000. Poſteaqvam autem Indicæ detectæ ſunt terræ, Emmanuel Rex adverſus Amazones exercitum miſit ex viginti peditum & tribus eqvitum millibus conſtantem. Hodiè verò Luſitaniæ adeò decrevêre vires, ut vix 20000. in aciem educere poſſit. Olim habebat *conductitium militem*, hodiè ipſe populus contra Hiſpan. fert arma, cui tamen nonnulli exterorum admiſti.

XVII.

*Qvis ſtatus Luſitan. Politicus?*

*Diu paruit Regibus ſuis.* Et certè longa ſeries Regum eſt, qvi Luſitaniam ab A. 1147. tenuêre. Ea tamen defecit in Henr. Ao. 1580. Hiſpan. igitur Rex, qvi tum temporis qvintam meditabatur Monarch. occupavit Regnum vel propterea: qvod natus eſſet ex Iſabella Regis Henr. Sorore. Sed aderat Dux Bragant. cujus uxor nata fuerat Eduardo Regis Henr. fratri. Qvam ob cauſſam acriter diſputatum, *an in ſucceſſionibus vel fratris filia, vel Sororis filia præferri debeat?* Hiſpanus tamen obtinuit ut potentior, excluſoqve Bragantino omnia Hiſpaniæ Regnis conjunxit. Surrexit tandem Johannes Dux Braganzæ, ſe Regem Ao. 1640. d. c. Dec. renunciari curavit ejectoqve Hiſp. imperio Portugall. ad veterem Regni ſtatum reduxit. Obiit is A. 1656. & reliqvit filium ſucceſſorem è Sidonia, Medinæ Ducis Sorore, Johannem Alphonſum, qvi Alphonſi VI. nomine d. 30. Nov. ejusd. anni coronatus & A. 1667. Duciſſam d' Aumale è Gall. duxit: Sed qvâ pariter ac Regnô A. 1668. excidit, in Azores abductus, fratreqve Petro & Regnum & uxorem ſibi vendicante, licet non adeò ſub Regis, qvam Principis titulo: cujus rei ſucceſſum ſecutura tempora manifeſtabunt.

XVIII.

*At enim, renunciato hoc pacto Joh. IV. Braganzæ Duce à Populo Luſitan. Rege, ecqvænam*

*qvænam pro defendendâ caufsâ regiâ afferuntur?*

Afferuntur duo potiſſimùm: (1) *qvod per injuriam Catharina, Eduardi filia, uxor Ducis Braganz. à Philippo fuerit depulſa:* (2) *qvòd, qvamvis potior cauſſa Philippi fuerit, omni tamen jure ſuo ob Tyrannidem, contra LL. Portugalliæ exercitam, exciderit.* Inde enim populo plenam libertatem eligendi alium, Johannem nempe IV. in manus qv. datam fuiſſe, ajunt: qvem & pleno conſenſu elegiſſent, niſi qvod pauci Nobilium rebellionem ſub initium novi Regni excitârint, Indiâ tamen ſtatim & America, qvum nuncium Portugall. accepiſſent, in novi Regis renunciationem conſentientibus. Atq; hoc omninò pacto Dux Braganzæ Joh. IV. novi ſuſcepti Imperii cauſſam tàm *liberæ voluntati Portugallorum* & nimio *rigori Hiſpanorum*, qvàm *legitimæ ſucceſſioni* aſſignare poterat.

## XIX.

*Qvæ præcipua tamen lis de Regno Luſit. inter Philippum Hiſpan. Regem & Catharin. uxorem Johannis Ducis Braganz. qvi duo ex conſobrinis tum ſoli ſupererant, jam olim mota fuit?*

*Mota lis præcipua* fuit *circa ſucceſſionem*, & qvidem *ex jure repræſentationis.* Philippus enim ſolum *jus Senioratûs*, Catharina verò *jus Repræſentationis* urgebat. Valdè ſcil. iſte caſus ſuperiori ſeculo agitabatur inter JCtos,

jusqve lineale accuratè disceptabatur : eò qvod, qvum è Romanorum LL. non admitteretur nepos *jure Repræsentationis*, qvi vivo avo non esset conceptus, excogitari alia successionis species cœperat, qvæ *jure Transmissionis* fieri dicitur: *qvâ scil. futura succesśio qv. delata filio ad nepotem transmittitur.* Videri eâ de re *JACOB. à SAA de primogenitura, LUDOVIC. MOLINA de Justit. & Jure T. III. P. prior. Tr. 2. Disp. 624. usq. 634. MICH. ab AGVIRRA Consil. de Success. Regni Portugall. JOH. del CASTILL. Controv. qvot. P. III. c. 19. GOLDAST. in Senior.* commodè possunt.

## XX.

## *Qvis Scopus Regni est Lusitanici?*

Qvod *Scopum Regni Lusitan.* attinet: is ipse utiqve est *distingvendus* in *tria illius tempora.* Qvid enim? Nonne libera olim Respubl. fuit suiqve arbitrii, semper item proprios suos Reges usqve ad A. C. 1580. habuit? Nonne deinceps ab hoc tempore Regibus Castellanis usqve ad A. C. 1640. paruit? Nonne deniqve mense ejusdem anni Decembri, exorta tunc seditione, Dux Bragantinus Rex peculiaris Portugalliæ constitui cœpit? Atqve sic, qvantum ad *primum* pertinet *statum*, reverâ *qvæsitam* olim *Regentium utilitatem & Populi ex æqvo*, ex omnibus, qvæ de Lusitania antiqva habentur, monumentis antiqvis constat. Nā, qvamvis Regentes Monarchæ

fuerint,

fuerit, res Lusitanorum tamen, qvum cresceret tunc populus maximis divitiis aliisqve ad vitam necessariis, floruêre sub regimine isthoc qvàm maximè. *Qvando autem florent res populi, indicium est boni alicujus, sed mixti regiminis. Deinde*, qvum à Castellanis administraretur Portugall. regiè, eaqve pro Castellanorum provincia haberetur, non magis liberè habita, qvàm Regnum Castellæ. Et qvamvis ante esset Regnum liberum: nonnisi tamen *ad unicum imperantis commodum respici in administratione civili ibidem cœpit.* Undè qverelæ Lusitanorum de pressâ libertate, de duro regimine, deqve violatis juribus subortæ leguntur: qvæ ipsæ satis arguerunt, *Rempubl. Lusitan. non in commodum populi, sed in dominantium Castellan. commodum administratam.* Num verò *ex eo* tandem, *ex qvo proprium Anno 1640. mense Decembri accepit Regem, tempore* prisca rerum Lusitanicarum facies redierit, atqve ipsa Respubl. *ad utilitatem cùm populi, tùm etiam dominantium* iterum regi cœperit, non est qvod dubitemus. Restitutam enim pristinam fuisse formam, ingens amor populi erga suum Regem testatur. Nihil certè Hispanus valuit adversus Lusitanos, qvamvis nudatos milite externo & auxiliis. Nec hodiè post pacem, cum Gallo & Batavis initam, qvicqvam valet ibi Hispanus. Qvod signum est certissimum, placere statum præsentem populo. Et qvî non placeret? Rediit enim hodiè, posteaqvam regimen ad Ducem Bragantinum rediit,

regiminis ad priorem modum institutio. Fuisse autem id ipsum juris, ut etiam Respubl. Lusitan. constitueretur ad utilitatem populi, liqvidò ex LL. apparet: in qvas Philippum, qvum Ann.1580. Regnum Portugall. occuparet, jurare oportebat.

## XXI.

### *Qvæ forma Regiminis?*

*Forma antiqva Regiminis* fuit *Monarchica:* qvia juxta LL pleraqve summæ potestatis jura, & qvidem inconsulto populô, Reges poterant exercere. Habebat Rex ex parte potestatem ferendarum LL. habebat potestatem constituendorum Magistratuum, cumprimis civilium Belli & Pacis: habebat & constituendorum, inconsultô populô, judiciorum potestatem. At non potestatem ferendi leges vel administrandi Rempublicam, nisi ad utilitatem, inconsultô populo, habebat. Si qvando item graviora populo imperanda tributa, consensus populi advocandus erat. Qvid? qvod & consensus populi necessarius esset: si qvod gravius bellum gerendum. Levius autem, inconsultô populo, Rex decernere poterat. Collatio etiam Magistratuum Eccles. non erat libera, nec fortassis hodiè. Etiam Canonici nominabant Episcopos: constituebat Pontifex. Satis igitur abunde è dictis patet, *non obtinuisse in Portugallia absolutam ac plenam, sed aliqvô modô restrictam ac limitatam potestatem.* Qvæ ipsa qvin hodieqve ibi obtineat, non est, qvòd dubitemus. Non est, insto, qvòd dubitemus, *administrationem*

*nem Reipubl. in Portugall. hodieq; esse Monarchicam, nec planè tamen liberam; sed qvantum vergere ea ad utilitatem populi possit. De reliqvo illa est libera, saltem magnâ ex parte.*

XXII.

## *Qvæ Rempubl. Lusitan. administrandi ratio?*

*Rex residet in Regno, & ex terrâ propria omnes habet Ministros.* Qvod ad Regni robur facit plurimum. Populares enim qvàm maximè student Patriæ commodis. Exteras verò Provincias per *PRO-REGES*, eosqve utplurimum Archi-Episcopos, administrat. Est enim Pro-Rex Brasiliæ: residet & Pro-Rex Goæ. In Asia, in Africa & minoribus Region. *GUBERNATORES* habet: qvi vel Pro-Regi subsunt, partim ipsi etiam Regi. Raro tamen ultra triennium, & optimo qvidem consiliô, talem exercere Pro-Reges & Gubetnatores solent potestatem: ne qvid scil. adversi moliantur. Cæterùm reditus Regni *Fesenta* administrat. Præest nempe hæc tributis & vectigalibus, regia collocat bona, præest armamentario, militiæ item navalis & limitrophæ curam gerit. Fesentæ subordinantur *Camera de Conti*, qvæ ratiocinia examinat, & *Alfandeqve*, qvæ oomnibus mercibus taxam, ut vocant, imponit.

XXIII.

## *Qvæ suprema ibi Judicia?*

Habent Lusitani per Portugalliam *duo supre-*

*ma*

*ma Judicia: unum Porti, alterum Lisabonæ.* Ad utrumqve è diversis locis fit provocatio. Etiamsi autem ex æqvo Judicia hæc sint instituta, aliqvando tamen conqvesti Lusitani sunt de sententiis emendis: ut videatur sic jus ibi magis ad utilitatem dominantium, qvam populi exerceri.

## XXIV.

### *Qvid de militandi ratione, qvæ in Portugalliâ valet hodie, dignum cognitu habes?*

Hoc habeo de illa cognitu maximè dignum: *qvòd omnis hodie Portugalliæ populus, ad defensionem armatus, pro aris & focis pugnet.* Conductitius ei Generalis est *Schomberg.* origine Misn. nec tamen in Ordines receptus. Utut igitur circa initia motuum Portugalli adversus Hispanos usi sint milite Batavico, Gallico, Germanico: ruptâ tamen pace inter Portugallos ac Batavos, revocatus miles Batavus; Gallus item, conclusâ cum Hispanis pace: nisi qvòd plures tantùm, clanculum militibus indigenis misti, Lusitaniæ militent.

## XXV.

### *Qvos verò hostes Lusitani habent, à qvibus maximè sibi metuant?*

Metuunt *Hispanos:* nec confidunt viribus suis adversus illos. Omnium maximè tamen metuunt *Batavos.* Hi enim Lusitanis sub Castellano jugo Americam & Africam penè eripue-

puerant, tenebantqve adhuc: qvum illi ab Hispanis deficerent. Qvum verò auxiliis Gallicis satis se tutos viderent ab Hispano, omnia feliciter armis repetiverunt à Batavis.

XXVI.

*Talia & alia deniqve, qvæ ad Rempubl. Lusitan. fusiùs cognoscendam pertinent, unde haurire licet?*

Haurire ea licet è variis, cùm qvi Gentis sunt Lusitanicæ, tum qvi sunt aliarum Gentium, *Scriptoribus*. Sanè extare aliqvam *Portugalliæ Descriptionem*, editam in Belgio cum aliis ejusdem generis Libellis, qvæ pleraqve ad Portugalliam pertinentia comprehendit, novimus. Pleraqve tamen hujus Libelli jam antea tradiderat *JOH. de LAET* in *Descript. Reipubl. Hispan.* ita ut, qvi haber Librum *Laëtii*, non multum sollicitus esse de altero illo Libello debeat. Agit enim *Laëtius* sparsim per totum de Hispan. Libellum etiam de Portugallia. *Prioribus* nempe *Capp. tribus* tradit Hispaniæ Chorographiam: agit item ibi de Hispan. situ, pariterqve *c. VIII.* describit situm Portugall. De oppidis & provinciis, qvas Rex Hispan. tenet in Africa & mari Atlant. agit *c. IX.* de Castellis Indiæ *c. X.* de Brasilia *c. XV.* de successione Regum Portugall. *c. XXII.* & *XXIII.* De *Reditibus Regni Portugall.* & sic porrò agit *Capp. seqq.* Edita qvoqve egregia *Portugalliæ Descriptio* habetur Autore *NIC. OLIVEIRA*, sed Lingvâ Lusitan. Anno hujus

Sec.

Sec. XX. è qvo Libro pleraqve sumpsit *Laëtius.* Qvum verò Laëtii Libellus prodierit Anno nostri Sec. XXIX. inde liqvet, illo non contineri, qvæ ex eo tempore usqve ad nostra tempora in Portugall. contigêre. Nec etiam continentur *Dissertatione aliàs egregiâ*, qvæ *de Regno Portugall.* inter eas habetur, qvas edidit *HONOR. BELLUS*, estqve *XIII. Part. Imæ.* Conscripta enim illa superiori Sec. non longè post, qvum Philippus II. Portugalliam in potestatem suam redegisset. Habet & ipse *BOTERUS* de regno Portugall. in *Relat. suis de præcipuis Rebuspubl. Dissertationem.* Scripta verò & ipsa est *Anno sup. Sec. 96:* qvum Anno 1580. Hispanus Portugalliam occupasset. Consulendus interim & ipse *HIERON. CONNESTAGIUS, Patric. Genuensis*, in Opusculo *de Regni Portugall. cum Castell. conjunctione.* Inseruit enim ille etiam initiô *Libri I.* qvæ ad statum istius Regni pertinent. Docet aliàs seorsim in illo Opusculo, qvod versum in Latinum Serm. *Franckofurti ex officinâ VVechel.* prodiit, *Connestagius, qvomodo Portugallia juris sit facta Hispanici*, estqve Historia præclarè scripta lectuqve dignissima: eò qvòd circa occupationem illius Regni plurima contigêre mirabilia. Res gestas Portugall. qvod attinet, de illis scripsêre *ANDREAS RESENDIUS Portugall. VIPERANUS* & superiori Seculo qvoqve in *Hist. Hispanica MARIANA:* è qvibus omninò peti possunt *res Lusitan. veteres.* Qvum verò hæ maximè florere

fere cœperint ſub *Emmanuele Rege*, qvi, nî fallor, rerum potiri cœpit Anno 1495. (nam illius auſpiciis Portugalli Indiæ Orientalis multas easqve ditiſſimas regiones, Braſiliam item in Amer. & alia qvædam Africæ loca nacti fuerant) res geſtæ & Hiſtoria iſtius Regis doctè ac prudenter ab *HIERONYMO OSORIO*, Epiſcopo Algarb. variæ Eruditionis viro, ſcriptæ, *Libriſq; XII.* comprehenſæ extant. Merentur libri hi accuratam lectionem: qvoniam in iisdem perqvàm digna memoratu reperiuntur. Unde & *OSORIUS* ipſe inter Scriptores ſui Seculi præſtantiſſimos referri meretur. Qvantum ad *res* tandem *Luſitan. recentiores*, eas ſanè, *qvemadmodum ante annos 30. aut 32. iterum ſe mutaverint, ipſeq; Johannes IV. Dux Braganziæ Regnum illud occupârit*, peculiari Libro, non magno qvidem, erudito tamen, Italicè deſcripſit *JOH. BAPTISTA BIRODUS*. Habetur & ille Liber in Vernaculam noſtram verſus, mereturqve accuratè legi: qvum perqvam magna Reipublicæ iſtius mutatio facta fuerit. Pertinet & huc *Apologia* Regis Luſitanic inupera: ſcripta nempe Annis 1641. & 1642. ipſaqve poſt translationem Regni in Johannem IV. Brigantinum Ducem edita.

CAPUT

# CAP. III.
# DE REGNO GALLICO.

## Erotema I.

### *Plena Regni Gallici, cùm prisci, tum hodierni, notitia unde comparanda nobis?*

COmparanda hæc è variis Rerum Gallicarum Scriptoribus est nobis. Prodierunt autem initiô in Belg. *Lib. III. JOH. TILII Paris.* & *CLAUDII SESELII*, è Gallico in Latinum à *JOH. SLEIDANO versi.* Deinde alia *Galliæ Descriptio* prodiit curâ ac operâ *JOHANNIS LAET*: qvæ ipsa magis ad rerum Gallicarum notitiam facit, prioribusqve est utilior. Elegans liber est *JOH. TILII*: sed pertinet maximè ad jus publ. veterum Francorum, neqve ostendit, qvalis hodierni Regiminis ratio. Vixit superiori seculô, fuitqve juris Gallici antiqvi peritissimus, factus deinceps Episcopus Melodunens. vel juxta alios Massiliensis, in Gall. *CLAUDIUS SESELIUS* itidem Episcopus fuit, describens Galliam, non qvalis tunc erat, sed qvalis esse debeat. *VINCENT. LÆBANIUS* planè eodem agit modò, qvô *Seselius*. Qvum aliud verò sit jus publ. scire, aliud nosse Rempubl. *JOH. LIMNÆUS* magno satis Volum.

*No-*

*Notitias* collegit *Francicas*: qvæ ipsæ qvidem arguunt plurimam Viri tanti lectionem: sed nec ordo Polit. observatus ibidem habetur, nec & semper ea ibidem inculcantur, qvæ faciunt ad Politicam. De origine, progressu & præstantia Monarch. Gall. nec non ipsius Regis Franc. scripsit *CAROLUS MOLINÆUS* JCtus in *Gold. Monarch. Rom. Imp. T. III.* Libri *de l'Estat de la France* jam passim noti: & è superiori seculo talis erat *Le Cabinet du Roy ad Henr. III. Anno 1581.* De officiis Regni Gall. *Jul. Cæs. Buleng. edit. primæ Append. loco in Scripto de Imp. Rom.* De var. rit. Aul. *Le Ceremonial de France par Theodore Godefroy Advocat au Parlement de Paris Ann. 1619.* Præter tot nominatos Scriptores (qvantum ad Historiam Gallicam) primus inter Latinos illam antiqvam ab Anno 708 ad Ann. 990. it. ab Ann. 800. ad Ann. 1285. in unum Corpus congerere cœpit *P. PITHOEUS*, penè par Cujacio JCto, edendo varias Rerum Francicarum series, cumprimis temporum Carolinorum. Secutus *QVERCETANUS*, ex omnibus Episcopatuum, Cœnobiorum, Urbium, Universitatum angulis varias colligens series, inter blattas latentes & tineas. Verùm non faciunt hæ nisi ad rerum antiqvarum notitiam. Præter illos *P. ÆMILIUS Veronens.* qvem Livianæ facundiæ æmulō vocant, in Gallia eodem modô res Gallicas descripsit, qvô *POLYDOR. VERGIL.* in Angliâ res Anglicas. Historiam nempe à Pharamundo usqve ad Carolum VIII.

Li-

Libris X. comprehendit: cui adjecit continuationem usq; ad Franciſcum *JOH. FERRONIUS*, Vir plurimi uſus. Nam & Legatus fuit regius in Concil. Tridentino, & Venetiis, & Romæ: ſed dejectus ab aula grandiqve ære alieno oneratus rediens, pôſt locum invenit ap. Henr. Navarram. Ubi igitur ille definit, ibi penè incipit *AUG. THUANUS:* nec tamen ipſe in Gallicis tantùm, ſed & univerſi Orbis rebus commemorandis occupatur, in Gallicis tamen fidem majorem merens. Nec verò evitare hanc infamiam potuit: ut notaretur à ſuæ Religionis ſociis tanqvam hypocrita in Religione. Ex recentiſſimis namqve ab *Ebermanno Jeſuita in Irenico Cathol. c. V.* dicitur *POLITICE CATHOLICUS:* etſi contrarium de eo nobiliſſimus Gallorum Hiſtor. *GRAMONDUS L. III. Hiſtor. Gall. p. 191.* teſtetur, cauſſam criminationis oſtendens eſſe illuſtris Civis hujus παῤῥησίαν: qva Eccleſiæ Gallicæ privilegia adverſus novarum rerum ſtudioſos maſculè defendat. Poſt Thuanum Hiſtoriam Ludovici XIII. perſecutus *GRAMONDUS*, Nobilis & Præſes Parlamenti Tholoſani. Res Francicas tantùm deſcribit, in qvibusdam cum Thuano conveniens, in qvibusdam diſſentiens. *Lectio THUANI* eſt *plana & perſpicua*, fereq; talis, qvalis *Jul. Cæſaris* in *Comment. de Bello Gall. GRAMONDI* eſt confuſa & contorta, & affectatæ brevitatis. Æmulatus qvippe dictionem eſt *Corn. Taciti.* In eo tamen Thuano par: qvòd intrepidè dicat, qvid ſentiat, non diſſimulans graviſſima Au-

læ ac Magnatum peccata, indeqve idem, qvod Thuanus, fatum expertus. Simul enim ac Ima Pars Hist. prodiit, multorum incurrit odia: ita ut vix Tholosæ tutô vivere potuerit. Qvare non prodiit tenus hac, nisi Pars Ima: si altera succederet, Opus esset incomparabile, vel non nisi cum ipsa antiqvitate comparandum. Arcanissima enim Reipubl. Gall. Autor penetraverat. De *PHILIPPO COMINÆO FLANDRO* qvid in hoc prolixo Autorum recensu dicam? Est sanè Historicus & ipse vel solo rerum usu incomparabilis: nempe in *Commentariô Librorum X. de Ludovico XI.* nec minùs qvoqve in *Comment. Librorum V. de Carolo IIX. in Bello Neapolitano* occupato. Ita laudabiliter scil. *Lips.* judice, *Comin.* scripsit: ut nihil vereatur eum *Not.ad L.1. Polit c.9.* componere cum qvovis antiqvorum. Incredibile est, qvàm ille omnia viderit, penetrarit, arcana consiliorum eruerit, & subinde nos salutaribus rarisqve præceptis instruat, idqve diffusè, Polybiano qvodam exemplo. Suâ qvoqve laude heic digna *JOH. RUSSIERES Bellijocensis, è Societat. Jesu, Historia Francica, ab Pharamundo continuâ serie ad Ludovic. XIV.* deducta, Tomisqve IV. comprehensa, omnium, qvas qvidem mihi videre contigit, Historiarum Gallicarum novissima. Est autem finis ac scopus hujus Operis: ut imago rerum Francicarum externis adumbrata habeatur. Nam, qvum permulti sint, qvi Francicam scripsêre tenus

hac

hac Historiam, & maximâ qvidem cum laude, eam verò nemo unus totam persecutus sit, Autor Operis rem non injucundam Francis, imò exteris gentibus percommodam & utilissimam, se facturum existimavit: si, qvæ in plures Scriptores sparsa, ea uno filo contexens, atqve uno qvasi complexus fasciculo, legenda præberet. Eam igitur ob rem ne Lectorem incuriosum obrueret, de industria leviora omisit, notitiam Antiqvitatum, Jurium, Legum & Locorum delibatam duntaxat apponens, resq; majoris momenti perseqvens.

II.

*REGNUM autem hoc unde GALLICUM dicitur?*

Dicitur ita à Subjectô suô: nempe à *Gallia*, qvam à *candore gentis* nuncupatam *Erpen.* scribit *Deser. Gall. p. 35.* Nam montes & rigor cœli ab ea parte solis ardorem excludunt: qvo fit, ut candida corpora non colorentur. Hinc Græci Gallos *Galatas* vocant à γαλα, propter lacteum scil. gentis colorem, qvam terra illa producit.

III.

*Unde & FRANCICUM dici meruit?*

*FRANCICUM le Royaume de France* incolis modernis, à *Gente externâ*, à *Francis* nempe, dici meruit. Nam seculo V. qvô Imperium Rom. Occident. per irruptiones transierat ad va-

varios exteros populos, nominatim ad Longobardos, Franci, Burgundi & Gothi Galliam occupârant, omnes populi Germani. *Burgundi* qvidem occupârant *Galliam Lugdunensem*: unde & adhuc ibi eorum supersunt reliqviæ: superest & nomen. *Gothi Aqvitan.* occupârant *Galliam*, sedem Tholosæ figentes. Cæterùm utrosqve domuerunt *Franci*, Burgundos qvidem subjugantes, Westh-Gothos verò in Hispan. expellentes, Galliæqve occupatæ nomen in *Franciam* vel *Franco-Galliam* mutantes. Atqve sic qvidem nomen, hoc alterum Regni Gallici diu obtinuit: ut commodiùs veriusqve id hodie *Regnum Franciæ*, *Francorum* item & *Francicum Regnum* dicatur.

IV.

*Qvem Titulum inde sibi proprium Rex Christianissimus fecit?*

Hunc vel solum sibi Titulum fecit jam ab antiqvis temporibus proprium: ut nudè scribatur *REX FRANCIÆ*.

V.

*Cur solo hoc Titulô Rex Christianissimus utitur?*

Rationem hanc reddunt: qvod inter Leges Regni & hoc habeatur, *ut, qvicqvid Rex acqvirit, id omne Galliæ accedat, Coronæq; Gallicæ innectatur*. Unde & nihil seorsim commemorari potest: qvin Galliæ nomine jam comprehendatur. Addunt Galli; *qvod id fiat ad imitatio-*

*nem antiqvi Rom. Imperii.* Hoc qvippe unico ac ſimplici Titulo utebatur, & magis affectabat fruitionem divitis prædæ acqviſitarum rerum, qvàm ut ex ſubjugatarum nationum inſcriptionibus ornaretur.

VI.

### *Franci unde ſuum ſibi habent nomen?*

FRANCI, qvi, universâ tandem Galliâ potiti, eam à ſe *FRANCIAM* appellârunt, circa A. C. 404. indè ſic dici meruêre: *qvòd adverſus Romanos, infenſiſſimos Germanicæ libertatis hoſtes, firmiſſimum fœderis vinculum icerant, eoq; ſibi nomine ſumptô eximium libertatis vindicandæ ſtudium oſtentârant.* FRANCUS enim Germanice *liberum* ſonat *hominem*. Frank nempe idem qvod Frey/ & FRANCISIA *libertatem* ſignificat; FRANCISSARE verò idem eſt ac Latinis *in libertatem ſe aſſerere*; ut hoc qvidem ſenſu *FRANCI* olim dici cœperint, *qvicunq;, declinante Romanô Imperiô, in libertatem per univerſam Germaniam ſeſe aſſeruerant.*

VII.

### *E Francis igitur qvot & qvæ Familiæ Regiæ ordine ſuô regnârunt in Galliâ?*

Regnârunt ordine ſuô *tres* tenus hac *Familiæ Regiæ è Francis* in Gallia. *Prima* eſt *MEROVINGA*, à *Merovæo*, tertio Francorum Rege: qvi Lutetiam Pariſiorum occupavit, & con-

contra Attilam Regem Hunnorum in Campis Catalaunicis fortiſſimè pugnavit. *Altera* eſt *CAROLINGA* à *Carolo M.* Pipini filio, ita dicta: qvippe qvi Germaniam, Galliam & Italiam ita poſſedit, ut & penes ipſum ejusqve poſteros imperatoria dignitas cum tribus hiſce ampliſſimis Regnis eſſet. *Tertia* eſt *CAPETINGA*, ab *Hugone Capeto*, Hugonis M. filio, Pariſiorum Comite, dicta: utpote qvi, Caroli M. ſtirpe extinctâ, Regnum Franciæ invaſit, ſibiqve id armis tandem aſſeruit. Dici autem ille *Capetus* vel *Caputius* meruerat: *qvòd adoleſcens caputia per ludum in aulâ Regiâ aliis auferre conſvevisſet.*

## VIII.

## *Tertia tamen illa Regum Franc. Familia, nempe Capetinga, in qvot ac qvasnam deſcendit Lineas?*

Diſcendit in *lineam geminam:* I. *Valeſiorum*, qvorum ultimus fuit Henricus III. mortuus Anno 1589. II. *Borboniorum*, qvam excitavit Henr. IV. ſ. Magnus, rectà deſcendens à Ludovico Comite de Clermont & Beauvois, filio Ludovici IX. ſ. Sancti, qvi regnavit ab Anno 1227 ad A. 1270. Qvum autem & ipſe ille Borboniæ familiæ Autor, Rex primò Navarræ, qvam jure matris Johannæ Labretanæ obtinuerat, pacatâ iterum Galliâ, à ſicario qvodam, Fr. Ravallaço trucidatus eſſet: Succeſſorem Ludovicum XIII, puerum IX. annorum, ſub qvo Rupella

expugnata, armaqve Gallorum per German. Belg. Ital. & Hispan. gloriosis victoriis circumlata successorem reliqvit. Excepit hunc justo ordine Ludovicus XIV. hodiernus Rex Gall. cum admiratione totius Orbis natus Anno 1638. d. V. Sept. ex Anna Maria Hispan. Regis Sorore, post XXIII. annorum sterile conjugium. Indeqve ab Eruditis qvibusdam, ADEODATUS dictus: non alio sensu ac olim Philippus II. è primâ Capeting. linea Rex VII. qvod seni patri natus esset, ADEODATUS dici meruerat. Sic itaqve tertius hodie è familia Borbonica regnat: cujus felicitas ac prudentia jam toties eluxit in rebus ab eo gestis, qvibus orbi politiori admirationem, suis impotentiorum laudum materiem præbuit.

## IX.

### *Qvot tu jam Regni Gallici notabiliores Periodos è dictis tuis vis elici?*

Facilè ex iis, qvæ dixi, liqvet, *tres notabiliores Regni Gallici ponendas esse Periodos.* Qvia enim ad aliam atqve aliam Familiam illustrem Regnum hoc, & ter qvidem, transferri cœpit, tres indè, qvæ maximè notabiles, exsurgunt Periodi.

## X.

### *Qvæ Periodus notabilior est prima?*

*Periodus notabilior prima* eſt, *intra qvam regnârunt ap. Gallos è Francis Merovingi, ab A. nempe C. 450. ad Annum 750.* ita ut præciè 300. annos expleverint.

XI.

## *In qvot Regna tunc Regnum Galliæ diviſum?*

Dividi poſt obitum Clodovei Anno 514. in *Tetrarchim*, h. e. *IV. Regna*, cœpit: Qvum enim IV. ille reliqviſſet filios, in totidem partes Regnum fuit diviſum: nempe in *Regnum Franciæ*, cujus ſedes Lutetia; in *Regnum Belgicæ*, cujus ſedes urbs Sveſſionum; in *Regnum Aurelianenſe*, ineqve *Regnum Auſtraſiæ*, cujus urbs Mediomatricum ſ. Metz. Extinctis tamen fratribus ſine prole maſculâ ſolus *Clotar.* ſuperſtes universâ iterum Franciâ fuit potitus; qvæ verò & hoc Rege extincto *Anno 564.* in easdem qvatuor partes facta: niſi qvod *Burgundia*, qvæ ſub Theodorico Regno Auſtraſ. acceſſerat, Regno Aurelianenſi adjecta fuerit; donec *Anno 568. Clotarius* II. extinctis fratribus, iterum Monarchiâ Franciæ potiretur. Ab hoc verò tempore aliqvoties Regnum Franciæ in duo Regna, *Auſtraſiæ* & *Franciæ*, diviſum fuit.

XII.

## *Qvis verò Periodi hujus Regum primus Chriſtianam Religionem ſuſcepit?*

Christianam Religionem in Gallia primus suscepit *CLODOVÆUS* s. *LUDOVICUS M.* primus totius Galliæ Monarcha.

XIII.

*Qvibus nominibus ac Tit. honorariis ab eo tempore salutari meruerunt Reges Franciæ?*

*Christianissimi* & *Primogeniti Ecclesiæ* meruêre salutari, & hodieqve iisdem Tit. salutantur.

XIV.

*Qvis primus Christianissimus appellari meruit?*

Primus ita meruit appellari *Carolus Martellus*, non qvidem Rex Galliæ, sed summus Regni Procurator: à qvo Papa auxilium petebat adversus Luitbrandum, Longobardorum Regem, sed non impetrabat, teste Spondano in Epit. Annal. p. 740.

XV.

*An & alii alibi Reges Tituli hujus consortes fuêre?*

Certum est: honorarium hunc Tit. ipsos Papas Regibus Hispan. è famil. Goth. dedisse, ipsosqve *Christianissimos* appellasse, ut ostendit *Partric. Armachan. in Marte Gall. L. 1. c. 23. seqq.*

XVI.

*Qvando & in qvo Tit. hic Regum Gall. proprius esse cœpit?*

Cœ-

Cœpit Gall. Regi esse proprius ex eo tempore: qvô in *Moguntino Concilio* AnnoChr 813. *Carolo M.* adsignatus. Sed qvum ejus Successores eo non uterentur, ne planè interiret, *Carolus VII.* illum denuo restauravit, eoqve in hunc usqve diem Galliæ Reges tanqvam proprio insigniuntur Titulo.

XVII.

*Cur eundem verò Tit. ita Regi suo tribuunt hodie Galli, ut aliis ipsum haut competere putent?*

*Carpzov. de Lege Regia c. 2. Sect. 1.* caussas assignat tres: qvarum prima, qvòd *Ecclesiasticorum ipsorumq; Pontificum abusus represserint.* (2.) qvia *ex unctione Sacra id nominis trahant:* (3) qvia *ex jure hæreditario Tit. illum obtineant.*

XVIII.

*Cur primogeniti Ecclesiæ Reges Gall salutantur?*

Hujus Tituli rationem reddunt: qvia *primas in tuenda Relig. & protegendo Pontifice semper Reges Galliæ tenuerint.* Confer *Orat. Petr. Danesiii præc. §. 11.*

XIX.

*Missis his, qvos qvæso circa ejusdem, prioris nempe, periodi decursum maximè institutos putas?*

Qvum inertiæ sibi exemplum Reges Galliæ à Clotario III. usqve ad Pipitum sumerent: institui primò Anno 663. in Gallia *MAJORES DOMUS*, qvos & *Præfectos Palatii* vocabant, cœpêre.

XX.

*MAJORUM DOMUS officium qvid complectebatur?*

Complectebatur *totam potestatem Regiam*, præter Titulum & Coronam. In *Majorum* qvippe *Domus manu pax & bellum*: qviqve ab eo tempore regnarunt Reges, nonnisi titulô tales fuêre. Qvod ergò sub Caliphis Saracenorum erant Sultani, hoc in Gallia *Majores Domus*: qvi postea tamen sub Carolingis dicti *Comites Stabuli*. Sed paulatim illi omnem suam potestatem ita amiserunt, ut nihil præter nomen ipsis restaret: qvod superioribus annis penitus cecidit.

XXI.

*Qvis omnium maximus è Majoribus fuit Domus?*

Omnium maximus *Carolus Martellus* fuit, princeps omnium, qvos habuit Gallia, pugnacissimus, Caroli M. avus: qvi multoties oblatum Regis Titulum animosè contempsit, ac dixit: *malle se Regis Dominum, qvàm Regem esse.*

XXII.

XXII.

*Qvæ altera notabilior Regni Gall. est Periodus?*

Est hæc, *intra qvam regnârunt Carolingi*, ab A. nempe C. 750. usqve ad annum 988. h. e. à *Pipino Brevi* usqve ad *Hugonem Capetum*. Nam qvanqvam à Carolo filio denominata Dynastia fuerit: *Pipinus* tamen conditor hujus manet familiæ: Indeqve & ab hoc, non ab illo, *secundæ Periodi* initium est ducendum.

XXIII.

*Qvæ tertia notabilior Regni Gallici est Periodus?*

Est illa, *intra qvam regnârunt Capetingi*, ab A. nempe C. 988. usqve ad nostram ætatem. Sic igitur *Capetingi* hodieqve regnant. Nempe qvum, sub ultimis Carolingis orti è posteris Witekindi, Ducis Saxonum, *Hugo Magnus* & *Hugo Capetus* Comitatum Parisiensem obtinuissent, (cujus ea ferè erat potestas, qvæ olim sub Merovingis *Majorum Domûs* fuerat,) Hugo Capetus, Parisiorum Comes, Caroli M. stirpe penitùs exclusâ, Regnum Franciæ invasit, dupliciqve prælio victis, qvi è Carolingis adhuc restabant, *Carolo* nempe Lotharingiæ Duci & filio ipsius *Ottoni*, omnem Regni possessionem ademit.

XXIV.

*Qvam heic controversiam, qvæ jam tunc maximè moveri poterat, nosti?*

Novi, *controversiam* jam tunc maximè moveri potuisse, imò & ipsam, stante adhuc *LIGA*, & florente Gvisiorum potentiâ, integris editis Libris, *de legitimâ successione* motam esse: *cui* videl. *ea, superstitibusne paucis illis Carolingis, an Capetingis, competeret?* Ita enim Duces Lotharingiæ veros Caroli M. successores, adeoqve legitimos Regni Gallici hæredes sese jactabant; contrà verò omnes Capetingos pro invasoribus Regni atqve *Tyrannis*, si non *exercitiô, titulo* tamen, habebant.

XXV.

*Qvam LIGAM per illam maximè, qvâ stante adhuc de Lotharingicâ istorum temporum Controversiâ integri editi habentur Libri, intelligis?*

Inteligo *LIGAM SANCTAM: qvæ gravissimè superiori seculo turbavit Regnum Franciæ:* fuitqve nihil aliud, qvàm *sacra qvædam confœderatio Papæ Romani, Regis Hispaniæ & Ducis Gvisii, pro defendendâ Ecclesiá ipsisq; extirpandis hæreticis.*

XXVI.

*Qvæ occultior ejusdem Ligæ erat caussa?*

Etiamsi Ecclesiæ Romanæ defensio hæreticorumqve extirpatio in Ligæ Sanctæ constitutione prætexeretur: *occultior* tamen caussa planè alia erat. *Id* enim *Lotharingi* s. *Gvisii intendebant: ut res ad novam devenirent electionem.*

*nem.* Etenim, qvum ipſi non è Caroli M. poſteris maſculis, ſed ſeqvioris ſexus deſcenderent, violare ſe Legem Salicam, facilè intelligebant, ſi ſucceſſionem prætenderent. Ideoqve non poterant, niſi novam electionem, intendere.

## XXVII.

### *Liga ipſa & famoſa illa per Galliam factio qvô tendebat?*

Non aliò, humanitùs loqvendo tendebat, qvàm ad *reprimendam antiqvam illam Carolingorum prætenſionem.* Qvippe, qvum jam ferè extinctâ Valeſiorum familiâ ſoli ex Capetingis reſtarent Borbonii, inter ipſos ac Gviſios Carolingos graviſſimæ de ſucceſſione in Regnum æmulationes ortæ fuêre. Gviſii nempe Pontificem Rom. Hiſpanum, alioſqve Principes Pontificios, in ſocietatem ſuam adſciverant; Borbonii verò, qvorum caput *Ludovicus*, Princeps *Condeus*, itemqve *Henricus*, tum temporis *Rex Navarræ*, ad partes *Hugonotarum* ſe contulerant.

## XXVIII.

### *In qvem Chriſti Annum potiſſimùm ejusdem LIGÆ ponendum eſt initium?*

Non ponendum juxta nonnullos eſt initium *in Annum 1572.* *ſed in Annum 1565.* qvippe qvo ipſo *Pariſienſis Laniena* fundamenta poſita, *Albano* illam ſibi cum *Cardin. Granvellano* communem vocem edente: *inutilem eſſe in ranunculis aut halecibus capiendis operam;*

*salmonum potius ac majorum piscium piscationi incumb. ndum esse.*

## XXIX.

## *LIGÆ jamjam cœptæ qvæ res dedit eventum?*

Eventum huic *Laniena Parisiensis dedit*, qvippe de qvo negotio per integrum jam septennium disceptatum fuerat. Nempe Pontificii, ne nimiâ tarditate occasio elaberetur, Rege continuis incursionibus sollicitatô, plenam tandem licentiam in *Hugonotas* sæviendi impetrabant. Sic igitur in vigilia Bartholomæi Anno 1572. contingebat: ut in Nuptiis Paris. non solùm Parisiis, sed etiam alibi multa millia Hugonotarum ferrô caderent, atqve adeò per scelus illud Lanienæ res ipsorum, qvæ tunc adhuc validæ, inclinarentur.

## XXX.

## *Qvo verò tempore incrementa sibi maxima hæc sumsit LIGA?*

*LIGA* hæc *maxima* sibi *sumsit incrementa*; *qvum Anno 1574. Carolô Rege mortuo, Henricus III. sobolis itidem spem nullam haberet.* Tunc enim, etsi summam Rex præ se ferret devotionem, Ligistarum uxores cingulis forficulas appendere solebant: qvibus se Regem tonsuras, inq; Monasterium detrusuras, ad instar *Childerici* III. *stupidi ac ultimi Merovingorum*, qvem Pipinus olim, Caroli M. Parens, simili ratione Regnô deturbârat, ut jam nec exemplum deesset, minabantur.

XXXI.

XXXI.

*Cæterùm, in qvot ac qvasnam factiones propter Relig. ac Regionem Gallia distrahi cœpit?*

Qvum gravissimi in *Gallia Anno 1560.* propter Relig. & Regionem exardescerent motus, in *duas* illa *abiit factiones.* Qvarum *Ecclesiastica* alia, alia *Politica. Ecclesiastica CATHOLICORUM* erat & *HUGONOTARUM* : *Politica CONDEORUM* f. *BORBONIORUM & GUISIORUM* f. *LOTHARINGIORUM.* Atrocissima inde bella civilia nata: qvibus *feralis* illa *Hugonotarum*, qvam modò supra dixi, *Laniena in ipsis Henrici Regis Nav. nuptiis, cum Margaretha Caroli* IX. *Sorore factis*, intercessit.

XXXII.

*Per HUGONOTAS qvos intelligis?*

Intelligo Reformatos: qvi jam superioris seculi Anno 47. sub Francisci I. Regis obitu in Gallia cœperant. Nam sub Henricô II. Calvinismus, cujus progressum acerbô stylô describit *Famianus Strada* L. 3. p. 67. adhuc in cunis erat.

XXXIII.

*Unde & cur in Gallia ita dici meruêre?*

Etiamsi à *tesserâ conspirationis* alii, alii ab *Hugone Capeto*, Comite Paris. tertiæ famil. Reg. Gall. Capite, dictos velint *Hugonotas*: rectiùs tamen hoc, qvicqvid est nominis, accepisse

pisse Reformati putantur *à porta Hugonis*: ubi illi convenire consveverant. *Bousier L. 18. Hist. Fr. p. 451. Arbitrantur pleriq;, petitum à Turonensi urbe nomen: qvòd in ea Urbe Hæretici plures cùm agerent, sæpiusq; ad portam, qvæ Hugonis dicitur, nocturnos suos cœtus celebrarent, Hugonotti à popularibus dicti sunt, voce in universam Franciam emanante.*

## XXXIV.

*Regnum itaq; Galliæ qvum omninò in tres fatales Periodos divisum habeatur, sub qvo qvæso Rege omnium illud fuit florentissimum?*

Florentissimum omnium Regnorum Regnum fuit Franciæ s. Galliæ sub CAROLO M. â qvô altera Gallorum Dynastia denominata habetur. Sub hoc enim ipso Rege Regnum Galliæ summum cœpit incrementum. Is qvippe ita latè per Europæum maximè Orbem victricia arma circumtulerat: ut qvi res ejus hodieqve legunt, non unius Regis, sed omnium prope heroum, qvotqvot unqvam fuere, facta discant.

## XXXV.

*Ecqvis autem è totidem Regibus Regnum Franciæ, qvod qvidem ad modernum ejus Statum attinet, ita fundavit,*

*ut pura & absoluta sit hodiè Monarchia?*

Fecit id *Ludovicus* XI. *Vales.* Rex omnium Galliæ Regum callidissimus, Tiberioqve in simulandi dissimulandiqve artibus simillimus, & qvidem circa *Annum Christi* 1460. Is namqve primus *Reges Galliæ Hors de bagues*, *EXTRA CIRCULOS*, *misisse*, h. e. absolutos Dominos fecisse, traditur. *Hors de bagues* videl. qvum eos significet, *qvi sunt extra circulos*, *nullisq; legum cancellis concluduntur*, *ABSOLUTOS* notat *DOMINOS*.

XXXVI.

*Ludovicus XI. qvî absolutam acqvirere potuit potestatem?*

Factum id (1) *PARIUM sublatione*: (2) *PARLAMENTORUM restrictione.*

XXXVII.

*Per PARES qvos intelligis?*

Qvum *Pariatus* non *muneris*, sed saltem *ex aliorum comparatione enatæ prærogativæ nomen* esset, neqve qvis solus *Par*, sed in Ordine ad alios *ejusdem dignitatis particeps* diceretur, per *PARES Status Regni* intelligo, sic dictos, vel à *pari dignitate*, qvòd coronando Regi, ex formulâ muneris sui, unà præstò essent, *pariq; collatione* manuũ Diadema Regni capitĩ Regis & imponerent, & eximerent: vel etiam,

juxta alios, *qvòd pari essent numerô. Sex* enim erant *ECCLESIASTICI:* qvi adhuc sunt *Rhemensis*, *Laudunensis*, *Lingonensis*, *Bellovacensis*, *Catalaunensis*, *Noviodunensis*, & *sex LAICI*, tres nempe *DUCES*, *Burgundiæ*, *Aqvitanæi*, *Normanniæ*, tres *COMITES*, *Tolosanus*, *Flandriæ* & *Campan*. Horum autem Statuum Familiæ qvum extinctæ hodie sint, *PARIUM* memoria solô Titulô in Gallia est reliqva. Suppleverunt tamen in coronatione Ludov. XIII. (qvemadmodum describit *GRAMONDUS*,) *PARIUM* locum *DUCES*, *Condeus*, *Contius*, *Svessio*, &, *Comitum* munere in Coronatione functi, sed ipsi etiam *DUCES*, *Nivernus*, *Ellebovius*, *Espernonius*.

## XXXIIX.

### *Per PARLAMENTA Galliæ qvid intelligis?*

Intelligo pro moderno Galliæ statu per ea nihil aliud, qvàm *supremas Justitiæ Curias*; qvas & *summa Dicasteria* vocare licet. Audiamus hac de re qvid *Dn. du VERDIER*, *Francicus* haut sublestæ fidei *Historiographus*, habeat. Ita autem ille Gallicè *L. III. de verô statu Franciæ c. 4. p. 329. La Justice estoit autresfois administrée par les Reis mesmes, qvi la rendoient en personne à curs peuples: mais les affaires croissant de jour en jour, les Rois ne se reserverent qve la connoissance des affaires d' Estat: & pour l' administration de la Justice establirent certain, Conseils qv' ils appellerent Parlement, qvi connoistroient des affaires civiles & crimi-*

*criminelles en dernier ressort enitre les particuliers, ou se trouueroient tous les Pairs de France, tant Ecclesiastiqves, qve Seculiers.*

XXXIX.

## *PARLAMENTA Galliæ cujus sunt originis?*

*PARLAMENTA, qvæ cognoscerent de rebus civilibus inter privatos, sunt antiqvissimæ originis.* Consilium enim talismodi, qvod Regem olim in omnibus suis itineribus seqvebatur, eamqve ob caussam tunc temporis *ambulatorium* erat, per ipsum Pipinum jam Anno 577. institutum habetur: eratqve procul dubio, qvod hodie *Consilium* est *privatum*. Sed *Philippus Pulcer* primus fuit: qvi sedem Parlamento fixam dedit, atqve Parisiense Palatium pro Senatu augusto extruxit.

XL.

## *Qvot hodie PARLAMENTA in Gallia numerantur?*

*Numerantur decem*, qvibus qvidem omnibus limites *Consilium Magnum* ponit: suntqve *Parisiense, Tholosanum, Gratianopolitanum, Burdegalense, Divionense, Rothomagense, Aqvense, Rhedonense, Bearniense, Metense.* Accessit Ao. 1657. XImum, nempe *Ensishemense*, Enshemii pro Landgraviatu utriusqve Alsatiæ erectum. Omnium verò antiqvissimum cæterisqve antecellens *Parlamentum* est *Parisiense*; à Philippo Pulcro institutum. Imò supremum hoc est Parlamentum: utpotè à qvo

Edicta

Edicta Regia confirmari, s. Phrasi usitatâ, *Verificari* solent. Id utrum in speciem potius, an, ut robur aliqvod Edicta inde hauriant, fiat: facilè judicabit, qvi Galliæ Regem absolutum Monarcham agnoscit. Sic igitur, ubi cætera Parlamenta omnia æqvalem habent potestatem, nec unum alteri subjicitur, *maxima Parisiensi*, & *propter ordinariam Regis præsentiam*, & ob *Urbis ditionisq; amplitudinem*, est *autoritas*. Interim verò certum hoc manet: *qvòd magnam illam, qvâ olim pollebat Parlamentum Parisianum, autoritatem primus Ludovicus XI. represserit, atq; post eum nostris temporibus Cardinalis Richelius.* Hujus enim, haut secus ac paulò pòst *Mazarini*, operâ factum: ut eâ felicitate hodie Rex Galliæ fruatur, qvam ante eum multi conseqvi haut valuêre. Agere nempe ac decernere hodie vel contra Parlamentum, vel cum illô potest, prout commodum est ac utile: nihilqve ejus valet autoritas, nisi qvum Rex videt, è re sua esse. Id è *Transactionis Matritiensis* rescissione apparet. Apparet & id ipsum inde: qvòd Parlamentum ipsiqve Regis consangvinei non impedire possent, qvò minus Cardinalis Mazarinus, in exilium semel pulsus, à Rege revocaretur. Si qvas ergò verificationes Edictorum suorum Parlamento Rex Galliæ hodie relinqvit, *eas non tam necessitatis, qvàm humanitatis esse*, *Dn. du VERDIER L. I. de vero statu Fr. c. I.* rectè respondet. Omninò enim obedire illud cogitur, & regia verificari Edicta.

XLI.

## *Qvam Formam Reipubl. mihi inde elicis?*

*Formam* indè *Reipubl. ſimplicem & abſolutam elicio: qvæ tam verè ac merè eſt Monarchica, ut ipſe Gall. Rex verus hodiè & abſolutus ſit Monarcha.* Eſto igitur: qvòd tribus qvaſi frenis infinita Regum Galliæ poteſtas circumſcribi videatur (*Religione* nempè, à qvâ *Chriſtianisſimi* dicuntur; *Jurisdictione* ſeu Parlamentorum autoritate, & *Politia*, ſeu Decretis ac Conſtitutionibus Regni) ea tamen omnia non impediunt: qvò minus Rex Galliæ pro arbitrio dominetur, ſuamqve voluntatem ſupremam Legem conſtituat, nullâ Parlamentorum ratione habitâ, ſive contradicant, ſive conſentiant.

XLII.

## *Qvænam olim facies rerum in Galliâ erat?*

Olim *longè alia* erat rerum facies ac ſtatus in Gallia, qvàm eſt hodiè. Francorum enim Occidentalium Regnum non aliter adminiſtrabatur, qvàm aliàs Germanorum. *Nunqvam* ſcil. *in Gallia Monarchia obtinuerat, ſed Regius Status mixtus: ut potior pars ſummæ poteſtatis eſſet penes Ordines, cumprimis Regum primæ ac ſecundæ Familiæ tempore.* Nec ſub tertiâ diu ſatis alia Regiminis in Gallia fuit ratio.

XLIII.

XLIII.

*Qvando verò maximè mutari in Galliâ Regiminis Forma cœpit?*

Qvanqvam *prima Monarchiæ fata* autoritate Optimatum atqve Ordinum paulatim remotâ, *fecerit Ludovicus XI.* cujus & exemplum posteri secuti, ita qvidem, ut autoritatis Optimatum qvædam remanerent vestigia; *maximam* tamen *mutationem subiit Respubl. Gallica, qvum LUDOVICUS* XIII. *Richelii, & deinceps Ludovicus* XIV. *Mazarini ductu, plenam subirent Monarchiam, Procerum autoritate enormiter repressâ.* Atqve hinc omninô fit: ut nulla amplius celebrentur hodiè COMITIA, qvibus *Majus* olim dictus erat: unde & MAICAMPUS conventus iste publicus dicebatur. At verò regnante jam Ludovico XI. perduellionis reus habebatur: qvisqvis de illa trium Statuum *Assembléa* restituendâ (paulatim enim semovebatur) verbum fecisset. Solebatqve ille dicere, *se ex Ephebis jam excessisse, neq; tutoris egere.*

XLIV.

*Cujus rei certissimum est indicium, si alicubi non ampliùs fiant COMITIA?*

*Monarchiæ absolutæ,* qvæ obtineat, certissimum est indicium. *Reges* hinc, *Monarchiam intendentes, omnibus modis fugiunt COMITIA. Mixtus verò Status Comitia amat: qvippe qvi eò liberior, qvò major alicubi vis Comitiorum.*

Non

Non ineptè igitur in suâ *Franco-Galliâ HOTTOMANNUS* notat, *clandestinis artibus Regum Gall. hoc sensim effectum, ut, evitatis Ordinum Comitiis, in speciem illorum PARLAMENTUM institueretur.* Nempe, ut Reges Gall. evitarent Ordinum conventum, Populo persvasêre, se velle habere perpetuum Senatum deliberandi de Republ. caussâ: ne populo crearentur molestiæ, utqve impensis parceretur. Passus est populus sibi persvaderi, ut *jus deliberandi* transferretur ad *PARLAMENTUM*: talisqve autoritas data est *Parisiensi.* Exin obtinuit: ut, si qvam altioris momenti rem Rex decernere vellet, ea semper in *Parlamento Paris.* rata haberetur. Rata & Edicta Regia habebantur à *Parlamento*: qvod olim fecerant *Ordines*. Ortæ hinc, crescente subinde *Parlamenti* autoritate, reqve ipsa sibi arrogante, qvod non nisi in speciem tributum fuerat, contentiones: Diu durarunt hæ in Galliâ: donec *Cardin. Richelius* easdem removeret, tandemqve & ipsa expugnatâ *Rupellâ*, Parlamenti autoritas concideret. Sub Rupellæ namqve expugnatione & hunc Politicum respectum latuisse, nec ipse *Gramondus* diffitetur. Ludovicus nempe specie Religionis & Sectariorum opprimendorum Monarchiam Gall. stabilivit, & capta Rupellâ libertatem Procerum depressit. Sic itaqve in hypothesi, qvum nulla amplius in Regno Gall. sint Comitia, *Parlamentum* autem *Paris.* qvod Ordinum autoritatem tenus hac præ se tulerat, miris modis habeatur restri-

reſtrictum, *Regis Gallici ubiq́; lata ac ſupereminens potentia* inter omnes conſtat.

## XLV.

### *E qvibus juribus maximè abſoluta Regis Gallici poteſtas ſe exerit, ut clarisſimè pateat, illum plenisſimum eſſe Monarcham?*

*Regem Galliæ eſſe plenisſimum & maximè abſolutum Monarcham*, vel inde ſatis patet: qvòd (1) *ſolus Gubernatores urbium ac provinciarum nominet: principales Miniſtros Coronæ creet, militares æqvè ac juſtitiarios, proq́; lubitu iterum illos removeat:* (2) *ſolus Rex cenſus indicere posſit, & abſolutè circa eos diſponere:* (3) *ſolus monetam cudat, aureã æqvè ac argenteam, proq́; lubitu valorem ei imponat:* (4) *ſolus nobilitare, & Ducatus, Pariatus, Comitatus, conſtituere posſit:* (5) *ſolus leges condat easq́; interpretetur:* (6) *ſolus jus vitæ ac necis indiſcriminatim habeat, idq́; per Parlamenta exerceat.* Siqvidem & Parium capita læſa Regia Majeſtas ſecuri ſubjicit: qvod fortiſſimus ille Momorantius Heros, unus Parium, triſti ſuo oſtendit caſu. Gallos inſuper Regem habere, qvi abſolutè loqvatur, cujusqve autoritas non ſit limitata, patet: qvòd (7) *ſolus Rex det ſalvam Gvardiam:* (8) *ipſius Regis nomine Edicta ac Mandata publicentur:* (9) *ſolus Epiſcopatus, Abbatias & reliqva Beneficia vacantia conferat:* (10) *ſolus jus habeat erigendi Collegia &*

*Uni-*

*Univerſitates:* (11) *ſolus jus belli & pacis habeat:* (12) *ſolus militem conſcribat, proq́ arbitrio militare ſtipendium imponat:* (13) *in caſu neceſſitatis cenſum & ipſis Clericis imponere poſſit:* (14) *Synodos inſtituere & concilia convocare propriâ poſſit autoritate, ac regulas Eccleſiæ Gallicanæ præſcribere:* (15) *ſolus fœdera cum exteris inire, ſolusq́ Legatos extra Franciam mittere posſit, &c.* Verbo: *Solus Rex Galliæ exercet omnes independentis & abſolutæ poteſtatis actus.* Qvod qvum ita ſit, *Dn. du VERDIER* ipſe concludit: *Regem Galliæ purè eſſe Monarcham, & qvidem talem, ut posſit in Orbe Chriſtiano haberi non abſolutior.*

XLVI.

*Qvorum virorum operâ Principatus Galliæ ad talem hanc tandem perfectionem fuit perductus?*

Qvum, poteſtate Regiâ jamjam ſub tantâ ſeditionum mole fatiſcente, incomparabilis Heros, *Henricus* IV. rationem firmandi Principatus abſoluti, qvem ſolidè olim Ludovicus XI. fundaverat, primus inveniſſet, is poſtea ſub *Ludovico* XIII. & XIV. ad eam, in qva hodie qvoad omnia jura eſt Majeſtatica, perfectionem *operâ Cardinalium, RICHELII & MAZARINI*, fuit perductus. Atqve adeò res exploratæ manet veritatis: *REGEM GALLIÆ abſolutum & verè Monarchicum in ſuos imperiũ hodie obtinere.* Sic igitur omnes in Gallia Magiſtratus à ſummô Rege velut

àSo-

â Sole, omnem ſuum ſplendorem accipiunt : abſqve hoc nihil ſtatuere poſſunt : in ejusdem juſſu acqvieſcere tenentur : utqve Rex, qvantum in ſumma ſibi liceat poteſtate, teſtetur, nullam edictorum aliam reddit rationem, qvàm hanc, ipſis inſertam Edictis : *Car tel eſt notre plaiſir*, h. e. *ITA NOBIS PLACET.*

## XLVII.

### *Qvæ præcipua illa utriusqꝫ Cardinalis, RICHELII & MAZARINI, eſt opera, qvâ ad perfectionem ſuam Principatus Galliæ tandem perductus?*

Uterqve, ſi qvid libertatis Gallico ſuperfuit populo, conculcavit. Fuit enim rectura horum ſupremorum Miniſtrorum maximè herilis Dominatus. Si igitur vel *Richelius* vel *Mazarinus* bellator fuiſſet, & liberos habuiſſet, facilè etiam Rex ipſe potuiſſet incidere in periculum amittendi Regnum. Minùs tamen poterat *Mazarinus* : qvia erat peregrinus. Patre enim natus erat Siculo : qvi bonis ceſſerat, & confugerat Romam. Inviſus hinc Gallis omnibus : nec potuit ipſe formidabilis eſſe Regiæ Familiæ. Experti interim Galli ſub hoc Cardinale, qvod *ROB. GUAGNINUS, Hiſt. Franc. Scriptor*, ante annos 200. expreſsè dixerat : nempe, *ſemper tunc popularem libertatem pati, ſi per Clericos regia adminiſtretur dignitas.*

XLIIX.

XLIIX.

*Anne verò sibi similes hi duo Ministrissimi per omnia erant?*

Erant ipsi ubiqve & in omnibus admodum sibi dissimiles. Erat nempe *origo* eorum dispar. Richelius qvippe, in Gallia natus, trito jam à Majoribus itinere supremam adierat dignitatem; Mazarinus, in Sicilia progenitus, nemine præeunte ad culmen istud evasit. Dispar utriusqve erat *ingenium*. Illius namqve ingenium erat acre & vehemens, hujus subtile & morarum patiens. Erant eorum dispares *curæ*. Richelius namqve in Remp omnes curas consumebat: Mazarinus ita Reipubl. consulebat, ut sua etiam, respiceret, & communes cum privatis rationes conjungeret. Dispares erant *mores*. Richelius enim superbus erat, inqve superbiam inclinans; Mazarinus humanior, sed avarus. Disparia erant, qvæ nacti fuerant, *tempora*. Richelius siqvidem Rempubl. turbatam & cùm Protestantium bellis, tum discordiâ Principum accisam; Mazarinus magis pacatum, & qvâ factiones pleræqve sublatæ erant, viderat: Uterqve tamen feliciori cum progressu & exitu res suas peregit: Sed neuter ab omni fortunæ seqvioris impulsu planè destitutus.

XLIX.

*Qvis Liber de administratione horum duorum Cardinalium seorsim editus habetur?*

Habetur seorsim ab Autore qvodam Anonymo cum *Observ. Polit.* duobus Voluminibus editum *MINISTERIUM RICHELII* & *MAZARINI*: in qvo ipso qvidem Libro grandis rerum civilium prudentia latet. Debet tamen legi perpensô animi judiciô: qvum nonnulla mala bonis mista contineat, Autorqve ille, nimiæ adulationi indulgens, è Cardinalibus illis qvasi Deos facere conetur.

L.

*Qvem ergò Scopum hodie sibi præfixum Gallica habet Respublica?*

Qvum in Galliâ hodie sit verè *berilis Dominatus*, qvem operâ suâ Cardinales, *Richelius* & *Mazarinus*, tandem absolvêre, *primariò Regis* spectatur *utilitas*.

LI.

*Qvæ & ratio administrandi Rempublicam hodie in Galliâ obtinet?*

Administratur omninò Respubl. hodie Gallica per *primarios Regni Ministros*: qvos Rex creat & deponit. Administratur per *Gubernatores Urbium* ac *Provinciarum*: qvorum qvidem potestas per *Vicarios* seu *Lieutenants*, à Rege illis adjunctos, coërcetur.

LII.

*Qvot & qvibus Consiliis hodie Rex Galliæ utitur in administrandâ Re suâ publicâ?*

Qvum

Qvum varia Regis Gallici ſint negotia, *diverſa* qvoqve ille habet *Conſilia*: qvibus in administranda Republ. utatur. Numerantur autem vulgo *Conſilia Regni Sex*, (1) *Conſilium Magnum*: qvod ipſum Curia eſt ſuprema, curam habens, ne Cardinales, Archi-&-Epiſcopi, &c. qvid contra Parlamenta machinentur. (2) *Conſilium ſuperius*: in qvo res maximi momenti, adhibitô Cancellariô aliisqve, tractantur, & cui Miniſtri ac Conſiliarii Status non interſunt, niſi expreſsè convocati. (3) *Conſilium Secretum*: qvod à perſonis paucioribus ſelectis conſtituitur, ut ab ipſis de rebus ſpecialisſimis tractetur. (4) *Conſilium des deſpeches*, ubi res Provinciarum tractantur. (5) *Conſilium Conſcientiæ*: qvod de collatione Epiſcopatuum, Abbatiarum, aliorumqve Beneficiorum diſponit. (6) *Conſilium Bellicum*: cui interſunt Miniſtri Status, Mareſchalli Franciæ, aliiqve Duces bellici.

LIII.

*Ecqvod novum præter illa ſuperiora ante paucos annos Rex Galliæ inſtituit Conſilium?*

*Conſilium* inſtituit, qvod appellatur *des Finances*: cujus Membra Redituum Regiorum habent rationes. Atqve in hoc Conſilio egregiè rebus ſuis conſuluerat *Fouqvetius*. Vid. elegans *Tract.* von der Königlichen Frantzöſ. Finantz.

LIV.

*Qvi ac qvanti Regii ſunt Reditus?*

Redítus ac Opes Regis Gallicì ingentes ſint, neceſſe eſt: qvum ingentibus Gallia tributis oneretur. Ferunt autem, Regem ſingulis annis 220. Milliones Librarum è Regno ſuo colligere poſſe. E ſolis *Talliis*, ut *exactiones* appellantur, à *tailler* vel *incidere*, Regem plusqvã 50. Mill. percipere, *MSC.* qvoddam *Gallicum* teſtatur. Imponuntur enim capitationi in omnes, exceptis Nobilibus, Eccleſiaſticis, & qvibusdam Magiſtratibus majoribus ac Urbibus, ut Lutetiâ, Rotomago &c. Ita ut, qvi XX. annos attigit, qvolibet anno certam ſummam ſolvere cogatur. Nec parum Reditus regios auget: qvòd omnia Regni Officia ſint venalia, exceptis Mareſchallis, Cancellario aliisqve paucis. Augent & Reditus plurimùm vectigalium conductores: qvi in Gallia *Les Partiſans* vocantur. Nam qvando Rex aliqvot Millionibus (intelligo autem Mill. Gallicos, qvorum tres unum German. faciunt Mill. ſeu X. Auri Tonnas German.) opus habet, tum hi vectigalium conductores Cancellarium adire, illiqve argentum offerre ſolent: pro qva pecuniæ ſummâ aliqvot illis Regiones conceduntur: unde creditam Regi pecuniam iterum conſeqvantur.

LV.

## *Qvæ verò ratio Judiciorum eſt in Gallia?*

Curat Rex jus dici in maximis Provinciis per *Collegia togata*: qvæ dicuntur *PARLAMENTA*. Habentur autem & alia nonnulla judicia,

cia, his inferiora, ab *Henrico* II. *Anno 1551.* instituta: ne Curiæ supremæ minoribus inqvietarentur caussis, aut litigantes freqventi provocatione effectum rei judicatæ sufflaminarent.

## LVI.

### *Qvæ ratio juris?*

*Jus* alibi *Romanum* ex parte observatur, alibi non: ut ita ratio juris in Gallia non sit eadem. Qvod tamen Rex jubet, jus constituit. Præprimis verò jus Romanum non observatur Parisiis. Unde & Schola Paris. juris Rom nullos habet Professores. Sic itaqve rarò secundum jus Rom. caussæ dicuntur. Consvetudines enim prævalent & Rescripta Regia: qvæ in unum Codicem digesta tempore Henr. IV. habentur. Unde *Codex Henricianus.* Tantundem ille in Gall. valet, qvantum *Codex* apud nos *Justin* Habetur & à *CAROLO MOLINÆO* JCto *Opus Consvetudinum Paris.* conscriptum: qvod Parisiis in Judiciis sanctè observatur. Fuit Vir doctus, animosus, mereturqve æternam laudem.

## LVII.

### *Eccui verò omnis Justitiæ in Gallia est demandata cura?*

Demandata est *Regni Cancellario:* ut illam in Gallia locô Regis administret: etiamsi Consiliis qvoqve Regis idem præsidere & voluntatem illius exponere soleat.

## LIIX.

### *Juxta hæc, qvæ Militiæ ratio valet hodie in Gallia?*

*Militia* Gallica omnis ante 100. Annos & ultra *eqveſtris* fuit: *pedeſtris miles* maximam partem *peregrinus* fuit, nempe *Helvetius*. Helvetii enim 7000. & plures, qvando opus, Regi mittere ſoliti ſtipendiarios pedites. Ita ſcil. eſt: qvod Galliæ Reges à Franciſco I. ſemper annuô conduxerint ſalariô Helvetios, etiam pacis tempore iis ſalarii aliqvid porrigentes, qvô adſtricti eſſent, qvoties Rex poſceret militare. Proximis 30. & 40. Annis mos ille multùm mutavit. Cœperunt enim Galli colligere peditẽ domeſticum æqvè ac eqvitem, feliciter hoc pactô Reipubl. ſuæ conſulentes: qvòd *CONRING. ad Machiavell.* notat. Et certè poſtqvam plebs ad reſtim redacta, libenter militiam ſeqvitur. Poteſt igitur Rex hodie numeroſum in Galliâ colligere exercitum. Non autem Gallus legere, ſed conducere militem ſolet: niſi ubi Nobiles ſe comitari urgente neceſſitate jubeat. Vix tamen & illud hodie obſervatur. Nam coguntur Nobiles pendere certam pecuniam: qvod molliores libenter faciunt. Sed eô ipſo perit libertas.

## LIX.

### *Qvid certi de militari Corporis Regii cuſtodiâ heic habes?*

Hoc

Hoc habeo certi: qvod adeò ſplendida ac copioſa cuſtodia militaris Regii corporis ſit, ut ſoli ſtipatores Regii ordinarii, absqve magno Aulicorum reliqvorum numerô, duodecim millia hominum conficiant.

LX.

## *Qvot ac qvosnam Ordines Galliæ Rex per univerſam habet Galliam?*

*Ordines*, in qvos & Gallia dividitur, Rex Galliæ habet *tres*: primus eſt *CLERICORUM*; alter *NOBILIUM*; tertius *POPULI*. Ad hunc igitur Parlamenta pertinent: qvæ Rex, ubi & qvando vult, cum Præſide ſuo nova conſtituit. Pertinent & huc *Magiſtratus*, *Partiſani*, *Collegia Mercatorum* & *Opificum*; deniqve *Ruricolæ* huc pertinent.

LXI.

## *Qvos ac qvotnam ſub ditione ſuâ habet Ducatus?*

Ut *Pariatuum*, ita *Ducatuum numerus* in Gallia hodie eſt *incertus*, *nec ſemper idem*. Ipſi ſanè tertiæ Familiæ Reges numerum eorum per novas atqve novas Toparchiarum majorum in Ducatus ac Pariatus transformationes auxerunt, & hodienum augent: non rarò etiam utrosqve, & Ducatus & Pariatus, per abrogationem minuunt. Non ergo rectè certô hodiè in Gallia Ducatus ac Pariatus numerô numerãtur, interq; eos qvatuor reliqvos

anteire dicuntur: qvanqvam certum hoc eſt: qvòd Duces & Pares ordine poſteriores Principibus Regii ſint ſangvinis. Ne dicam: qvòd nullis ad dignitatem Ducalem adſpirare concedatur, qvi 24000 tantùm Imperiales annuorum redituum poſſideant.

*LXII.*

## *Cujus indolis Subditos habet Rex Galliæ?*

*Subditos* habet, qvi *leves* ſunt ac *inconſtantes, qvosq́; facile pœnitet cœpti.* Citò incipiunt, citò finiunt: nulla laborum & conſiliorum in illis eſt conſtantia. Qvæ cum impetu agunt, bene ſuccedunt: ſed ubi paululum animus iis remittitur, tunc tædium laboris ſuccedit; unde retrò cedunt. Atqve ſic, qvum omninò paucos in hac gente conſtantes reperire liceat, *levitas* ſemper Gallis objici à Germanis ſolet.

*LXIII.*

## *Qvæ Virtutes, qvæ Vitia ex illa levitate animi pendent?*

Multæ pendent inde Virtutes, multa item Vitia. *Naturâ Galli* ſunt *hilares* & *remoti ab omni triſtitiâ:* indeqve ſtudia ſeveriora ipſis minùs ſunt apta. Qvoad *Fortitudinem bellicam*, qvæcunqve cum impetu agunt, bene agunt: ubi verò tranſierit impetus, facilè langvent. Nôrunt hoc Hiſp. ideoqve tarditate ſua & pertinaciâ impetus Gallorum frangere ſolent. Semper nova Galli moliuntur, Hiſpani

ni moras nectunt, Gallorum impetum ferre nescientes. Pleriqve item Galli *incontinentes* sunt: non tamen ita intemperantes, ut Hispani ad insaniam. Galli enim leviter amant, leviterqve deponunt amores. Qvoad *Virtutes homileticas* non temerè reperies Gentem adeò *comem*, sed nec adeò mutabilem circa vestes: ita tamen ut hæc insania videatur habere excusationem. Erga peregrinos valde sunt *civiles*. Qvare? qvia semper sunt erecto animo ac hilares. At si periculum imminet, deserunt suos pariter ac peregrinos, nulla miseratione tacti. Opera & artificia multô indigentia labore, graviora item, non conveniunt Gallis. Amœna verò & ludicra ad miraculum excolunt. Adeoqve contraria omnia in Hispanis sectantur. Ad rem maritimam planè inepti sunt: qvia ad hanc opus pertinaciâ laborum. Galli verò ingeniô ad continuos labores sunt inepti. Eadem de caussâ minus apti exercendæ mercaturæ: qvi verò hanc exercent, longè infeliciùs exercent Batavis & Anglis. Nullum tamen artificii genus est, qvod à Gallis non excolatur ad elegantiam usqve: qvippe in qva nulli cedunt Genti. Agros, qvi gravi culturâ indigent, deserunt, qvi levi, eos excolunt. Deniqve, postqvam populus pedestri militiæ assvefactus, qvod olim apud Gallos non fiebat, feliciter præliantur illi.

*LXIV.*

*Cujus prætereà bonitatis terram possidet Gallus?*

Gallia non ubiqve est eadem: *ubiq. tamen fertilis.* Unius enim loci sterilitas fertilitate viciniæ emendatur. Nil Galliæ deest ad victum: nisi cœlum sit inimicum. Indeq; fit: ut pars aliqvando nobilissima laboret fame. Exceptâ Picardiâ & Normanniâ tota Gallia est vinifera. Generosissimum interim vinum in Provincia & Aqvitania nascitur. Abundat & Gallia cæduis sylvis, ad structuram, ad ignem. Ad rem nauticam tantum habet lignorum, qvantum desiderant Classes. Fluviorum navigabilium amœnitas in Gallia maximè notabilis. Pars eam cingit, ut *Araris, Rhodanus, Mosella, Soma*; pars mediam percurrit, ut *Seqvana, Liguris, Garumna.* In hæc tria flumina influunt è Regni extremitatibus, partim & ab ejus meditullio, tot flumina alia: ut Regnum totum supra modum mercatile, ut ita loqvar, communicationiqve rerum satis aptum reddant. Unde & non ineptè dicit, qvisqvis dicit: *Gallici Regni populis omnia esse communia.* Metallis qvidem multum cedit Germaniæ nostræ Gallia. Habet enim ferrum & plumbum, sed parum argenti: nec & tantum ferri habet, qvantum usibus hominum sufficit. Unde, aliunde importetur, necesse est. Conficitur & sal, qvi unius Regis in Gallia, è fontibus: sed non tam copiosè, qvàm in German. Maxima verò vis salis ex aqvâ marina ardore solis coqvitur: ita tamen, ut humanâ operâ indigeat. Solet enim denuo expurgari & excoqvi. Lanâ & ovibus sibi sufficit Gallia. Rosmarinum

& la-

& lavendula sylvestres ibi sunt plantæ : apud nos magnâ indigent curâ. Cœlum enim Gall. in universum clementius est Cœlô German. Unde & fructus terræ magis ibi excoqvuntur ac dulciores fiunt. In summa : nihil ad victum, nihil ad amictum & cultum corporis Galliæ deest : qvodqve desideratur, commercia maritima facillimè supplent.

## LXV.

### *Cujus amplitudinis ille tenet terram?*

*Longitudo Galliæ*, secundum *CLUVERUM*, 180. *latitudo* 140. milliaria Germanica complectitur.

## LXVI.

### *Anne & alias extra Galliam Gallus possidet terras?*

Fecit sanè intra 100. Annos Gallia magnam accessionem partim è terris Imperii nostri, partim è Belgii ac Italiæ parte : nec minus etiam è Russilionensi Comitatu. Gaudet præterea Rex Gall. qvietâ possessione de la Comte & Viguerie de Conflans, exceptis Locis, qvi in montibus Pyrenæis latus Hispan. spectant. Lotharingiæ qvoqve majorem tenet partem : tenet item *Dunkerkam* : utpote qvam, à Cromvvelio ope Gallorum occupatam, hodiernus Rex Angliæ Carolus II. Regi Galliæ cum maximô damnô vendidit. In Americâ deniqve *Novam Franciam* possidere Gallus dicitur.

LXVII.

## *Qvô jure omnes suas terras Gallus tenet?*

Ut Regnum Galliæ, qvod plures Gallorum Historici volunt, præter *Hottomannum*, cui tamen passim contradicitur, jam sub Merovingis semper fuit *hæreditarium*, &, si qvando aliter factum, non id de jure, sed de facto capiendum: ita hodieqve tale est. *Merè* nempe *hæreditarium* est: ita qvidem, ut ad masculos saltem successio devolvatur; ad fœminas autem, obstante *LEGE SALICA*, non transeat. Sic ergo Gallus omnes hodie Regni sui terras *jure hæreditario* tenet, eas post ultima fata majori atqve majori cum augmentô ad *Delphinum* suum transmissurus.

LXIIX.

## *Per DELPHINUM qvem intelligis?*

Intelligo per *DELPHIN. primogenitum Regis Gallici filium.* Qvum enim is olim, *HOTOMANNO de Jure Reg. Gall. L. II. & L. I. de Success.* autore, *Rex Junior*, item *Rex Juvenis* diceretur, hodie *Dauphinus* sive *Delphinus Viennensis*, *Delphinus Regni*, vel *Delphinus* absolutè, (uti de usu hodiernô tradit *REYHER. de jure primogen. c. V.*) vocatur: haut secus ac primogenitus Regni Anglici *Princeps VVallia* dicitur.

LXIX.

## LXIX.

## *Unde & cur nomen hoc primogenitus Regis Gall. filius proprium sibi adeptus?*

*Delphini* nomen primogenitus in Gallorum Regno proprium sibi adeptus est à Regione vel Provinciâ Viennensi *Delphinatu* s. *Dauphine;* qvæ an primùm appellationem suam acceperit à Castro Delphini, ut placet *BELLEFORESTO*, an à variis illis, qvi eam ditionem, hoc nomine insigniti, possedêre, Principibus, veluti sentit *FAUCHET* ap. *LIMN. de Notit. Regni Franc. L. I. c. 4.* an à socero filii Comitis Grisii, aut ab alio deniqve alio, parum heic refert: sed sufficere nobis videtur, si sciamus, qvando ad Galliam pervenerit, & qvod eam ultimus ejus Princeps *Hubertus* vel *Humbertus* Regi Gallorum, (ad qvorum Regnum Burgundia, qvam Imp. *Conradus* II. dicente *BOXHORNIO*, vel ejus successor *Henr.* III. Imperio German. postmodum, adjunxit, qvondam ante Caroli M tempora cum ipso Delphinatu pertinuerat,) eâ lege vendiderit, ut imposterum Primogenitus, seu natu maximus, cujusqve Regis filius, nomen Delphini inde gestaret, atqve insignia retineret. Sic igitur omninò ob *conditionem* illam à *Delphinatu DELPHINUS* appellari *primogenitus Gallici Regis filius* cœpit: *qvâ Humbertus ille suum Regno Galliæ Principatum* per *venditionem*, aut, juxta alios etiam, per *donationem*

potiùs, *adjunxit: ut primogenito filio in perpetuam sui memoriam nomen DELPHINO* esset.

LXX.

*Anne & unqvam postgeniti Regum Galliæ filii Delphini nomen tulêre?*

Respondet *LIMNÆUS L. II. Notit. Regni Franc. c. XXI. p. 910. se nullibi annotatum reperisse, Primogenitô mortuô, Secundogenitô nomen Delphini datum: uti nec, Primogenito Rege facto, sed sine liberis masculis vivente, ac omninò sine spe prolis, Regis fratri datum.*

LXXI.

*Qvalis, Delphino jam defuncto, successio obtinet in Gallia?*

Obtinet *successio agnatica: qvæ tantùm marium est ex maribus.* Si Delphinus nempe filium reliqverit, is succedit, adeoqve Regis ex primogenito nepos: si non, succedit frater: si nec hunc reliqverit, Rege mortuô, succedit agnatus proximus. Atqve talis jam olim in Davidis stirpe post Salomonem *GROTIO in Not. ad L. II. de J. B. & P. c. VII. §. 23.* obtinuisse dicitur. Eaqve vulgò ap. eundem Grotium *successio juris Francici* appellatur: *ex nobilissimi* scil. *Regni*, ut idem ibidem refert, *exemplô.*

LXXII.

*Agnatica hac successio qvo fundamento maximè in Galliâ nititur?*

LE-

*LEGE* vulgò niti *SALICA*, qvæ fundamentalibus Francorum Legibus annumerari consvevit, putatur. Hujus enim Legis celebris qvidam Articulus est: qvi *fœmellas ab universa Regni hæreditate excludit*, *omnemq; succesſionem ad solos masculos* his qvidem verbis *restringit*: *IN TERRAM SALICAM MULIERES NON SUCCEDANT.* Atvero *usu* potius, qvam ista *Lege*, Fœminæ à successione excluduntur. Lex namqve Salica, *Conringio de Origine juris German. c.7.p.35.* judice, non de *succesſione regia*, sed *de re Agraria* intelligenda. Cœpit tamen ad eam accommodari: qvum de Regia successione magna controversia inter Anglum Eduardum & Philippum Valesium esset exorta. Qvæ caussa, qvòd Angli, Philippum Legem istam somniasse, asserere haut dubitent.

LXXIII.

*LEX SALICA unde sic dici meruit?*

Qvanqvam, LEGEM SALICAM à Saliis, Francorum qvondam Gente imprimis celebri, qvi ita videntur dicti, qvòd sedes suas ad fluvium Saxon. *Salam* haberent, dici cepisse, nonnulli velint: magis tamen nobis arridet eorum sententia, qvi *Legem Salicam* à *SAL* dictam scribunt, qvod *Aulam* significat: ut sic ipsa *LEX SALICA* sit non alia nisi *LEX* qvædam *AULICA*, h. e. *Lex Regni Gallici fundamentalis.*

LXXIV.

*Qvem Autorem LEX SALICA agnoscit?*

Le-

*Legis Salicæ Autorem* qvod attinet: de eô non adeò constat. *LINDENBROGIUS* tamen, in *Legum Antiqvarum Cod.* qvem *Cæs. Matthiæ* de dato *Hamburg. 1613.* dedicavit, cæteris Legibus antiqvissimis *LEGEM SALICAM* non tantum addit: sed & de *ejusdem Legis* scriptione hæc ibidem habet: *Temporibus CAROLI M. Annô 798. viri prudentissimi, VVisogastus, Podogastus, Salogastus & VVidogastus, in villis ultra Rhenum Salehaim, Bodohaim & VVidohaim convenerunt, Legemq; conscripserunt, dictam Salicam, à Sal, qvod significat Aulam.*

## LXXV.

## *Anne & in Controversiam unqvam vocari cœpit?*

Maximè in Controversiam Lex illa iis venit temporibus, qvibus Philippi Pulcri filiis, *Ludovico Huttino* Anno 1316. *Philippo V. Longo* 1322. *Carolo V.* Anno 1327. absqve hærede mortuis, successio videbatur devolvi ad Isabellam ejus filiam, uxorem Eduardi II. Regis Angliæ. Hæreditatem igitur filius *Eduardus III.* prætendit. Ast *Philippus IV. Valesius*, *LEGE SALICA* subnixus, Regnum obtinuit. Id Angli ægrè ferentes magnâ expeditione rem ulciscuntur, & post multas victorias Anno 1347. *Caletum* eripiunt: qvem portum ultra 200. possederunt annos: Ad Gallos qvippe rediit demum Anno 1558. Philippo successit fil. *Johannes Valesius*, Rex adeò infelix: ut cum 50000. militibus ab 8000. Anglis funderetur,

&

& captivus in Angliam abduceretur. Successit Johanni Car. V. huic Car. VI. Carolo VI. Car. VII. donec à Patre, sed mentis impote, præcluderetur, Regnô Catharinæ filiæ Henr. V. Angli conjugi, è qva natus Henricus VI. tributô. Utut autem verum sit, per contemptum Regem Carolum VII. *Biturigum* vocatum esse : incertum tamen est, an ab Rege Henr. VI. an ab adulatoribus ejus id factum. Hoc interim certum: eundem Carolum post multas calamitates eò tandem, Duce puella *Johanna d' Areq*, vulgò *Dareia*, qvæ & *Johanna Lotharingica*, it. *Aurelianensis* audit, rem redegisse: ut præter portum Caletum tota ferè Gallia Anglis eriperetur.

## LXXVI.

## *Qvam aliam nonnulli huc Controversiam trahunt, in qvam Lex venerit Salica?*

Trahunt huc illam de *LEGE SALICA* Controversiam: qvæ mota fuit in electione Henrici IV. qvum Pontificii partim ad Isabellam Claram Eugeniam, partim ad Ducissam Sabaudiæ respicerent, asserentes: *posse interdum Leges fundamentales mutari, si Reipubl. mutarentur tempora.*

## LXXVII.

## *Ecqvænam verò Ratio status Regni est Gall. & in qvâ re maximè consistit?*

*Regni Gallici Ratio Status* in eo maximè con-

consistit: *ut vicinos aliosq;, Hispanorum potentiam reformidantes, arctissimo sibi fœdere connectat, & Helvetiorum Gallis faventium amicitiam conservet.* Nempe ab eo tempore, qvô Galli ab Hispanis, sub Regibus Francisco I. & Henr. II. aliisqve victi fuerant, donec tandem emergeret Henricus IV. perpetua Gallorum Regula fuit, *in omnibus Hispanis sese opponere.* Sicut igitur Hispanorum suprema Lex est, *unicam Catholicam in Regnis suis propugnare Religionem:* ita Gallorum contraria voluit hactenus studium. Nempe Hæreticos, qvos vocant, defendere studuerunt, nec pati voluere, ut Hispanus prætextu Relig. suam augeret potentiam. Inter artes tamen regnandi hoc qvam maximè observari à Gallo cœpit: ut *Reformati paulatim enervarentur, iisq; penitus tandem enervatis Gallia* ad unitatem *Religionis reduceretur.*

## LXXIIX.

## *Qvas cautiones huc referunt Politici?*

Politici ad *Arcana Gubernationis*, s. *Rationem Status Regni Gall.* cautiones referunt seqq. (1) *Non permittendum soli Hispano arbitrium esse & pactionem fœderum, imprimis in Italia:* (2) *Nullum locum ab inimicarum machinationum exploratoribus vacuum relinqvere:* (3) *Nunqvam sine parato milite, qvi excubias ad fines Regni agat, esse:* (4) *In negotiis cum Hispano tractandis homines non adhibere, nisi qvi calorem Gallicum phlegmate temperare nôrint.* (5) *Rei*

*ma-*

*maritimæ curam non posthabere, sed populum navigationibus assvefacere: (6) Ducibus, Comitibus aliisq; Galliæ Magnatibus nullum in Gallia locum munitum concedere.* Inde nec Præsides Provinciarum ullum in milites jus habent: neq; item Ducibus Galliæ ea potestas, qvæ est Principibus German. permittitur.

## LXXIX.

## *Qvæ prætensiones Regis sunt Gallici?*

Si generalissimam spectemus Regis Gallici prætensionem: prætendit is *in totum terrarum Orbem*, rem ex Japheto deducens ap. *Limn. Not. Regni Fr. L. I. c. V.* Sed qvum hæc prætensio vetustate obsita & è longinqvo petita, magis adulatorum fortunæ Regis Gall. qvàm Regis Christianissimi ambitioni adscribenda est. In specie *in Siciliam & Neapolim per justam belli acqvisitionem* prætendit: qvum Normanni jussu Pontificis ejecerint Saracenos. Prætendit in *Castiliam* ex *oblatione hæreditatis*, ab Alphonso Castil. Rege Carolo M. facta. Qvid? qvod & Galli successionem è Ludovico Sancto urgeant, cujus mater uxor erat Ludovici IIX. Regis Gall. & filia Alphonsi Regis Castil. Prætendit (3) in *Catalon. ex occupatione Carolina:* jure it. à Renato Antino ad Reges Fr. transmisso: ex eô etiam, qvod ipsi Catalauni valde oppressi Anno 1640. se Regi Gall. submiserint. Prætendit (4) in *Nararram:* qvod Hispanus Na-

var-

varræum clientem Regis Fr. ejecerit, accedente etiam jure Henr. IV. materno. Prætendit (5) in *Arragon. ex investitura Martini IV. Pontificis R.* Philippo Regis Fr. filio facta. Prætendit (6) in *Sardiniam:* qvòd Normanni Saracenos inde ejecerint, eandemq; insulam Anno 1282. in Carolum Andegav. transtulerint. Prætendit (7) in *Mediolanum* ex Matrimonio Valentiæ Ludov. Aurelianensi nuptæ. Prætendit (8) *Superioritatem Flandriæ:* qvod Comites Flandriæ homagium præstiterint, & à Regibus Gall. acceperint leges. Prætendit (9) in *Comitatum Burgundiæ*, vindicans eum sibi ob alienationem tempore minorennitatis Regis Caroli simplicis. Prætendit (10) in *Comitatum Nizam, è jure territorii provincialis.* Urbs enim municipalis Niza in Provincia sita: sed Dux Sabaudiæ immemorialem possessionem allegat. In *Brabantiam magnum* sibi jus (11) tribuit Gallus, idqve bello cruentò tenus hac vindicare haut dubitavit. Nec obstitit Reginæ Theresiæ renunciatio in definitos Brabantiæ Principatus. Hanc enim ideo nullam esse dicit Gallus: qvòd non modò Hispan. & Brabant. legibus, sed civili etiam juri, qvo filia renuncians à successione Patris non excludatur, si dotem ex ejus bonis non acceperit, repugnet. Videatur *Liber Anno 1667. de juribus Christianissimæ Reginæ in Brabant.* impressum ac editum, imprimis *n. 27. seqq.* Sed regerunt Hispani: qvod *renunciatio illa* in *Brabantiam tam à Regina facta, qvàm à Rege Ludo-*

*doVico XIV. præVio juramentô approbata fuerit: in jure autem Canonico definitum esse, qVod renunciatio filiæ, præVio juramento facta, serVari debeat.*

## *LXXX.*

## *In qVæ & alia Regna insuper prætendit Gallus?*

Ptætendit ipse, præter illas in Hispanicas ditiones expressè sibi in *Instrum.Pac. Anno 1659. Artic. 89.* reservatas Prætensiones, in *Portugalliam:* qvasi Robertus RexPortugalliæ fundârit domum Bulionens. è qva Catharina, modernorum Regum Franc. genitrix, prodiit. Prætendit in *Angliam* ob delictum Johannis R. Britanniæ: qvi ob dejectum & occisum Arturum provinciis in Francia & Britannia exutus; Britanni verò Ludovicum Regis Franciæ filium coronârant. In *Genuam* & ipse prætendit Gallus; è protectione scil. Carolo VI.&VII. delata.

## *LXXXI.*

## *Qvæ tamen omnium vexatissima, dudum qvidem decocta, sed hodiè recocta Regis Gallici est Prætensio?*

Est illa super *Imperium nostrum Prætensio:* qvam *AdVocatus qVidam Parlamenti Parisiensis & Consiliarius Regius, nomine AUBERT,* in Gallia non dubitavit recoqvere, etiamsi dudum decocta fuerat. Is nempe peculiarem *de justis, qVas Vocat, Prætensionibus Regis Christianiss. super Imperium, deq. praeminentia Regis ejusdem super Imperatorem Tractatum* scripsit, eumqve

cum

cum Privilegio Regis, *d. 19. Jul. A. C. M DC XLIX.* dato, sed Anno demum *M DC LXVII. Lutetiæ Parisiorum* ap. Anton. *Bertier* in lucem Gallicè edidit: è qvo qvidem *Axiomata Politica Gallicana* bonâ fide ad verbum Latinè excerpta, & cum cæteris Gentibus, qvarum interest, tum imprimis Germanicæ Nationi, ad considerandum proposita, habemus. Autor igitur apertè ibidem dicit ac docet: *Imperium s. Germaniam ad Reges Galliæ pertinere, & sedes Metropolitanas trium Electorum Ecclesiast. unà cum suis suffraganeis sine controversia intra limites Galliæ esse sitas.* Qvid? qvod & idem ibi *ALLBERIUS*, Gallicè *AUBERY*, *Regi Galliæ præeminentiam supra Imperatorem Romano-German.* tribuat, inqve fine tandem Operis audacter tradat: *qvòd Delphino Franciæ, è matrimonio hodierni Regis & Reginæ Teresiæ nato, omnes rerum circumstantiæ infallibiliter UNIVERSALEM MONARCHIAM promittant.* Atverò, qvomodo his omnibus occurrendum sit, cum è Schediasmate, qvod NIC. MARTINI, Polit. in Academ. Kilon. Prof. sub Tit. *Libertas Aqvilæ triumfantis, de jure, qvod in Imperium Regi Galliarum competit nullum*, scripsit, nuperisqve AUBERII impugnationibus opposuit; tùm ex Anonymi de LIBERTATE OMNIMODA Dissertatione patet: utpote cui insertæ prætensionum Auberianarum destructio habetur: qvas qvidem injussu Regis Christianissimi scriptas fuisse, Autor ibidem optimè deducit.

## LXXXII.

### *Qvod nostri interim Imperii Membrum peculiariter totum sibi transcribit Galliæ?*

Transcribit hodie sibi Gallus, imò & vi Imperio ereptam, non obstante vel jure Imperii, vel contradictione Caroli Jun. qvi Francisci Fratris Caroli Senioris filius, universam Lotharing. tenet. Qvæ ipsa qvidem, etiamsi jus de non appellando habeat, licet & à contributionum Imp. onere sit libera, diu tamen Membrum fuit Imperii. Qvid? qvod & pro hodierno Membro Imp. nonnulli graviter ap. *Speidel. verb.* Lotharingus, concludant.

## LXXXIII.

### *Ex qvo jure universam sibi Lotharingiam transcribit hodie Gallus?*

Hoc facit è prætenso jure *contractus*. Postqvam enim Carolus, Dux Lotharingiæ, in superiori Bello ab Hispanis captus, eâ Lege in *Pacificatione* libertatem impetraverat, ut *Gallus omnia ipsi restitueret, Urbs Nancy autem qvôad munimenta solo æqvaretur*, ipse tamen deinceps sive vi, sive persvasionibus, universum jus transtulit his in Regem Galliæ conditionibus: *ut certæ pecuniæ summa qvotannis sibi penderetur, & una Urbs Marsal in devotione suâ permaneret: præterea etiam ut Familia Lotharing. Principp. Sangvinis annumeraretur.*

LXXXIV.

### LXXXIV.

### *Contractus hic PUBLICISTIS qvalis esse videtur?*

Si dicendum, qvod res est: hic ipse *contractus, è qvo sibi Lotharingiam transcribit Gallus, PUBLICISTIS iniqvus esse videtur. Vergit* enim (1) *in magnum Imperio nostro præjudicium, eiq; est nocivus.* Imperii certè Feudum Lotharingiam esse, nemo negitare potest: indeqve nec Carolo Feudum hoc alienandi jus erat. Et qvamvis transeant cum onere Feuda: multùm tamen Imperii interest, qvis ea possideat. Deinde & idem contractus non æqvus esse videtur *PUBLICISTIS: qvia proximiores agnati in hunc usq; diem nondum consenserunt.* Contradixit sanè huic contractui *Carolus* Jun. Francisci Fratris. Caroli contrahentis filius, & ob hanc caussam tùm Papæ, tùm Italorum Principum, tùm præcipuè Imperatoris opem imploravit. Sic ergò *Lotharingia non omninò de re Caroli Sen. fuit.* Non enim pleno jure eam possedit. Jus siqvidem qvæsitum agnati proximi habent: qvibus invitis res non potest alienari. Ne dicam, qvod remotiores agnati proximioribus præjudicare non possint.

### LXXXV.

### *Atenim qvid incrementi de Imperii nostri Feudis meliori jure Regno accessit Galliæ?*

Per *Instrumentum Pacis Osnabrug. ALSATIA,*

&,

&,totius Rheni firmissimum Propugnaculum, *BRISACUM cum jure præsidii in Arce Philippsburgensi alendi*, Regno accessit Galliæ. Ita autem Alsatia Regno accessit Galliæ: *ut desierit esse Feudum Imperii*. Nam in plenariam possessionem Regis Galliæ cum consensu partium utrinqve liberô, omni prætensionis jure abdicatô per Instrum. Pacis, abiit.

## LXXXVI.

### *Qvinam, rebus sic satis feliciter Galliæ stantibus, hostes, ut olim, ita hodienum sunt Gallorum?*

*Hostes Gallorum* sunt *ANGLI*, nec tamen ullo naturali à Gallis diffidentes odiô, ut vult *HORNIUS*. Non enim tantoperè Gallorum ab Anglorum moribus discrepant mores. Undè dicendum, *è diuturnô potius & inveteratô odiô, è caussâ belli ortô, inimicitias istas qvodammodò transiisse in naturam.* Olim fuêre *BURGUNDI*, ac illi *domestici* potius, qvàm *externi*. Duces namqve Burgundiæ ex ipsa Regum Galliæ familia originem ducebant: sed mox atrocissimæ factiones inter domum Burgund. & Aurelianensem exortæ fuêre: qvæ nonnisi sangvine & morte utrorumq; componi poterant. Qvippe *Johannes Intrepidus*, Dux Burgundiæ, *Ludovicum Ducem Aurelian.* Parisiis in mediâ civitate jusserat obtruncari, & factum insuper velut legitimum defendit. Aurelianenses verò non antè qvieverunt, qvàm Johannem Intrepidum iterum contra datam

fidem obtruncâſſent. Ita cædes cæde fuit compenſata. Sed illa utriusqve ſangvinis vindicta, hodieqve perdurans inter Gallos ac Burgundos: non inter propriè dictos eſt Burgundos (hi enim continentur Ducatu Burgundiæ, ſuntqve Galliæ ſubditi) ſed inter Gallos & Provincias Burgundiæ acceſſorias. Infenſiſſimi interim omnium hoſtes ſunt *HISPANI*. Ludovicus qvippe XI. Rex Galliæ non ante qvievit, qvàm Familiam Burgundicam, nomini Gall. adeò infenſam & formidabilem, penitùs deleviſſet. Factum hoc videbatur *Anno 1477*. qvum *Carolus Audax*, Dux Burgund. ap. Nancejum in Lotharing. ab Helvet. occiſus fuit, nullâ prole maſculâ relictâ. Atverò fefellit hoc in caſu omnis humana *Ludovicum XI.* ſapientia, ſicut ap. *COMIN.* prolixiùs eſt legere. Nam *Maria* Maximiliano Archi-Duci Auſtriæ nupſit, atqve ſic omnem potentiam Burgundicam cum Domo conjunxit Auſtriacâ: qvæ deinceps conjugio Philippi I. Regis Hiſpan Regnis fuit innexa: ita qvidem, ut Rex Hiſp. hodiè, tanqvam Dux Burgundiæ & Princeps Belg. antiqva illa odia Burgundica, contra Gallos longè majoribus viribus continuet: qvæ qvidem licet interdum brevi pace componantur, vix tamen pax illa diuturna eſſe poteſt.

## LXXXVII.

*Inimicitas Anglorum qvod attinet: ad qvemnam qvæſo Annum*

*Chri-*

*Christi harum originem rejicis?*

*Rejicio ad A. C. 1327.* ubi Eduardus III. cum Philippo Valesio de Regno concertavit. Atqve hinc tam cruenta prælia orta, præcipuè Anno 1340. ut Galli 300. Naves & 30000. milites amiserint. Cætera taceo prælia: qvæ ipsa, satis cruenta ac diuturna Gallis, mutua inter utramqve gentem peperêre odia.

LXXXVIII.

*Qvæ Religio tandem est Gallorum?*

*Maxima Gallorum pars Catholicam profitetetur Religionem.* Clero tamen Gallicano non benè cum Jesuitis, nec Jesuitis cum *Sorbonistis* convenit. *Sorbonistæ* enim contra Jesuitas *Papæ infallibilitatem* oppugnant. Plurimi etiam in Gallia sunt *Reformati, HUGONOTARUM* nomine comprehensi. Atverò his omne robur, præprimis ubi *Tourennius*, unum Hugonotarum Caput, in Romanensium castra descendit, in Gallico Regno hodie est ademptum.

LXXXIX.

*Qvos SORBONISTARUM nomine in hoc Capitis calce intelligis?*

Intelligo eorum nomine *Lutetianæ*, qvæ, Autore *LANSIO*, non Galliæ modò, sed totius Orbis Regina omniumqve Europæarum Academiarum Mater, ex *Artium, Theologiæ, Juris Canon. & Medicinæ Facultate* compo-

ſita, inqve IV. Nationes, *Gallicam*, *Picardicam*, *Normannicam* & *Germanicam*, diviſa, *Academiæ Theologos*. Ita namqve hi à *SORBONA*, Theologicô ejusdem Academiæ Collegiô, dici meruêre. Illud ipſum autem Collegium hoc, qvicqvid eſt nominis, à *Roberto de Sorbona*, familiari D. Ludovici Regis Theologo, jam olim obtinuit: qvippe qvi ſeſe Paparum, in Gallicanæ Eccleſiæ ac libertatis Chriſtianæ præjudicium multa novantium, machinationibus maſculè oppoſuerat. Unde & hodienum in Sorbonâ ad Doctoris Theologiæ gradum nemini acceſſus patet, niſi juramentô affirmârit: *ſe Papam infra Concilium agnoſcere.*

# CAPUT IV.
## *DE* REGNO BRITANNICO.
### EROTEMA I.
### *Regnum Britannicum, qvod & M. Britanniæ Regnum audit, unde ſic dicitur?*

Dicitur ita ab indigenis ſuis, nempe à *Britannis*, à *Brit*, qvod *coloratum* ſignificat, olim dictis. Colore enim ſe cœruleo inficiebant: ut terribiliores eſſent hoſtibus. Poſtea dicta fuit

fuit Insula, qvæ diu à Britannis *Britannia* dici meruerat, Anglia, ab *Anglo-Saxonibus, German. nostræ populis:* qvi maximam hujus Insulæ partem armis conqvisiverant. *Anglorum* certè nomen ap. *TACITUM Libello de Germ. Moribus:* ac numerantur illi ibidem inter Germ. populos Qvantum autem è *Tacito* & *Ptolomæo*, qvi vixêre Seculô II. liqvet, Angli videntur vixisse in Ducatu Mechlenburg. unde qvidem, patriâ sede pulsi, in Regiones Septentrionales, & in Ducatum Slesvicensem primùm, migrarunt. In hoc Ducatu hodie Regio superest, qvæ Angeln vocatur. Ipsi Angli deinde *Saxonibus* juncti commigrarunt in M. Britanniam, omnemq; terrã, qvam Britanni hactenus tenuerant, ut sui juris, ita & sui nominis fecêre: ut posthac diceretur *Anglia*.

## II.

## *Qvando verò, unde & cur MAGNÆ BRITANNIÆ dici cœpit Regnum?*

Regnum M. BRITANNIÆ dici cœpit: *qvum post obitum Elisabethæ, Reginæ Angliæ, circa annum nempe IV. hujus Seculi, Scotia uniri Angliæ inciperet, ut unus Rex esset.* Qvæ ipsa tamen Regna proprios antehac, & planè à se distinctos, habuerant Reges. Nempe qvum, Regiâ Angliæ familiâ extinctâ, proximus hæres Jacobus, Rex Scotiæ, rerum per Angliam universam potitus jamjam esset, plurimum laboravit: ut non tantùm consensu utriusqve populi duo hæc

Regna, *Angliæ* ac *Scotiæ*, planè in unum corpus coalescerent; sed & ob arctissimam horum duorum magnorum Regnorum conjunctionem nomen *Angliæ* ac *Scotiæ* extingveretur, inqve unum commune MAGNÆ BRITANNIÆ nomen, publicô Parlamenti decretô, abiret. Atqve sic qvidem geminum *Angliæ* & *Scotiæ* nomen in unum abiit nomen, ipsumq; hodienum obtinet. Sed qvantumvis maximè de unione hac laboraret Jacobus, neutiqvam tamen consensum populi impetrare potuit. Nec enim *Angli*, nec *Scoti* voluêre consentire: sed utriq; voluerunt habere instituta propria: voluerunt & ipsi propria censeri Regna.

III.

*Qvot ergo & qvænam Regna hodie maximè sub MAGNÆ BRITANIÆ nomine continentur?*

Sub *MAGNÆ BRITANNIÆ* nomine Regna maximè duo illa jamjam memorata, *Angliæ* nempe & *Scotiæ*, ut distincta tamen, & à se invicem sub uno communi nomine æqvè ac sub uno summo Capite divisa, continentur. Etenim, qvum irriti jam *Jacobi* facti essent conatus, de qvibus qvidem pro parte Regiâ *Librum doctissimum* magni nominis JCtus, *ALBERICUS GENTILIS*, natione Italus, sed Patriâ ob Religionem profugus, ediderat, *de unione ibidem duorum Regnorum pro Rege laborans, & ex re esse persvadens, ut utriusq; Regni nomen in unum MAGNÆ BRITANNIÆ*

*NIÆ nomen coalesceret*; manserunt omninò ut distincta sub uno communi nomine unoq; Rege Scotia & Anglia Europæ Regna. Unde etiam distinctè de *Regno Angliæ*, & deinceps etiam de *Regno Scotiæ* est disserendum. Sunt enim & manent in hunc usqve diem diversissimæ Respubl. qvamvis sub uno sint Capite.

IV.

*Annon & præter duo illa Regna aliud adhuc M. Britanniæ Rex tenet Regnum?*

Tenet & ipse, præter illud Angliæ ac Scotiæ Regnum, *Regnum Hiberniæ*. Sic enim disertè semper in Tit. ponitur: *Car. Magnæ Britann. Franciæ & Hiberniæ Rex.* Primus autem Monarcha trium Insularum, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, *Jacobus VI.* fuit, ditione sua, ut diversa tamen Regna, eas complexus.

V.

*Enarra mihi nunc qvæso M. Britanniæ in qvodam qvasi Compendio Historiam?*

Rectè hoc cupis: ut compendiosè Tibi *totam M. Britanniæ Historiam* enarrem. Est enim ea valdè mirabilis, mirabilemq; Dei providentiam ac curam, ut in aliorum, ita & in hujus Regni variis mutationibus prodit. En autem Tibi *Britannicam* CL. *HORNII* Verbis *Historiam: Britanniam post Romanos occu-*

*parunt Anglo-Saxones, eamq; in VII. diviserunt Regna, quæ in unum Angliæ nomen & imperium A.C.800. coaluerunt.* Ita Britannicas Insulas tres tum Reges obtinebant, Anglorum, Scotorum & Hibernorū. Cum Anglo-Saxonibus regnarunt in Anglia Dani, potiorem, non omnem, partem obtinentes. Post hos Normanni ex Gall. eam expugnarunt, per Gvilhelmum Conquestorem A. C. 1066. Quorum linea & successio hodieq; durat. Sub Henrico II. A. C. 1172. expugnata fuit ab Anglis Hibernia, atque ab eo tempore extincta fuit Regum Hibernorum series. Sub Eduardo III. A. C. 1336. exarsit acre illud & longum inter Gallos & Anglos bellum: quippe Eduardus III. jure materno arrogabat sibi Regnum Franciæ. Contra Philippus Valesius de Lege Salica, quâ fœminæ à Regno excluduntur, tuebatur. Graves deindè controversiæ & bella civilia ipsos Anglos exagitarunt. Quippè duæ Familiæ, Eboracensis & Lancastrensis, quæ etiam vocabantur Rosa alba & Rosa Rubra, pro Regno certârunt. Ac primò quidem Lancastrenses Regnum obtinuerunt, sub tribus ordine Regibus, Henricus IV. V. VI, quibus per vim successerunt Eboracenses A. C. 1460. sub duobus Regibus Eduardo IV. & Richardo III. quo ultimo in prælio interfecto, Regnum rediit ad Familiam Lancastrensem, ac bella illa civilia conjugio Henrici VII. cum Elisabetha, Eduardi IV. filia, extincta fuerunt, ac duæ illæ Familiæ, seu Rosa Alba & Rosa Rubra, coaluerunt. Henrico VII. successit Henricus VIII. qui jugum Papæ Romani primus excussit, ac omnia Mona-

ste-

*steria per Angliam destruxit. Post hunc regnavit Eduardus* VI. *qvi Religionem reformavit: sed intra juventam præmaturâ morte sublatus successores reliqvit duas Sorores, Mariam & Elisabetham. Maria Regnum denuò subjecit Papæ Romano: sed Elisabetha ejus obseqvio iterum valedixit. Atqve post hujus qvidem fata Regnum jure cognationis ad Jacobum* VI. *Regem Scotorum, A. C. 1603. pervenit: qvi primus Monarcha Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ fuit factus, ac omnes tres Insulas uno Imperio complexus. Unde abolitis antiqvis nominibus Angliam ac Scotiam vocari voluit MAGNAM BRITANNIAM. Sub ejus filio Carolo* I. *exorta fuerunt bella civilia, qvorum is fuit exitus, ut aboliti Regni nomine Rempublicam constituerent. Sed neqve illa diu placuit. Itaq; tandem Carolum* II. *ab exilio revocarunt, ac omnia in antiqvum statum restituerunt.*

## VI.

## *Qvæ e dictis Sectiones Capitis emergunt?*

Emergunt ex iis, qvæ de tribus, *Angliæ, Scotiæ & Hibern.* uno imperio M. Britanniæ Regis contentis, diversis tamen Regnis, dixi, *tres distinctæ SECT* ita ut prior sit de *ANGLIA*; altera de *SCOTIA*; tertia de *HIBERNIA.*

# SECTIO I.
## DE
# ANGLIA.

### Erotema I.
### *Anglia Terrane continens est, an Insula?*

INsula est *triqvetra, si exiguam excipias partem, qvâ conjungitur cum & Scotia.* Undè & à nemine terrestri qvidem itinere peti potest, nisi à solis Scotis: qvi qvum viribus Anglis multùm sint inferiores, apparet *Angl.* hâc parte *satis esse tutam.* Interim à Scotia est Tuedâ & Salvejô fluminibus divisa, habetqve in *longitudine* mill. Germ. 80. *in latitudine* mill. circiter 60.

### II.
### *Anne & ejus memoria in prisco reperitur ævo?*

*Reperitur memoria ejus jam ap. ipsos Scriptores Græcos:* ut appareat, eandem Insulam fuisse commerciis ap. Carthaginenses, qvi in Africa rerum potiti, notam: non tamen *Angliæ,* sed alio atqve alio nomine cognita fuit. Cæterùm *Romanis demum ex eo tempore cœpit esse cognita: qvo Julius Cæsar universam domuit Galliam, eamq; in Provinciam redegit.* Ille namqve, qvum non contentus esset Galliam domuisse, haud dubitavit bis trajicere in Angliam: qvæ tum dicebatur *Britannia.* Nec tamen magnas ibi res gessit. Interim verò primus omni-

omnium Romanorum excurrit in *Britanniam*. Ulterius progressi sunt Romani sub *Cæsare Claudio*: & qvidem auspiciis hujus *Julius Agricola*, præclarus Eqves Rom. belliq; insuper Dux universam domuit Britann. *Agricolæ*, hujus *vitam* à *TACITO* descriptam habemus: *in qva res gestas Agricolæ perseqvitur, & qvemadmodum Britanniam felicissimè subjugârit, fideliter recenset.* Mansit autem ad hunc modum *Britannia Major* sub Rom. Imp. usq; ad Theodosiii II. tempora: utpote circa qvæ penitus à Rom. Britannia fuit relicta.

III.

*Qvot Regni igitur Anglici periodos numerant?*

Numerant maximè fatales Periodos Regni Anglici V. Prima Periodus *Britannica* est, à veteri qvodam Bruto usqve ad Cæsarem, procul tamen dubio multis fabulis referta. Altera est *Romana*, à Cæsare usqve ad Constantinum M. qva Britannia magnam partem (Cambria enim mansit intacta) in Rom. potestate fuit: sed nudata primùm sub Constiano M. milite; mox plane relicta: qvum Rom. impares fierent, qvi se ipsos amplius defenderent. Tertia est *Saxonica*. Qvum enim à Pictis Scotisq; summopere Britanni divexarentur, illi Anglos & Saxones è Germ. in auxilium vocarunt: qvi ducibus Hengisto & Horsa, ex antiqva Wodani stirpe oriundis, mox advenerunt, &, rebus ad Scotos præclare gestis, sibi ipsis sedem in

Britannia fixerunt. Orta inde celebris in Angl. regno Heptarchia Regum Anglo-Saxonum, indeqve & est affinitas Lingvæ Angl. cum nostra German. Qvarta est *Danica*, ea qvidem non adeò diuturna, sed rebus tamen gestis admodum celebris. Qvinta *Normannica*, à Wilhelmo Conqvestore cœpta: qvem Eduardus Confessor successorem suum constituerat.

IV.

*Post totidem verò fatales Regni Anglici Periodos, qvomodo Anglia dividi cœpit?*

Dividi demum in *VValliam* & *Loëgriam*, atq; hæc iterum in *superiorē* & *inferiorem* subdividi cœpit. In superiore XVI. in inferiore XXII. sunt Provinciæ. *VVallia* Primogenito Regis est subjecta, habetq; Provincias XIII. Adjecit autem Walliæ Principatum Angliæ Eduard. I. & fuso Leolinno Walliæ Principe, Eduardum II. filium Principem Walliæ designavit. Indeq; Tit. ille filiis Regum Angliæ natu maximis cessit, ut qvilibet eorum integrô Tit. audiret: *Princeps VValliæ, Dux Cornubiæ, Comes Cestriæ & Flintæ.*

V.

*Qvot portus Anglia habet?*

*Portus habet non bene multos: qvâ parte German. & Galliam respicit. Ab altera etiam parte, qvâ respicit Hiberniam, paucos habet portus.* Non facilè igitur Anglis impetus hostilis est metuendus. Qvi enim Classe

An-

Angliam vult aggredi, non facile portum invenit: ubi tutò descendere posſit in terram. Ipſo interim nomine in Anglia celebres ſunt *Qvinqveportus*, vulgò *the Cinqve ports*, loca in Cantio & Suſſexia, ad Fretum Britann. ſita, & numero qvidem qvinario plura: qvod tamen initio totidem tantummodò eſſent, eodem adhuc comprehenſa. Sunt & alii cum in Orientali plaga, tum in meridionali latere portus, qvorum prolixa ſeries exponitur *Diar. Europ. Contin. VI. p.319.* ſeqq.

VI.

## *Qvos celebriores habet fluvios?*

Angliæ fluvii majores ſunt *Tamiſis*, à confluxu fluminum *Tamæ* & *Iſis* dictus, die Temß/ & *Sabrina*, the *Severn*, qvi in Occidentem labitur.

VII.

## *In fluvio Tamiſis qvid maximè eſt ſenſibile?*

*Æſtus varius*, h. e. *fluxus & refluxus marinus, in hoc fluvio eſt ſenſibilis*: de qvo qvidem peculiarem *Tractatum Phyſico-Mathemat.* ſcripſit, & *Antverpiæ Anno 1665.* edidit *THEODORUS MORETUS*, pro fundamento & principio Diſcurſus ſui ponens: *Lunam eſſe motricem æſtuum.* Ita enim ab omnibus, excepto uno aut altero, ſupponi viderat. Ne verò qvis dicat, ſupponi id, qvod qværitur, ille dicit: ſe habere qvædam Inductionis pro Lunâ Argumen-

ta & Rationes, qvas vocant, credibilitatis. *Inductio* ergò *ſuppoſiti* ap. *MORETUM prima* eſt: *qvia intervalla Æſtuum marin. ex adverſo adaeqvatè reſpondent intervallis motuum Lunæ. Alteram Inductionem* ap.eundem *MORETUM Æſtus marini menſtrui afferunt*: qvi tunc majores ſunt, qvando Luna ſuo lumine potentius agit in noſtrum Terraqveum Globum. *Tertiam & univerſalem Inductionem facere*, ait *MORETUS*, *omnia propè ſublunaria*: qvorum ea præſertim, qvæ vitam aliqvam ſortita ſunt, humoribus augentur, ac cum Luna ad Plenilunium, & præſertim ſimul ad Meridianum, accedente intumeſcunt.

## VIII.

## *Cur verò Londini in eodem fluvio tunc maxima Maris intumeſcentia accidit, qvando Luna in Qvadrantis Auſtro-Zephyrea parte eſt conſtituta?*

Reſpondet *ATHANAS. KIRCH.* L. III. *Mundi Subterran. c.5. Diſqviſ.* IV. ac dicit: *Qvum Luna in Auſtralibus ſignis conſtituta ab Oceano German. qvàm ut eum radiis ſuis attingat, ſit remotior: hinc fit, ut per ambages id præſtet, qvod rectis aut obliqvis radiis non poteſt. Mox enim ac Luna Meridianum Londinenſem attigerit, tum ſimul etiam Londini in Tameſi Mare creſcere incipit; hoc autem initium incrementi* creſce-

*non provenit à Lunari virtute immediatè, quâ Mare Germanicum premitur, sed per Oceani reverberationem quandam, ex litoribus factam, ut sequitur: siquidem Luna in Meridiano per Londinum transeunte constituta, dum virtute sibi propria subditum sibi Oceanum Indicum normaliter premit, hic pressus & sensim intumescens, perq; Æthiopicum Oceanum longè lateq; diffusus, quum ad Americæ Borealis littora exitum non inveniat, is mox repercussus exindè, duplici via aditum sibi in Germanicum pandit Oceanum; primò ex Occasu in Ortum per Mare, Angliam inter & Franciam constitutum: secundò per Oceanum Septentrionalem circa Scotiam circulatus: ubi ad Norvegiæ littora appulsus, repulsusq; inde, dum se in Germanicum Mare violentius insinuat; interim prior Oceani pars per Anglicum sive Britannicum Mare, faucesq; Ictias irruens, dum longè lateq; pariter se in omnes Germanici Maris plagas explicat, fit, ut, utriusq; Oceani fluctibus concurrentibus, ingens lucta in Mari nascatur: & uti inferius Mare superius superare nequit, ita illud, Borealis Oceani pondere pressum, quâ data porta fugiens, rectà obvio sese Tamesis ostio committit: undè paullatim aqua usq; ad maximum incrementum exuberat: quod fit hora circiter tertia post Meridiem, Lunâ in plaga Austro-Zephyrea constitutâ: & statim cessante Oceani fluctuatione, unà etiam paulatim aqua fluminis decrescere videtur.*

## IX.

### *Cur contrà, Lunâ in Borealibus Signis & Euro-Boreâ plagâ constitutâ, Tamisis maximum tribus horis anticipat incrementum?*

Idem ibidem respondet *KIRCH.* hoc vel ideò fieri: *qvòd Luna tunc, Oceano Germ. proxima, ut supereminet, ita virtute suâ id potentius qvoq; feriat. Undè Lunâ oriente Mare paullatim pressum, mox intumesere incipit, dumq; liberum in faucibus exitum non reperit, hinc aqva ad ostium fluminis conglobata intrà tres horas summam intumescentiam Maris efficit: qvod aliàs si liberum in patenti mari exitum reperiret, intra sex horarum spatium contingeret, uti in reliqvis litoribus Angliæ.* Sic itaqve Luna, in Euro-Boreâ plagâ constituta, ob dictas caussas tribus anticipat horis incrementum. Interea Oceanus Atlanticus ad Amer. appulsus retropulsusqve, uti per Britannicum Mare ruens, aversum à se Tamisis ostium reperit; ita illud præteriens, vel in Boreales vel in Ortivos Maris tractus diffusum, unà secum tumidas, in ostio dicto stabulantes, aqvas rapiens, abducit. Undè & decrementum ab horâ IX. usqve ad XII. & ultrà contingit.

## X.

### Redeo ad rem, inqve reditu hoc meo ex Te qværo: *qvæ soli Anglici sit bonitas?*

Qvod

Qvod ipſam *terram* Angliæ attinet, *illa eſt fœcundisſima, eſt & fertilisſima.* Omnis enim generis fruges profert: vitem tamen & oleam non fert. Aër eſt craſſior: ſolum qvoqve ibi humidum, nec tanto calore, qvanto Gall. æſtuans. Metallorum qvoqve ferax eſt, magnas hodiè, cumprimis ſtanni, habens divitias: ita ut nullibi terrarum tam nobile ſit ſtannum, qvàm in Anglia. Imprimis lanâ optimâ hæc terra abundat: unde pretioſiſſimi panni conficiuntur, maximæqve divitiæ Anglis ex illis accedunt. Eqvis qvoqve, maximâ ex parte caſtratis, Anglia gaudet, ut laborum ſint tolerantiores. Qvid de canibus dicam? Superant enim Moloſſi Anglici magnitudine ſuâ omnes reliqvos Europæos canes. Venenata tamen & noxia animalia ac lupos nullos terra hæc habet.

XI.

*Mare Britannicum qvò genere piſcium maximè abundat?*

*Abundat maximè halecibus:* ita qvidem, ut nuſqvam terrarum ea abundantia ac præſtantia halecum reperiatur, qvàm in Mari Britann. Ideoqve etiam Batavi, qvi halecum piſcationi incumbunt, nuſpiam eam vim halecum ſolent capere, qvàm in Mari Anglico.

XII.

*Qvæ nobilis Controverſia in tanta hac halecum abundantia ac præſtantia agitari cœpit?*

Cœpit

Cœpit inter Eruditos controverti, *an mare capax ſit dominii, eoq́ proprium fieri poſſit?* Nominatim autem Batav. inter & Anglos de jure piſcationis diu agitata eſt controverſia. Angli enim, ubi viderunt, qvantum lucri illa halecum in Mari Britannico præſtet piſcatio, Batavos ab antiqva poſſeſſione & piſcationibus arcere ſæpe conati ſunt: eò qvod piſcatio iſthæc in Mari Britannico intra limites Regni Angl. fieret. Batavi non negarunt hoc, ſed repoſuerunt tamen: qvòd jam centum annis piſcationem illam exercuiſſent: Indeqve noluerunt ſe expelli, ſibiqve jus piſcandi eripi, qvod tamdiu habuerant. Eapropter notisſima Eruditis in hac Controv. Scripta ſunt *JOH. SELDENI* pro *Iemperio Maris* cum Tit. *Mare clauſum*, & *GROTII* pro *libertate ejus* cum Inſcript. *Mare liberum.* Partem affirmantem rationes juvant hæ: qvòd (1.) omnia illa, qvæ uſum præbent, qvibusve, ſi negligantur, detrimentum nobis accedit, proprietatis capacia ſint: (2) qvia partes Maris, ut freta, ſinus, &c. propria fieri qveunt, non aliam ob cauſſam, qvam qvia uſum piſcandi accolis præſtant, ſimulve monimenti loco ſunt contra hoſtiles impetus. Atqve hæc omnino controverſia toties in cruenta bella abiit, qvoties moveri cœpit, Belgis *libertatem Maris*; Anglis *proprietatem* aſſerentibus: utpote qvi ægrè ferunt, ſuas è vicino mari divitias in Belgium pertrahi.

XIII.

*Cæterùm Angliæ incolæ qvàm ſunt numeroſi?*

Qvod numerum hominum attinet, Anglia certè non abundat tantùm omnis generis hominibus; verùm etiam *maximo incolarum numero* haut deſtituitur: ita qvidem, ut hac in parte Anglia qvodammodò videri poſſit ipſi prævalere Galliæ, licet hæc longè ſit amplior. Tantum igitur abeſt: ut paucitate incolarum laboret Anglia: ut potius ejus incolæ qvàm maximè ſint numeroſi.

XIV.

*Qvo habitu ſunt corporis?*

Sunt *corpore egregio præditi: nec reperies Anglum facilè non egregio ſatis robore corporis præditum*: qvod utrumqve ſalubritati aëris Medici adſcribunt. Ubi enim corpore ſunt ſano & benè conſtituto, neceſſe eſt, ut ibi etiam ſalubris ſit aër & optima victus ratio. Sic & Angli corpore non ſunt deformes: & cumprimis formâ eleganti ſexus eſt ſeqvior.

XV.

*Cujus ſunt indolis?*

*Indoles Populi Anglicani* ea eſt: *qvæ omnibus rebus ad vitam neceſſariis apta nata*: modò

benè

benè habeatur, & inftituatur à Regibus fuis. Habile autem ingenium Anglorum ad omnia effe, indicant varia Anglorum ftudia, pro diverfa ratione Regum. Prout enim Angli habuerunt Reges vel bellicofos, vel artibus pacis deditos, ita etiam illi fe habuêre. Qvanqvam igitur delicatiùs domi educentur Angli, laborum tamen tolerantisfimi evadunt, fi externæ militiæ adfvefcant. Næ *Eduardus* III. milite Anglicano magna edidit facinora, & Regem Gall. *Johannem* cepit. Contra ea verò *Jacobi* temporibus, qvi à bellicis artibus erat alieniffimus, populus qvoqve effœminari incipiebat: adeoqve ipfa generofitas animi in illo valdè emolliebatur.

XVI.

*Cujus rei ftudiô qvàm maximè feruntur?*

*Studio qvàm maximè feruntur rei nauticæ.* Ex eo enim tempore, qvô huic rei cœpêre dare operam Angli, adeò ftudiofus ejusdem rei populus cœpit effe, ut non alibi temerè reperias populum, qvi Anglos ftudio rei nauticæ fuperet: Batavi qvidem Anglos in ftudio rei nauticæ æqvant, non tamen fuperant.

XVII.

*Anne verò fatis antiqvum hoc rei nauticæ ftudium eft ap. Anglos?*

*Non adeò antiqvum* eft: *fed cœpit demum prudentiâ Henrici* VII. Is qvippe qvum belli & pacis artibus qvàm maximè valeret, Anglos, qvi

qvi pecuniam ad uſuram dederant, eam redimere, indeqve naves extruere, populum verò agreſtem naves conſcendere juſſit. Ita ſcil. populus agreſtis factus eſt nauticus: breviqve temporis ſpatio plurimæ naves ſunt confectæ. Qvumqve populus, antehac pauper, factus eſſet dives, ſtatim ex eo tempore nautarum crevit numerus. Reliqvi enim ſponte reliqverunt agros: qvum majores fructus capere poſſent è re nauticâ. Ne verò agri in ſolitudinem verterentur, idem Rex juſſit, ut oves magno numero per univerſum Regnum in agris paſcerentur. Loca enim ſterilia apta erant paſcendis ovibus. Ita Anglia cœpit abundare ovium copia & commerciis nauticis.

XVIII.

*Qvid potisſimùm inſtituunt hodiè Angli?*

Anglia qvum abundet navibus, rebusqve nauticis ſit aptisſima, indeqve & inſtituendis apta commerciis: *Angli* hodiè *commercia potisſimùm inſtituunt, & qvidem per univerſum propè Orbem: ita ut non multùm inferiores ſint Batavis.* Inſtituunt ſcil. Angli commercia non tantùm in Europa; ſed & per omnes reliqvas Orbis terrarum partes.

XIX.

*Qvô opificiorum genere maximè celebres ſunt Angli?*

Etiamſi omnis generis opificia excolantur ab Anglis, ita ut Anglia non careat opificiis, niſi paucis: maximè tamen illi *optimorum pan-*

*pannorum confectione sunt celebres.* Observandum autem, confectionem istam pannorum demum, fugientibus istuc Flandris, cœpisse. Hi siqvidem primi in Europa nostra elegantiores pannos confecêre: & deindè, pulsi in Angliam, conficiendorum pannorum artificium eò intulerunt. Idqve deinceps opificium propter lanæ bonitatem miris modis in Anglia crevit.

## XX.

## *Qvantæ Anglis è commerciis præcipuè & pannificiis accedunt divitiæ?*

*Maximæ* indè illis *divitiæ accedunt*: imò & privatorum tantæ in Anglia sunt divitiæ: ut opulenti cives ad Comitum interdum dignitatem evehantur. Auget autem non parum divitias Angliæ hoc: qvòd aurum & argentum è Regno isto exportare sit prohibitum. Sic igitur non mirum est: cur, etiamsi aurum & argentum in Angliâ tantâ in copiâ non effodiatur, magnam tamen ejus ibi copiam semper deprehendere liceat.

## XXI.

## *Qvantæ Anglorum vires?*

Qvantis Angli valeant viribus, vel indè colligi potest: qvòd, qvum *Anno 1588.* ab Hispanorum sibi Classe metueret Anglia, exercitum illa ferè 100000. militum habuerit. *Classe* etiam tantum valent Angli: ut nullus eos in

Orbe Princeps hâc in re ſuperare videatur. Claſſe qvippe 100. & amplius navium bellicarum eos educere poſſe, ambigendum non eſt: qvum materiam ad fabricandas naves habeant optimam, optimosqve & habeant artifices: qvodqve Anglia non habet, Irrlandia ſuppeditat. Multùm tamen attrivit Anglorum vires magnum incendium: qvô ante paucos annos 12000. ædes abſumptæ: atterunt & eas ſumptus, in bella Hollandica facti.

XXII.

*Qvi Mores?*

*Rebus ſecundis* Angli ſolent eſſe *molliores*, *inq; omnem partem intemperantiores. Rebus* contra *arctis*, ſi Regis qvoqve acceſſerint ſtudia, *tum temperanter & ſatis benè vivunt*. Populus aliàs eſt *fortis aptusq; ferendis malis qvamplurimis*: qvod & ipſum è ſtudio maximè rei nauticæ apparet. Qvantum ad *Virtutes intellectuales*, omninò laudatiſſima gentis hujus ſunt ingenia, ad frugem pervenientia, eximium ſibi aliqvid pulcrumqve καὶ ἔνθεον, qvo aliqvarum gentium indolem & ἀγχίνοιαν multis paraſangis & regio veluti cubito antecellunt.

XXIII.

*Qvalia igitur illorum Studia?*

*Studia certè Anglorum* ſunt *florentiſſima*. Ipſi enim præ reliqvis univerſæ Europæ populis adeò dediti ſunt ſapientiæ excolendo ſtudio: ut nusqvā terrarū reperiantur ea Studioſorum ſapientiæ adminicula, qvàm in Anglia.

Viden-

Videntur qvidem interdum ſemetipſos mirari, qvum multùm ſapiant : interdum & ipſi cum novitatibus ſuis ante omnes ædes pipulo differendi videntur : qvippe qvi, omnis generis novitatibus dediti, vetera ſpernunt, & ne qvidem ea legunt. Hoc tamen meritò laudaveris in ipſis : *qvòd in experiendis rebus naturalibus multùm valeant.* Hâc ſcil. parte pleroſqve Europæos ſuperant, eaqve laus meritò ipſis præ cæteris debetur. *Nec* enim *in Anglia Nobiles, nec Barones, nec & Comites alieni à ſcrutinio ſunt naturæ.* Exemplo heic nobis, ſi qvi alii, præ aliis præcipuè Duumviri raræ Bruditionis, *FR. BACO, Baro de Verulamio, Vice-Comes S. Albani, ſummusq́ Angliæ ſub Jacobo Cancellarius, & Robertus BOYLE, Nobilis Anglus,* eſſe poſſunt. *ILLIUS* qvippe Scripta *de naturali & univerſali Philoſophiâ, Sylva Sylvarum* ſ. *Hiſtoria Naturalis, Hiſtoria ventorum, Hiſtoria vitæ & mortis, Paraſceve* item *ad Hiſtoriam naturalem* & *experimentalem*, præter *Opera Moralia, Politica* & *Hiſtorica*, unicô Volumine hodiè extant; *HUJUS* verò, vel præcipui è *SOCIETATE REGIA, Tractatus de Coſmicis rerum qvalitatibus, de Coſmicis ſuſpicionibus, de Region. ſubterran.* & *ſubmarinarum temperie, de fundo Maris; Tractatus* item *de abſoluta qviete in corporibus*; alii deniq; *Tractatus*, ( in qvibus ſcil. (1) *mira aeris, etiã citra calorem rarefacti, detectio*, (2) *nova circa durationem virtutis elaſticæ aëris expanſi obſervata*, (3) *nova de condenſatione aëris, ſolo frigore facta, ejusq́*

*com-*

*compressione sine machinis experimenta, (4) mirè discrepans ejusdem qvantitatis aëris rarefacti & compressi extensio*) seorsim editi circumferuntur.

XXIV.

## *Per SOCIETATEM illam REGIAM, è qvâ vel præcipuus Nobilis ille Angl. ROB. BOYLE esse dicebatur, qvid intelligis?*

*Anglicum doctorum virorum Collegium* intelligo, *jam dudum ab illustrissimo BACONE de Verulamio delineatum, cui & ipse Titulum SOCIETATIS DOMUS SALOMONEÆ dederat.* Cœpit tamen non nisi paucis abhinc institui annis: qvum fundamenta ejus privati qvidam homines, ultimis *Cromvvelli* temporibus, jecissent: qvos ipsos hujus qvidem sinistra erga viros eminentes interpretatio ad Philosophiæ studium compulerat.

XXV.

## *Hoc ipsum Collegium undè & cur SOCIETAS REGIA dici meruit?*

*Dici sic meruit vel indè: qvòd,* qvum miserâ jam Regni Anglici fortunâ versâ, receptoqve legitimô Principe, Eruditi Viri rem semel cœptam non destituerent, *Rex ipse Carolus brevi pòst curam ejus rei susceperit, seq; fundatorem ultrò professus fuerit.* Undè factum: ut certatim eidem Collegio nomina sua dederint,

qvotqvot ex Proceribus ingeniò & doctrinâ excelluerant, assumptis etiam extraneorum nonnullis: ita ut ultra centum qvadraginta numerari cœperint membra.

XXVI.

*Qvæ instituti ratio est in Regiâ hâc Societate?*

*Singulis septimanis semel conveniunt, qvibus vacat, & præmeditata proponunt: qvilibet assertionem suam experimentis demonstrare jubetur, additis,* prout Rex exigit, *qvi operâ suâ ipsum adjuvent.*

XXVII.

*Finis & scopus qvis ibidem est instituti?*

*Finis* & *Scopus instituti in Societate hâc Regiâ est:* ut *naturalem Philosophiam accuratissimè excolant.* Unde & mira ibi inventa Artis Mechanicæ, Navigationem, Architecturam, civilem & militarem, ipsam etiam Agriculturam, & qvicqvid in communi vitâ usu venit, concernentia, excogitantur: qvæ, qvum matura & experimentis benè firmata fuerint, publici juris fiunt. Sic omninò *studium & labor Societatis Regiæ in Anglia initæ non aliò collimat, nisi huc, ut per varia Naturæ & Artis experimenta,* tametsi non sine ingentibus sumptibus suscepta, *rerum proprietates ac naturas mirabiliumq; effectuum caussas indagent.*

XXVIII.

*Qvomodo ipsa hæc Regia Societas dividitur?*

In *unum Collegium generale* & *XI. Sub-Collegia* dividitur. *Collegium generale* est *XI. Virorum:* penes qvos potestas de Societate disponendi. Habet insuper suos *Thesaurarios*, duos item *Conservatores* & *Secretarios X.* qvorum *unus* pro Gallia, *alter* pro German. *tertius* pro Italia, *qvartus* pro Belgio, *qvintus* pro Svedia, Dan. Norvveg. Moscovia, Russia, *sextus* pro Polonia, Ungaria, Transylvan. & regionibus, Turcæ ac Persæ subjectis, *septimus* pro Hispan. & Portugall. *octavus* pro India Orientali & Occidentali, *nonus* & *decimus* pro Angliâ. E *Sub-Collegiis*, qvæ generali Collegio cū *Thesaurariis*, *Conservatoribus* & *Secretariis* suis subsunt, *unum* est Medicinæ dicatū; *alterum* pro Mathesi & Architectura militari; *tertium* pro institutione liberorum; *qvartum* pro Mercatura; *qvintum* pro hortorum cultura & Artibus rusticanis; *sextum* pro *Artibus*, qvæ circa cibum ac potum versantur; *septimum* pro eqvitationibus, navigationibus, machinis aqvaticis, &c. *octavum* pro textoribus & pannificibus; *nonum* & *decimum* pro Artibus ædificatoriis, Architectis, doliariis, tornatoribus, &c. *undecimum* pro Musicis, pictoribus, cælatoribus, Typographis, &c.

## XXIX.

## *Qvid præter SOCIETATEM isthanc REGIAM, qvod ad Anglorum Studia, in Angliâ maximè est celebre?*

*Celebres maximè* ſunt præter *SOCIETATEM REGIAM* in Anglia hodieqve *duæ*, qvas habet, *Univerſitates : Oxonienſis* nempe & *Cantabrigienſis*. Has inter vetus æmulatio : meritò tamen primæ debentur Oxonienſi : qvippe qvæ ultra 20 ut vocantur, *Collegia* habet: in qvibus ſumptu publico juvenes, bonarum Artium ſtudioſi, aluntur. Nec illi ibi aluntur tantùm ſumptu publico, ſed etiam inſtituuntur. Habet tamen & multa *Collegia Cantabrig. Academ.* inqve nonnullis Barones ac Nobiles lautisſimè habentur. Adeò proventus opulentos Collegia habent Anglicana : ut unum Oxon. ſumptibus publicis poſſit alere ultra 1000. imò, juxta alios, 2000. Studioſos. Qvare, qvum & hæ duæ Academ. omnibus iis, qvæ ad Studiorum culturam pertinent, qvàm maximè ſint inſtructæ, non temerè reperies alibi ejusmodi inſtructas Academias. Cumprimis verò commemorandum heic : *qvòd nusqvam terrarum in univerſa Europa Bibliothecæ publicæ adeò copioſæ reperiantur, qvàm Oxon.* & *Cantabrig.* Non adeò qvidem diu eſt : qvòd cœperunt illæ Bibliothecæ : verùm 100. annorum ſpatiô in eam multitudinem Libri optimi excrevêre: ut etiam MSS. copiâ nulli terrarum parti cedat Anglia.

XXX.

## *Qvis verò Religionis in Anglia eſt ſtatus?*

Qvanqvam aliàs *Reformatæ* ſint *Religionis* Angli,

Angli, *cœtus* tamen *ſacri omnium penè Religionum tolerantur in Anglia* : modò illi ſint qvieti, nec dent adverſus Statum publicum turbas. Apparet itaqve *nimis turbatum Eccleſiæ ſtatum in Anglia* eſſe, ob ingentem vim eorum, qvi diverſis abeunt à Reformatâ Eccleſiâ ſententiis. Plurimùm autem ibidem *genus hominum* valet: *qvod dudum exoſo* Puritanorum *nomine venit: eò qvòd, Conſtitutiones Eccleſiaſticas non ſatis puras in Anglia eſſe, adeoq; ipſum publicum Religionis cultum in multis rebus Papiſticæ ſuperſtitioni adhuc nimis conformem exiſtere, conqvererentur, indeq; pleniorem reformationem exoptarent*, totam interim Hierarchiam Epiſcopalem, ut nimio faſtu & potentiâ intolerabilem, ſublatam cupientes.

XXXI.

*Qvot & qvænam factiones præpotentes noſtro hoc ævô in Anglia è disſidiis Eccleſiæ Reformatæ emersêre?*

*Emerſerunt* indè *duæ* præprimis *factiones præpotentes*, in fide qvidem concordes, ſed in Eccleſiaſtico Regimine diſcrepantes, nec tamen diametraliter: *Presbyteriani* nempe & *Independentes*.

XXXII.

*Presbyteriani ecqvi dicebantur?*

*Dicebantur hoc nomine omnes illi, qvi directorium admittebant, & Eccleſias per Paſto-*

*res ac Presbyteros*, h. e. Seniores; *hos verò per Classes, Classes per Provinciales Synodos, hasq; per Congregationes Nationales gubernabant.*

XXXIII.

## Qvinam INDEPENDENTES?

*Independentes* dicti sunt: *qvi nulli fidei suæ rationem reddere volebant, nisi Ecclesiæ particulari, cujus membra erant, ac qvamlibet Ecclesiam particularem sui juris, nec aliis subjectam esse, defendebant*, nolentes admittere per Classes Regimen Ecclesiast. idqve Tyrannicum qvid sapere, contendentes.

XXXIV.

## Independentes *unde sic dici meruêre?*

*Dici meruêre* Independentes *vel inde: qvòd regimen Ecclesiæ habere vellent independens.* Pro illa igitur independentia multi acerrimè pugnârunt. Caussa autem pugnæ hujus erat: qvòd vulgus Anglicanum in varias sententiæ sacras esset scissum, qvodqve multæ sententiæ hæreticæ in populo grassarentur. Sic jam omninò Schismatici hi fugiebant regimen Ecclesiast. per Classes, volebantqve Ecclesias sui esse juris, ne aliis rationem reddere tenerentur: qvippe qvi ipsi conscientiarum libertatem pertinere ad libertatem populi docebant.

XXXV.

*Utriq; verò, PRESBYTERIANI nempe & IN-*

*& INDEPENDENTES, qvanam in re conveniunt?*

*Conveniunt* (1) *confessione fidei & Articulis Religionis Reformatæ omnibus:* nullaqve inter eos & Reformatos transmarinos alicujus momenti est discrepantia. (2) *Utriq; Ecclesias particulares per Presbyteros, cùm docentes, tùm regentes, gubernant.* (3) *Jus vocandi Ministros apud utrosq; penes est Ecclesiam.*

*XXXVI.*

## *Qvâ in re discrepant?*

Discrepant (1) *in Ecclesiarum particularium institutione. Presbyteriani* siqvidem qvosvis, qvi non aperto scandalo ac impietate vivunt, tanqvam Membra Ecclesiæ suscipiunt, & numerô potiùs, qvàm delectu gaudent. *Independentes* strictiores & rigidiores sunt in Membris Ecclesiæ admittendis, positivam ac visibilem sanctitatem reqvirentes. (2) *In Ecclesiarum particularium gubernatione.* Nam (1) *Presbyteriani* suas Ecclesias habent in templis publicis: *Independentes* partim in templis, partim in privatis ædibus aliisq; locis. (2) *Presbyteriani* ad SS. Synaxin admittunt qvosvis notos sibi, si scandalo apertô careant: *Independentes* eos tantùm, qvos non sceleris tantùm esse puros, verùm etiam vitæ integros, in divinis Script. rebusqve Theolog. probè versatos nôrunt, cœnam vel singulis Domin. diebus, vel rariùs celebrantes. (3) *Presbyteriani* eos saltem ad conciones habendas admittunt, qvi operam

dederunt literis, Lingvis & Theologiæ, atqve ab Ecclesia qvidem legitimè ad ministerium vocati ac solemniter sunt ordinati: *Independentes* autem qvosvis ad prædicandum admittunt: qvi dona habent ac impetum. (4) *Presbyteriani* Ecclesias particulares subjiciunt Classibus, Classes Synodis Provinc. has Nationali, eamqve subordinationem juris divini esse dicunt: *Independentes* verò qvamlibet Ecclesiam particularem sui juris, nulli alii subjectam, statuunt, neminiqve rationem fidei suæ reddunt, nisi illi, cujus membra sunt, Ecclesiæ.

XXXVII.

## *Qvænam præterea Sectæ sub INDEPENDENTIUM latent nomine?*

Certè ob libertatem hanc, qvam *Independentes* in rebus Ecclesiasticis sibi arrogant, *Sectarii & Fanatici qvamplurimi sub eorum latitant nomine.* Præcipui sunt *ANABAPTISTÆ:* longè tamen puriores ac moratiores, qvàm alibi, inqve fidei capp. plerisqve cum Reformatis consentiunt, solô ferè Pædobaptismô exceptô. Proximi illis sunt *ANTINOMIANI:* qvi V. T. tanqvam jam completum & abolitum rejiciunt, solumqve N. amplectuntur Testamentum, non nisi absolutam DEI gratiam & Evangelium in Concionibus prædicantes. Adhuc fortiùs errant *ANTISCRIPTURIANI:* qvippe qvi totam rejiciunt Scripturam, dicuntq; eundem se Spiritum cum Prophetis

phetis & Apostolis habere. Undè & omnes libros ac eruditionem spernunt, Conciones & exercitia Eccles. rejiciunt, solo spiritu contenti. Hos seqvuntur *QVAKERI*, omnium Enthusiastarum colluvies. Putant hi, se jam in hâc vitâ planè perfectos & ab omnibus peccatis mundos: nec aliud cœlum esse, qvàm qvod corde suo sentiant, vel infernum alium, qvàm homines malos credunt. Freqventer in tantas Ecstases incidunt, ut toto corpore contremiscant: qvia, ut perhibent, magnitudinem illam lucis ac splendoris divini, qvô obruantur, perferre neqveant, vel intra se continere: & tàm horrendum clamant ac reboant: ut homines pariter atqve bruta indè terrore resiliant. Postqvam excussus raptus, & ad se illi redeunt, de immensâ gloriæ illius majestate multa & magnifica jactant, ignaro popello summâ cum admiratione auscultante, similemqve beatitudinis sensum exoptante. Sunt deniqve etiam hinc inde *varii fanatici*, qvi ad certum genus referri neqveunt, & potius defectu sanæ mentis morboq; hypochondriaco, qvàm hæresi aliqvâ, laborant.

XXXVIII.

*Qvæ qvidem Politica magis qvàm Religiosa Secta est in Anglia?*

Sunt *LEVELLERII*, *Status Democratici, vel potius Anarchici, studiosissimi.* Leges autem naturales, s. ut illi loqvi amant, fundamentales gentis præcipuè urgent: qvibus cuivis homini potestas æqvalis in Rempubl. ejusq; admini-

mini ſtrationem data ſit. Nec alterum alteri ſuperiorem aut inferiorem honore vel opibus eſſe debere, ſed omnia æqvalia ac qvaſi communia habenda, tradunt.

## XXXIX.

## *Qvid, misſis his & aliis rebus, certi jam de ipſo Reipubl. Anglicæ ſtatu in hoc Qvæſtionum curſu habes?*

Hoc eqvidem certi de illo habeo: *qvòd ab antiqviſſimis temporibus fuerit Regius.* Reges enim ſuos Anglia ſemper habuit, qvanqvam diverſos. Anglo-Saxonibus circa A. C. 400. Regna fuêre VII. qvibus ſingulis ſui Reguli usqve ad A.C. 800 qvippe qvo Ecbertus Occident. Saxon. Rex Monarcha fuit factus, Danis in Orientali Angliâ ejectis Regnôqve liberatô. Poſteri hujus regnarunt uſqve ad A. C. M. XL. donec tandem Anno M LXVI. *Gvilielmus* qvidam, Dux Normanniæ ( *Conqveſtor* ab Anglis dictus, *qvòd armis omnem conqviſiverat*, h. e. *ſuperârat, Angliam* ) Regnum Monarchicum firmiùs fundaret. Atqve hic ipſe *Gvilielmus* eſt, *à qvo omnes deſcendunt Reges Angliæ.* Adeoqve non modò apparet, *Regiam Familiam in Anglia non ita eſſe Anglicanam; ſed & Anglos ipſos Regiæ Familiæ parere, ut victi ſolent victoribus.* Indignis namqve modis *Gvilielmus* ille ejusqve ſucceſſores vexârunt Angliam, illamqve propriè redegerunt in ſervitutem. Qvid? qvòd illi, qvicqvid generoſi, Saxon. nempe & Anglicani, ſangvinis ibi fuit, ita

exci-

exciderint : ut jam non temerè reperiatur Nobilis aliqvis, qvi natus ſtirpe Saxon. aut qvi Anglicanâ veteri ſit natus. Qvi enim hodiè ſunt antiqviſſimæ Nobilitatis, Normanni ſunt, ex Normannia oriundi Gallicâ. Usqve adeò illa Familia Normann. depreſſit veteres incolas, Angliqve idem paſſi ſunt à Normannis, qvod Britanni ab Anglis.

XL.

## *Qvæ deinceps ſeqviori ævô factiones graviſſimè afflixerunt Angliam?*

Graviſſimè hanc *Lancaſtrenſium* & *Eboracenſium* afflixerunt *factiones*: qvæ alio nomine Hiſtoricis *Roſa Rubra* & *Roſa Alba* vocantur. Duæ nempe Factiones tunc erant: *Domus Eboracenſis* (Jorck) ſeu *ROSA ALBA*, & *Domus Lancaſtrenſis* ſ. *ROSA RUBRA*. Ad Imperium igitur pervenit *Richardus* II. *Eboracenſis*, ætate ſuâ formoſiſſimus, ſed is *Anno 1399.* ab *Henrico* IV. *Lancaſtrenſi* captus inq; carcere interfectus fuit. Hunc ſecutus filius *Henricus* V. *Anno 1415.* qvi magnas in Galliâ victorias reportavit. Iſtô mortuo *Anno 1422.* fil. *Henricus* VI. nondum anniculus, in Angliæ & Franciæ Regnis inauguratus fuit: ſed habuit ſibi contrarium *Eduardum* IV. ejusq; Patrem *Richardum Eboracenſ.* Poſt varias & ancipites pugnas *Anno 1460.* tandem captus eſt cum filio Eduardo, inq; captivitate Richardi, Gloceſtriæ Ducis, manu periit. Totius tunc Regni conſenſu electus fuit *Eduardus* IV. qvi aliqvando Henrico VI. inferior

non ab ipſomet qvidem Henrico, ſed per factionem ejus compulſus, ad *Carolum Burgundum* conceſſerat. Qvum verò *Eduardus* IV. ſuum obiiſſet diem, frater *Richardus*, excluſis è fratre nepotibus, imò occiſis, Regnum invaſit *Anno* 1484. qvi tamen *Anno* 1486. in prælio contra Henricum, Comitem Richemondiæ, occubuit.

XLI.

*Qvis illas duas tandem Factiones, qvæ ſatis diu Angliam afflixerant, feliciter ſuſtulit?*

*Fecit id Henricus* VII. *Lancaſtrenſis : qvippe qvi*, fuſis Eboracenſibus, ductaqve Eduardi IV. filiâ, *Roſam Albam cum Rubra conjunxit*, h. e. Eboracenſium & Lancaſtrenſium factiones ſuſtulit, inqve unam familiam conjunxit, *Anglorum Salomon* propterea dictus; Lancaſtrenſis enim familia *Roſæ rubræ*, Eboracenſis *Roſæ albæ inſignia* gerebat.

XLII.

*HenriciVII. Hiſtoriam qvis Scriptorum peculiariter eſt perſecutus?*

*Perſecutus illam eleganti Libro eſt FRANCISCUS BACO*, Baro de Verulamio, eruditus ille Angliæ ſub Jacobo VI. Cancellarius: qvi pro perficiendis ſcientiis ultimis hiſce tēporibus adeò laboravit, ut vix qviſpiam ante eum. Etiamſi autē à facundiâ ille nō poſſit cōmendari, attamē incredibile eſt, qvantū habeat prudētiæ

Liber

Liber iſte exiguus. Nam, qvum omnia Henrici acta laudem mereantur, omnia qvoqve *BACO* laudatus perſeqvutus eſt: ut nempe oſtenderet, qvàm prudenter ab illo omnia geſta eſſent. Meritò proinde Titulum inter cætera *Baconis Opera* hunc Liber præ ſe fert; *Hiſtoria Henrici* VII. *Regis Angliæ, Opus verè Politicum.*

XLIII.

*Tunc temporis qvâ de re maximè diſputatum fuit?*

*Diſputatum fuit: qvô titulô Henricus* VII. *in Regni occupatione potisſimùm uti deberet.* Erat enim (1) *Titulus Reginæ Eliſabethæ, Eduardi* IV. *filiæ*, qvam duxerat uxorem Henricus: (2) *Titulus veteris juris, qvod prætenderat Lancaſtrenſis Domus adverſus Eboracenſem:* (3) *Titulus gladii ſ. occupationis bellicæ.* Placuit verò tandem Henrico *Titulus ſecundus.*

XLIV.

*Qvum ſic ſopita jam eſſet Controverſia inter duas Roſas, ecqvid tamen manſit?*

*Manſit nihilominus præſentisſimum inter Anglos & Scotos odium:* qvi etiam qvotannis ferè, ſi non exercitu, prædonum tamen manipulis, ſe mutuò infeſtabant.

XLV.

*Qvô pactô hæc etiam diſſenſio è mediô ſublata?*

Qvum diu ultrò citroqve cogitaretur, qvô

pactô præsentissimum inter Anglos & Scotos odium è medio tolli posset, *tutissima tandem via visa est per matrimonium*. Sic itaqve *omnis omninò dissensio tandem sublata matrimoniô*. Nempe *collocata est Jacobo Scotiæ Regi Margaretha Henrici* VII. *filia*. Qvod qvidem ubi ageretur, qvidam è Consiliariis dixêre: *facilè fieri posse, ut defunctis filiis Regiis, qvia Anglia successionem qvoq; fœmininam admitteret, ad Scotos perveniret Anglia*. Sed Rex respondit: *in illo casu nihilominus fore superiorem Angliam*.

## XLVI.

## *Cuinam rei fundamentum hoc ipso conjugio est positum?*

*Positum est fundamentum successioni, post 100. demum annos secutæ*. Nam Jacobus ille IV. genuit Jacobum V. Jacobus V. filiam habuit Mariam: qvæ primò desponsa Eduardo VI. post ejus mortem Francisco II. Regi Gall. ac tandem Henrico Stuarto: qvi familiâ regiâ natus tum temporis exulabat. Atqve indè tandem in lucem prodiit *Jacobus* VI. *qvi ipse*, Rex Angliæ *Anno 1603*. creatus, *dominium totius Insulæ, Angliæ nempe & Scotiæ simul, primus obtinuit*.

## XLVII.

## *Qvâ occasione id factum, ut Jacobus VI. Rex Scotiæ, crearetur Rex Angliæ?*

*Occasione id Testamenti Elisabethani est factum*. *Elisabetha* enim, Regina Angliæ, cujus lau-

laudes ap. *CAMBDENUM Apparat. p. 10. 11.* habemus, qvia omne conjugium aversabatur, Mariæ qvidem, tanqvam proximæ sangvinis Principi aliqvam successionis spem fecerat: ut hæc ipsa etiam ab Elisabetha petere haud dubitaret, ut publicis Comitiis se Regni futuram hæredem declararet: sed Mariâ tandem, qvum conspirationum convicta esset, securi *Anno 1587.* percussâ, nihilominus tamen *Elisabetha* moritura *Anno 1602.* hæredem Regni scripsit *Jacobum*, successurum etiam Testamento hoc non subnixum, si jus successionis valuisset. Hâc occasione igitur ille Rex Angliæ creari cœpit, ipseqve deinceps in conjunctione Regnorum duorum varia agitavit consilia, qvâ ratione suum instrueret Titulum. Nam Angli & Scoti ubiqve volebant primum occupare locum. Invenit autem tandem hoc medium: ut *bina uno M. BRITANN. nomine Regna*, & qvidem ad differentiam BRITANNIÆ in Gall. MINORIS, *comprehenderentur.*

XLVIII.

*In Jacobo hoc qvos characteres peculiariter annotant?*

Annotant (I.) *qvandam animi mollitiem*, utpote in qvam dicterium tunc cusum: *Rex erat Elisabeth, nunc est Regina Jacobus.* Nec enim leve ejus rei specimen erat: qvòd ne evaginatum gladium qvidem aspicere posset. *Cujus rei Kenelmus Dighby in Tr. de pulv. Sympath.* meminit. Annotant (II.) *insignem, sed Principi non congruam, eruditionem.* Unde *Regum doctissimus* saluta-

lutari amavit, librisqve scribendis maximopere delectatus est: in qvibus non ignobile scriptum, qvod δῶρον βασιλικὸν vocavit.

XLIX.

*Qvæ Regia ergò Familia rerum hodiè in Anglia potitur?*

Qvum *Jacobus* VI. primus Rex M. Britanniæ, Mariæ ac Henrici Stuarti filius, qvi antè Rex tantùm Scotiæ fuerat, ex se unicum *Carolum*, *Carolus* autem, ductâ uxore Henriettâ Mariâ, Henrici IV. Regis Gall. filiâ, *Carolum IIdum*, hodiernum M. Britann. Regem genuerit: facilè inde patet *Familiam Regiam*, *qvæ rerum hodie in Angliâ potitur*, *esse Stuartorum*, *ex Scotia oriundorum*. Henricus siqvidem Stuartus, Caroli Imi Avus, ex qvo Jacobus VI. Rex Scotiæ natus, Nobilis Scotus, sed Regii sangvinis, fuerat.

L.

*Sed qvis omnium Angliæ Regum qvotqvot unqvam fuêre, infelicissimus?*

*Infelicissimus* sanè *Regum omnium*, *qvotqvot unqvam in Angliâ non modò*, *verùm etiam in universo terrarum Orbe Sceptra tenuêre*, *Carolus ille Stuartus fuit:* qvippe qvi inusitato atqve ex eo tempore, è qvo Regium in Orbe nomen gubernandis populis natum notumqve fuit, ad hæc usqve tempora planè inaudito exemplô mediis in turbis Angliæqve totius motibus capitis damnatus, deinde carnificis manu ferali pegmati impositus, publico præterea spe-

ſpectaculo populi ſui expoſitus, ſecuriqve tandem percuſſus fuit.

## LI.

### *Iſtorum motuum, in qvorum mediâ Rex Carolus flammâ miſerrimè manu carnificis periit, fons & origo qvanam?*

Qvantum humana concipere poteſt prudentia, *fons & origo*, ut iſtorum, in qvorum mediâ flammâ Rex Carolus Stuartus manu carnificis periit, motuum, ita cæterorum omnium, à *duabus factionibus dependet:* qvæ tempore Eliſabethæ cœperunt. *Harum* una appellatur *Puritana*, altera *Epiſcopalis* ſ. *Proteſtans*.

## LII.

### *Duarum harum factionum qvalis origo?*

*Admodum fuit exilis.* Nam, qvum prima Religionis reformatio, ſub *Eduardo* VI. cœpta, mox iterum abrupta ejus morte fuiſſet, Papiſmus, à *Mariâ* reſtitutus, intra qvinqvennium iterum ab *Eliſabetha* fuit ſublatus. Qvemadmodum verò ab uno extremo facilè ad alterum difficilis ac periculoſus eſt progreſſus: ita qvoqve Eliſabetha plerasqve reliqvit Pontificias ceremonias, contenta purgaſſe Doctrinam craſſasqve ſuperſtitiones. Hinc retenti Epiſcopi cum omnibus dependentiis. Miſſa qvoqve potiùs translata in Lingvam Angl. qvàm ſublata.

lata. Id multis displicuit, sed sine graviori offensa: qvum & Elisabethæ imperium esset moderatius, & Episcopi qvoqve ejus temporis viri essent pii, alieni ab ambitu & dominatione, minùs item superstitiosi. Sub extrema tamen Elisabethæ tempora factiosa emersêre nomina, resq; à verbis & scriptis ad odia & animorum divortia fuit deducta. Hæc sc. semina sunt: qvæ facilè tamen potuissent corrigi ne, tam pestilentem fructum proferrent.

## LIII.

### *Sub qvo jam Rege Anglia cœpit fumare?*

*Fumare* hæc ipsa *cœpit sub Jacobo.* Jacobus siqvidem, pace factâ cum Hispano, & Protestantibus calamo qvidem, qvod etiam privati possunt, sed non gladio, defensis, *duo* illa *principia* Status funditùs everterat, *qvæ Elisabethæ fuerant:* ut ipsa nempe (1) *perpetuò partem Protestantium contra Pontificios defenderet:* (2) *ut potentiam Hispan. qvibuscunq; posset modis, debilitaret ac frangeret.* Indè igitur paulatim corruptio in Aula, ipsaq; Gens Anglorum per se bellicosa desvetudine armorum res novas cupere & affectari cœpit.

## LIV.

### *Sub qvo demum Rege aperta erupit flamma?*

*Erupit* hæc *demum sub Carolo:* qvippe cujus maximum irritamentum *conjugium* erat *Caroli Hispanicum, tentatum & affectum, Galli-*

*cum*

*cum autem perfectum.* Nam qvum *Anno 1624.* duxisset uxorem, religione ac moribus diversam, *Henriettam* nempe *Mariam Ludovici* XIII. *Gall. Regis Sororem*, non potuit non indè magna corruptio derivari in Aulam atqve ejus etiam animam: præprimis ubi inter conditiones matrimoniales potissima hæc esset: ut 28. Sacerdotes Pontificii penes Reginam essent, cumqve ipsâ Relig. exercerent. Hinc, hinc scil. magnæ *Puritanorum* turbæ: qvi sicuti in Scotia insederant primò, ita etiam tumultus initium faciebant. Qvippe in Synodo Glasgenensi *Anno 1638.* Episcopalis gubernatio pro insigni Anti-Christi notâ est declarata: cui qvum opponeret se Rex Anglorum, ad pugnam paratos non habebat sed ad Parlamentũ potius *Anno 1640.* provocare cogebatur. In eo Episcopi, inauditâ caussâ dignitate exuti, Parlamento excedere jubentur: *Comes* verò *Straffordiæ Th. VVenthworth, Vice-Rex Hiberniæ*, ubi major Pontificiorum, qvàm Reformatorum potentia, *Anno 1641.* læsæ majestatis reus ibidem agitur, Regeq; ipso ad subscriptionem sententiæ coacto, capite plectitur. Qvæ ipsa qvidem executio Hibernos in extremam convertit rabiem: ut ultra 30000. Reformatos intra biennium suo furori immolarent. Tandem *Anno 1642.* Rex, Londinum relinqvere coactus, & ab Hothamo urbe Hullâ exclusus majestatis reum eum proclamavit. Parlamentũ tamen suam telam, ut inceperat, strenuè continuans *Gvilielmũ*

*Lau-*

*Laudum*, *Archi-Episcopum Cantuar. Primatem Angliæ*, Religionis Pontificiæ insimulatum, exceptionibus susqve deqve habitis, *Anno 1645.* securi subjecit. Imò Reginam insimulavit, qvasi motuum in Hibernia principalis esset caussa. Hâc re Rex motus *Inferioris Domus V. & Superioris unum*, *Mandevilla* nempe *Vice-Comitem*, proditionis accusabat: qvos qvum plebs per vim restitueret, Regi inde necessitas imposita, ad vim plebis declinandam, Londinum penitùs deserendi: qvò qvidem redire invitantibus Parlamentariis noluit.

## LV.

## *Qvæ tunc temporis Disputationes exarsêre?*

*Exarsêre* tunc *acerrimæ de Regis & Parlamentorum potentiâ Disputationes.* Rex enim sibi arrogabat autoritatem, à solo DEO dependentem: cujus beneficio liberum ipsi esset Parlamentum convocare, ibiqve adhibere votum negativum, de pœnis item, earumqve remissionibus, de militiâ, de cudendâ monetâ, de fœderibus &c. liberè decernere. *Et qvia sacro oleo unctus esset, sibi qvoq; jurisdictionem Ecclesiæ tribuebat.* PARLAMENTUM sibi contrà *cum Rege concurrentem Jurisdictionem esse contendebat, eamq;, Rege contra juramentum agente, converti in absolutum dominium posse, tradebat:* ita ut integrum esset Parlamento, illum non qvidem ut Regem, sed ut Proditorem submittere judicio.

LVI.

## LVI.

### *Qvis fatalis hujus contentionis eventus?*

Qvum contentio hæc ſpectaret ad bellum, *Standardum Rex antiqvo more erexit: ut ad eum ſubditi armati confluerent.* Sed tantus concurſus non fuit: ut Rex qvidem arbitratus fuerat. Plerosqve tamen è Nobilitate in ſuas partes pertraxit, ſtantibus à Parlamento plebejis. Hi à Rege vocabantur *Rebelles:* illi à Parlamentariis *Malignantes.* Parlamenti copiis præerat Comes *Eſſexius:* qvi etiam non adeò feliciter cum Regiis pugnavit: ità ut ſine dubio de victoriâ actum fuiſſet, niſi Regii milites, prædæ cupiditate rapti, ipſam victoriam in medio reliqviſſent. Magnoperè tamen Parlamenti conſilia confundebantur: ita ut facilè Londinum occupari potuiſſet. Sed obſtitit *fatalis* qvidem *error.* Sic enim vires colligere denuò poterant. Interim, ut in Parlamentô *Eſſexii* præſentia haberetur, militia *Fairfaxio* tradita: qvi eò redegit Regem, ut ad Scotos fugere cogeretur. His enim ut conterraneis ſuis fidem habebat. Sed Scoti, acceptis *10000. Libris Sterlingarum,* Regem tradunt Anglis: eâ tamen lege, ut priſtinæ reſtitueretur dignitati. Id qvod *Fairfaxius* ſumptâ Cœnâ Dominicâ, confirmavit. Scoti qvum audirent Regem in carcerem conjici, judicio ſiſti, &c. arreptis armis, Regiam autoritatem propugnare voluêre, ſed fruſtrà. *Rex* enim *capitis damnatus ſecurim*

*ſubiit,*

*subiit, d. 30. Jan. Anno 1649.* Atqve sic *REGICIDIUM*, vel *PARRICIDIUM* potius, qvod in legitimo Rege suo Carolo Stuarto tollendo manu carnificis perpetrarunt Angli, *fatalis Regiæ illius contentionis eventus fuit.*

LVII.

## *Qvinam Libri in hâc caussâ Regiâ pro parte Regis, & contra pro parte Populi, editi habentur?*

*Editi habentur pro parte Regis*, & qvidem ex Anglico in Latinum versi, inqve unum fasciculum collecti, Tractatus optimi sub Tit. *variorum Tractatuum pro Innocentia Caroli Regis SYLLOGE.* Scripsit & in eadem caussa pro Rege ad *Sereniss. M. Britanniæ Regem Carolum* II. *Fil. natu majorem, hæredem tunc & Successorem legitimum, Librum* non contemnendum *CL. SALMASIUS*, sub Tit. *Defensio Regia pro Carolo Imo.* In qvâ qvidem Defensione hoc procedit ordine: ut (1) *de facto ipso, prout meretur ejus indignitas & atrocitas, qvale sit, dicat:* (2) *de jure pertractet:* (3) *illud demum argumentum perseqvatur, an justa cuiqvam subditorum caussa esse possit contra Regem suum arma ferendi, eum in jus vocandi, accusandi, condemnandi, & supplicio ultimo afficiendi, idq́ neget:* (4) *ostendat Regem M. Britanniæ supremam in suos subditos potestatem habere, qvæ nulli alii potestati, nisi divinæ, sit obnoxia, proindeq́ ea, qvæ de qvovis alio Rege dicta, Regi Angliæ optimo jure competere:*

(5) qvæ-

(5) *qværat deniqve, an ita Carolus vixerit & regnaverit, ut, qvum accusari nullo jure potuerit, condemnari meritò debuerit.* Hoc scil. ordine *SALMASIUS* procedit. Sed non respondere Liber iste expectationi Lectoris videtur *CONRINGIO:* vel ideò qvòd (1) *ut omnia Salmasii, ita etiam hoc Opusculum admodum tumultuariâ operâ scriptum fuerit:* (2) *qvòd non benè in eodem Libro Salmasius distinxerit inter varias Regnorum species. Ita* enim, pergit *CONRING. loqvitur ille, qvasi Regnum sit Monarchicum, atqve hæc consignavit, qvæ in Historiis reperit de Monarchiis, qvæ habent potestatem simplicem & absolutam. Harum statum omnibus Regnis simpliciter tribuit, qvi profectò capitalis est error. Ut enim ex Aristotele est notum, alia Regna simpliciter sunt Monarchica, alia aliqvid Monarchicum habent, alia sunt παμβασιλικά. In Anglia autem status est mixtus: adeoq; non temerè à statu unius Regni ad Regna reliqva est argumentandum: qvum potius Salmasius argumentari juxta LL. Angliæ debuisset.* Sic itaqve, rebus Salmasii non adeò firmo ubiqve stantibus talo, eum non unus excepit Anglus. Cumprimis se *JOH. MILTONUS*, totus in Reges ex Puritanorũ pruritu ruens, mordacissimo opposuit Scriptô: cui Tit. *Defensio pro Populo Anglicano, contra Claudii Anonymi, aliàs Salmasii, Defensionem Regiam.* Qvid? qvod & idem *MILTONUS pro Populo Anglicano Defensionem* IIdam *contra infamem*, ut vocat, *Li-*

*Libellum anonymum* ( cui Tit. *Regii Sangvinis clamor ad cœlum adversùs parricidas Anglicanos*) scripserit, ac *Londini Anno 1654.* ediderit. Ex utroqve sanè libello apparet, qvàm petulanti ille homo fuerit ingeniô : utpote in qvo meritò æqvitatem judicii desideres majoremqve prudentiam. Stylo qvidem est elegans, sed in Sarcasmis mille artifex: disputandi tamen non adeò gnarus est, nec prudentiæ politicæ admodum peritus. Librorum igitur *MILTONI* summa eò tendit : ut Orbis Christianus sibi persvasum hoc habeat, *summam potestatem soli deberi populo, penesq; illum jure naturæ summam esse potestatem, &, qvicqvid contrà admittatur, iniqvum esse.* Verbo dicam : existimabat ille, *Statum Democraticum in Republ. Christiana esse optimum.*

LVIII.

*Sed qvo fundamentô mihi refutabis, qvicqvid Miltonus in mordaciss. suis Scriptis congessit ?*

Vel indè facilè refutabitur : *qvod Rex qvemadmodum Pater, licet contemptor legum sit, Pater tamen esse non desinit, licet & ipse à recto tramite deflectat, ob id tamen nec Titulum nec dignitatem Regis amittat: & qvamvis malus sit, Rex tamen maneat nec alterius judicio subjaceat: utpote qvi à solo Deo dependet.* Jus enim Monarchicum magis, qvàm vel Aristocrat. vel Democraticum, severum esse, sacra Pagina 1. Sam. 8. v. 9--18. docet.

LIX.

*Ecqvam interim Formam Reipubl. Anglic. secutam putas?*

*Immediatè* qvidem *ac proximè Regicidium secuta est Democratia: qvam Angli, ipsâ Superiori Domô abrogatâ, puram ac simplicem instituerunt.* Unde & tum temporis Rex Sveciæ Titulum hunc Anglis dedisse legitur: *Bonis nostris Amicis & Fœderatis Reipubl. Anglicæ, Scotiæ & Hiberniæ Illustrissimis ac Excellentiss. Proceribus,* &c. Mox autem in *Protectoratum* mutari cœpit Respublica. *Oliverius* enim *Cromwellius* Protectoratus Provinciam suscepit, ipseqve autoritate qvidem regiâ fuit: Regis tamen Titulum, à Parlamento oblatum, accipere noluit: qvippe uno *Regii Protectoris* Titulo contentus erat.

LX.

*Regium Titulum cur ille constantissimè recusabat?*

Ratio erat: *qvia Titulus hic cessisset in præjudicium absoluti dominii.* Et sanè oportuisset eum restituere Domum Superiorem Parlamentariam, à qva, utpote ex Proceribus majoris Nobilitatis constante, summoperè abhorrebat. Deinde *nec potuisset tàm liberè de Exercitu disponere. Sed Parlamenti placita respicere debuisset:* qvibus molestiis exemptus erat, dum isto Titulo carebat.

LXI.

*Ecqvis, qvalis ac qvantus vir ille erat?*

*Incomparabilis hujus seculi Politicus*, vel *Statista potiùs*, h. e. egregius simulandi dissimulandiqve Artifex, erat, originem è nobilissimâ *VValliamsoniorum Familia*, qvi tempore *Henrici* VIII. *CROMVVELLII* appellari cœperant, trahens. Is ipse igitur, qvum in Academ. Cantabrig. tirocinium Studiorum suorum posuisset, altiori negotiorũ studio ut cresceret, Lincolshusiam se contulit: ubi experimentis potiùs, qvàm umbraticâ Doctrinâ, ad prudentiam proficeret. Non multum nempe operæ juris studio dedit: ut qvi in Libris consenescere contemneret, Reipubl. gerendæ unicè natus, Artium tamen liberalium cognitione mediocriter instructus. Nihil verò ille majori conatu per totam egit vitam: qvàm ut alius videretur, alius esset, sui semper qvàm dissimillimus, idqve unicè curans, ut liberè dominaretur, contraria ratione ad animam ac Symbolum R. Elisabethæ, *qvod erat*, *SEMPER EADEM*. Admotus proinde Republ. gubernaculis, *Protector Libertatis* audire volebat: qvi tamen erat supplantator severissimus. *Papis cupidissimus* videri volebat: qvi tamen minimis, circa Regnum orientibus, favillis oleum semper pro aqva suffundebat. Videri volebat *Religionis studiosissimus*: qvi tamen Religionem inter Dominatus instrumenta connumerabat. Videri volebat *Regii nominis contemptor*: qvi sub Protectoris tamen nomine plus qvàm regiè imperitabat. Sic utiqve admirandæ in hoc viro

&

& egregiæ erant virtutes: deteſtanda tamen etiam & inſignia erant vitia. Utraqve enim ita, ut eſſent in ipſo ſatis illuſtria, temperare nôrat, & ſuum ipſe & ingens illud rerum civilium ſtudium callidiſſimè regens, non eruptum prius, qvàm qvum, offerente ſe occaſione, qvid poſſet, qvalisqve futurus, in negotiis civilibus probandum eſſet.

## LXII.

### *Qvô Prudentiæ actu Dominatum ſibi non mediocriter ſtabilivit Cromwellius?*

Sentiens ille, in ſtabiliendo ſuo Dominatu prius reſtringendam Parlamenti eſſe potentiam, exauctorandam eſſe militiam, Regni item curam in deliberatione conſiſtere mox executioni mandandâ, *ex improviſo ſecuros aggrediebatur, increpitâq; cunctatione præterlapſum jam terminum conventus nunciabat* (ſtrictâ enim computatione qvinqvies 28. dierum tempus tranſierat) *qvum Parlamentarii interim, menſium naturalium computatione, ad minimum ſibi decendium reſtare, qvò omnia conſulta ſubſcriptioni & executioni mandanda erant, perſvaſi forent.* Sic ergò continuò præſente exercitu diſſolutum Parlamentum, perq; plateas diſtributo milite tantus omnibus injectus terror, ut ne mutire qvidem qvisqvam auſus fuerit. Nihil autem eâ deliberatione omninò peractum: ſed reſignatis actis omnes patuêre conſultationes: è qvibus impoſterū conſilia ſua

metiretur Cromvvellius. Atqve sic qvidem *eôpse actu*, *triennium* (tanto enim temporis spatio Parlamentum convocare vigore *INSTRUMENTI PROTECTORII* prohibitum) *prudenter lucratus*, *Dominatum interim non mediocriter Cromwellius sibi stabilivit*.

## LXIII.

## *Per INSTRUMENTUM PROTECTORIUM qvid rei heic vis intelligi?*

*Dominatus Cromwelliani Leges* volo intelligi: utpote qvas sub Tit. *Instrumenti Protectorii* Londini *Anno 1653. d. 16. Decembr.* publicatas habemus.

## LXIV.

## *Qvæ contenta istius erant Instrumenti?*

Erant hæc: ut (1) *Oliverius Cromwellius*, *Exercitus Dux*, *Protector esset Britanniæ*; (2) *ut sibi aliqvot Consiliarios eligeret*, *qvorum numerus non minor 13. nec viginti & unum excederet*: (3) *ut Consiliarii in omnibus negotiis bona subministrarent consilia*: (4) *ut tribus qvibusq; annis Parlamentum convocaretur*, qvorum primum instante Septembri initium haberet: (5) *ut idem in Parlamento numerus conveniret*, *de qvo nupero Palamento conventum*, *qviq; Matriculæ insertus*, *nempe 400.* (6) *ut nullum Parlamentum ultra qvinqve menses deliberationes continuaret*: (7) *ut qvalia-*

*liacunq; acta aut decreta ita constitutum Parlamentum conficeret, illaq; si prius à Domino Protectore & majore parte Consiliariorum ejus approbata essent, vim legis haberent; sin minus, in proximum Parlamentum rejicerentur:* (8) *ut, si proximum illud Parlamentum Decreta approbasset, vim legum tunc haberent:* (9) *ut, si Parlamentum consultationes ultra 5. menses protrahere auderet, id Domino Protectori dissolvendi ac rumpendi jus esset:* (10) *ut reliqvi, qvi Regni sunt reditus, ad Domini Protectoris sustentationem impenderentur:* (11) *ut, si Dominus Protector in vivis esse desierit, maximæ parti ejus consiliariorum alium eligendi jus esset:* (12) *ut post obitum Domini Generalis Cromwellii nemo seqventium Dominorum Protectorum simul Generalis exercitus Dux esset:* (13) *ut nullus eligeretur, cujus Parens Protector fuisset:* (14) *ut jus belli ac pacis in manu Protectorum situm esset:* (15) *ut vocem negativam in Senatu haberet:* (16) *ut qvodlibet Parlamentum* VII. *Senatores è Senatu removendi &* VII. *alios substituendi potestatem haberet:* (17) *ut omnia Acta, qvæ sub nomine hactenus Custodum libertatis Anglicæ emanassent, in posterum sub Protector. nomine publicarentur:* (18) *ut proditionis ac Majestatis reus haberetur, qvicunq; Regimini præsenti obloqvi auderet:* (19) *ut omnia bona in fiscum redacta & redigenda publicataq; in Domini Protectoris sustentationem cederent:* (20) *ut omnia Parlamentorum præteritorum Acta & Decreta, alienatio-*

*tionem feudorum ac ditionum concernentia, in suo vigore manerent, Possessoresq́; qvietè possiderent:* (21) *ut potestas Titulos honoris ac dignitatis conferendi penes Dn. Protectorem esset:* (22) *ut* deniqve *Dn. Protector, tempore intermedio inter Parlamentorum conventus, omnia negotia Nationum cum auxilio suorum Consiliariorum ordinandi ac disponendi potestatem haberet.*

## LXV.

## *E PROTECTORIO hocce INSTRUMENTO qvid maximè liqvet?*

Liqvet indè, *Statum Britanniæ Democraticum mox abiisse in Despoticum.* Jus enim belli & pacis, jus fœderum, jus ferendarum Legum, jus titulos ac dignitates conferendi, jus eligendi pro lubitu Consiliarios Status, qvorum vita ac honor in unius manu essent sita, persona ipsa, qvæ Sacro-Sancta & inviolabilis esse volebat, & qvæ Majestatis reum peragi volebat, qvisqvis contrà mussitare auderet, jus insuper collectarum ordinariarum, &c. qvid aliùd qvàm *Statum Monarchicum,* vel *absolutissimum Dominatum,* arguunt? Verè *Autor Notarum Historico-Politic. in Vitam Oliverii Cromwell. Protect. Angl. Scot. & Hiberniæ, Lond. Anno 1658. editam,* §. 5. asserit: *nullam gentem licentiosius dominium in ullum transtulisse Regem, qvàm Anglos in suum Cromwellium.*

## LXVI.

### *Quâ arte verò Cromwellius ſupremæ potentiæ affectatæ ſuſpicionem amolitus, ſenſimq́; prenſando ſecuriorem eam reddidit ac ſolidiorem?*

De eâ ſic diſſerit in *Elencho Motuum nuperorum in Anglia P. I. p. 189.* BATEUS: *Cromwellius ſupremæ potentiæ affectatæ ſuſpicionem ut procul amoliretur, ſenſimq́; prenſando ſolidiorem redderet, ſimul ac Democraticis palpum obtruderet, communicatô cum Præfectis conſiliô decernitur:* ſummam rei ſelectis undiqve ſanctis & piis hominibus, numero centum qvadraginta qvatuor, per ſex menſes eſſe committendam: qvos penes foret omnia temperare, atqve eâ prudentiâ regere, ut, vitiis planè deletis omnibus, concordia & pax alma genti affulgeret. *Igitur, adſtipulante Cromwellio Præfecti exercitus, è ſanctiſſimis, qvos nôrant, & inveſtigare poterant, uniuscujusq́; Comitatus & Municipii, totidem ſanctos evocavêre, qvos jam clavo admovent, de arduis trium Regnorum negotiis conſultaturos, homines maximam partem illiteratos, ex imâ fæce, proletarios, at eosdem Zelotas, Catabaptiſtas, Chriſtocraticos, Democraticos, Fanaticos, utq́; unico expediam verbo, ex omni Sectâ Turbones neqviſſimos. Hiſce tamen intermiſcebantur (qvos ille fidos fecerat beneficiis & maximè obnoxios) Cromwellii callidiores aſſeclæ: qvi cæteros ex occaſione moderarentur, inſanaq́; molientibus*

*frenos injicerent, &c.* Habes verbis *BATEI* schema: qvô suas ad imperium absolutum flammas obtexit *Cromwellius*, incendium Monarchiæ sub legitimis Regibus intentans.

LXVII.

## *Sub PROTECTORIS nomine qvid interim ille exercuit?*

*Sub eô nomine*, qvod in Angliâ antehâc in usu fuerat, (ita enim *Eduardi* VI. *Tutor*, qvi reverâ universæ Pro-Rex erat Angliæ, dictus est *REGNI PROTECTOR*) *tàm impotentem exercuit Cromwellius Dominatum: ut nec ab aliqvot seculis qvisqvam ita impotenter dominatus in Anglia fuerit, qvàm ille.*

LXVIII.

## *Tum demum qvid damnô suo Anglicanus expertus est populus?*

Expertus est, *se non recuperasse libertatem*, neqve hanc sibi à Cromvvellio concedi, *sed potius in summam servitutem esse redactum.* Veteri namqve Parlamento, cujus membra pleraqve negligenter ac avarè res suas tractabant, dissoluto, ut morientis libertatis vestigia manerent, imò & ipsa penitus randem opprimeretur, novum ex amicis obnoxiisqve sibi hominibus Cromvvellius constituerat: qvi, potestate, omni in ipsum translatâ, ipsius imperio se subjiciebant, ac tanqvam *trium Regnorum Protectorem* venerabantur.

LXIX.

## LXIX.

### *Rei hujus qvis exitus?*

*Pertæsus Populus Cromwelliani regiminis*, & cumprimis Nobilitas, qvæ in admodum miserrimum ſtatum erat redacta, *priſcum cœpit anhelare ſtatum*: præprimis ubi jam fatis, qvi inter tot odia, invidias, labores, gentium rancores, inter tot ſubtiliſſimas pariter ac atrociſſimas conſpirationes, omnibus Orbis Magnatibus (licet aliud ſimularint) inviſus ac incolumis ad ſeram ſenectutem aſcenderat, ceſſiſſet Cromvvellius. Undè & *MONCKIUS* id unum tunc egit: ut Carolus II. è Batavia revocaretur. Revocatus igitur *Anno 1660. d. 8. Maji*, & publicè Rex proclamatus, *d. 8. Jun.* ſolemniter Londinum fuit ingreſſus.

## LXX.

### *Qvæ igitur cum Rege ſuo poſtlimi-nio qv. rediit Reipubl. Angl. Forma?*

Rediit cum *Carolo II. ſtatus Reipubl. mixtus*: qvi jam ab antiqviſſimis temporibus ap. Anglos obtinuerat: ita tamen ut Populus multùm particeps foret Reipubl. *Monarchia* proinde *reſp. Domus Super. Ariſtocraticè, reſpectu verò Domus Inferioris Democratice, nec tamen æqvaliter, ſed qvia autoritas Populi prævalet, Democraticè magis, qvàm Ariſto-*

*craticè mixta, in Anglia noſtrô hoc ævô obtinere videtur.* Et ſanè hæc facies Reipubl. jam Anno MC. cœperat. Etiamſi enim res Anglorum antè maligno locô eſſent, Populo à Wilhelmô Conqveſtore miſerè in ſervitutem redacto: in majorem tamen libertatem deinceps, (Seculis nempe XII. XIII. XIV.) is aſſeri cœpit. Iterum Regum crevit Autoritas, & contrà Populi decrevit libertas. Præprimis autem poſt Eduardi III. tempora Regis potentia crevit, ac populi libertas decrevit: ut ſic omninò pateret, *in perpetuo motu Reſpubl. mixtas eſſe, modò prævalentibus principibus; modò prævalente populo.* Ad illum verò modum ſe Reſpubl. Anglica in tempora usqve Jacobi habuit. Nam ſimul ac ille cœperat oſtendere animum à ſtudiis bellicis alienum: populus factus illicò elatior ac ditior, cœpitqve erigere criſtas. Etiamſi enim in omnibus ferè Comitiis Rex, cum Populo de Autoritate litigans ſemper declamaret, *ſe habere jus ſummæ poteſtatis*; Populus tamen contrà in alteram urgebat partem, *autoritatem gerendæ Reipubl. penes populum eſſe, ſeq; non paſſurum, ut à Regibus ſupprimeretur.* Carolus qvidem Stuartus, hujus nominis I. propugnare inſtitit Autoritatem Regiam, ſed infeliciter: donec tandem ejus fil. Carolus II. admirabili DEI beneficio ad gubernacula Reipubl. iterum admotus, ſalvam Parlamento autoritatem conſervari permitteret.

LXXI.

*Ecqvid rei ANGLIÆ est PARLAMENTUM?*

*PARLAMENTUM ANGLIÆ est nihil aliud qvàm solemnis Regni Conventus, vel supremum Gentis Concilium: qvod hâc fini constituitur: ut de summis rebus in commune consilia ibi suscipiantur atqve instituantur.* Atqve sic omninò *Parlamenta Angl.* non *Dicasteria* significant, ut in Gallia; sed *Ordines Regni*, h.e. eos, qvibus facultas est deliberandi & decidendi de publico data.

LXXII.

*Angliæ proinde Parlamentum qvô nomine non ineptô diceres?*

Ego eqvidem ad imitationem Livii, qvi universum Ætoliæ Concilium *Panætolium* dixit, Angliæ Parlamentum non ineptè dicerem *Panangluim*. *Omnis* namqve *Regni vigor consistit ibi in Cleri, Nobilium, Popularium Ordine: Duces, Marchiones, Comites, Barones, nobilioris in Republ. Angl partis defunguntur vice: Eqvites, Armigeri, Nobiles ac Plebeji Multitudinis locum implent.* Cleri nomine Præsules adsunt. Caput totius Corporis à multis retrò lapsis seculis ipsa Regia est Majestas.

LXXIII.

*Qvomodo dividitur?*

Qvum ab antiqvissimis tempp. duo fuerint, qvi in Comitiis Regni vel ipso *Parlamenti An-*

*glici* nomine intellectis, habuêre locum, *ORDINES*, in *DOMUM* qvidem *SUPERIOREM* (qvæ conventus est Primorum) & *DOMUM INFERIOREM* (qvæ conventus est Inferiorum, diciturqve aliàs *DOMUS COMMUNIUM*) commodè dividitur. Ita namqve semper illi, qvi Comitiis interfuêre, in hos duos Ordines divisi: ut hoc ipso pacto *duo* in Anglia *Parlamenta* forent, *superius* & *inferius*, illudq; *Proceres*, hoc *Nobiles* ac Civici constituerent, utriusqve verò consensu ac autoritate leges Reipubl. accedente tamen jussu Regio, conderentur.

LXXIV.

## *DOMUS SUPERIOR anne & suas habet Classes?*

Habet omninò suas Classes. Ad eam enim pertinent (1) *omnes Archi-Episcopi & Episcopi*, (2) *omnes Duces, Comites & Barones.* Sic jam *duæ* indè emergunt *DOMUS SUPERIORIS Classes:* qvæ altera *Procerum Ecclesiasticorum*, altera *Procerum Secularium*, utriqve communi nomine *Lords* dicuntur, Scoticè *Layrds*, & compellandi sunt nomine *Mylords*, q. d. *Domini mei.* Sed dignitas non à persona, sed à territoriô dependet: prout in nostro Imp. moris est, ut jus standi in Comitiis territorio sit annexum.

LXXV.

## *Qvorum magna olim in DOMO SUPERIORI erat autoritas?*

*Apud*

*Apud antiqvos Reges*, & qvidem Statu Ecclesiæ Romano-Cathol. prævalente, *admodùm magna Archi-Episcoporum & Episcoporum erat autoritas:* qvippe hi nec ipsis obtemperabant Regibus. Dependebant enim illi omnes à Rom. Pontifice. Atverò ubi *Henricus* VIII. etsi omni ex parte dogmatibus Rom. Ecclesiæ esset addictus, primus autoritatem Pontificis ex Anglia sustulerat, seseqve Ecclesiæ Anglicanæ Caput declaraverat, *Archi-Episcopi* tunc & *Episcopi* unum Regem, ut Dominum & Caput suum, suspicere cœperunt. Ab eo igitur tempore Reges multùm potuêre in *Superiore Domo:* utpote qvi Archi-Episcopos semper sibi habebant obnoxios. Cæterùm, imperitante Cromvvellio, nec Archi-Episcopi nec Episcopi in Angliâ fuêre, nec ulli horum ad Consilia Reipubl. sunt admissi. Simul autem hodiernus Rex Carolus II. pedem in Britanniam intulit, nihil ipsi fuit antiqvius, qvàm poscere, ut in integrum *Ordo Archi-Episcoporum & Episcoporum* restitueretur, idqve tandem impetravit. Undè & Anglia hodiè suos habet *Archi-Episcopos & Episcopos.* Nec tamen illi eâ sunt autoritate, qvâ antehac fuêre.

## LXXVI.

## *Qvo tempore tamen prorsus abolita DOMUS illa fuit SUPERIOR?*

*Tota illa Superior Domus fuit abolita, simul ac Carolus I. securi esset percussus:* adeoqve o-

mnes Duces, Comites, Barones seclusi fuêre à Comitiorum jure. Prætextus erat hic: *qvod Respubl. pertineret ad Populum; illi verò non repræsentarent Populum, sed qvisq́ suam tantùm ageret caussam.* Itaqve, *ad Comitia non alios esse vocandos*, ajebant, *qvàm Anglicanum Populum, reliqvis omnibus exclusis.*

## LXXVII.

### *Qvando restitui cœpit?*

*Post obitum Cromvvellii, etiam ante Regis adventum, Domus illa fuit restituta*: id qvod qvidem Carolo II. commodè cessit. Duces namqve, aliiqve & reliqvi satis experti fuerant, se salvos esse non posse, nisi per Regem. Sic itaqve *Superior* hodiè *Domus* in integrum restituta, rursùsqve Primores Regni ad Comitia vocantur.

## LXXVIII.

### *Vis verò Comitiorum penes qvam est Domum?*

*Est hæc penes Domum Inferiorem*: idqve vel propterea: *qvia vires Populi Anglicani non in potentia Ducum sunt collocatæ* (utpote qvi interdum Titulares potiùs, qvàm magnæ alicujus potentiæ) *sed in eorum potissimùm potentiâ consistunt*, qvi ad *Inferiorem* pertinent *Domum.*

## LXXIX.

### *Qvis nomine omnium in Comitiis verba facere solet?*

Facere verba nomine omnium ſolet *ORATOR*: qvi è Domo Inferiori eligitur, à Rege verò confirmatur.

XXC.

*Domus inferior è qvibus Membris potiſſimùm conſtat?*

In Parlamento inferiori Membra ſunt *Eqvites* & *Municipes*, unô nomine *the Commons*: qvorum bini pro ſingulis Burgis ſ. Oppidis ac totidem pro Nobilitate ſingularum Schirarum comparent. *Schiras* autem comitatibus æqviparant Geographi: qvod tamen ſtylo Politico Anglorum minus congruum: (1) qvia plures Comitatus qvàm Schiræ, Schiris numerô 52. Comitatibus verò 65. exiſtentibus: (2) qvia Tractibus illis, qvi Schiræ vocantur, non Comitum, ſed Ducum Tituli adjecti leguntur. Tales ſunt *Cornubia*, *Glouceſtria*, *Cantabrigia*, *Eboracum* &c. qvæ omnes Schiræ ſunt: Sed illuſtres Perſonæ, ab iis denominatæ Titulum non Comitum, ſed Ducum habent. Indeqve *Dominia* commodiùs, qvàm *Comitatus* dicuntur.

XXCI.

*Tempore Cromvvellii Domus Inferior qvomodo ſe habuit?*

*Initiô ſtatim poſt Regis cædem Domus Inferior ita cœpit ordinari: ut perpetuum eſſet Parlamentum, qvod perpetuò regeret Rempubl.* Sed paulò poſt mutavit Reſpubl. & inſtitutum

*Par-*

*Parlamentum triennale*: qvod deindè iterum mutavit: donec tandem Cromvvell. omnia ad se raperet, nullam, ne *Minori* qvidem *Domus*, relinqvens autoritatem: qvippe qvæ tunc ad homines merè fanaticos redierat. Restituit tamen illam qvoqve in pristinam suam *Carolus* II. autoritatem.

## XXCII.

### *Qvod votum interim Regi in Parlam. utriusq; Domus communiter tribuitur?*

Communiter Regi ibi *votum* tribuitur *negativum*, h. e. ut possit Decreta Parlamenti improbare: sed *affirmativum* ipsi concedere nolunt, h. e. ut possit Parlamentum adducere ad Decretum aliqvod promulgandum. Ampliore tamen Rex modernus potestate uti videtur: præcipuè ubi plenum sibi jus armorum tribuit. Insigne documentum hujus rei dat nuperrima hostilitas Belgas inter & Anglos. Ejus enim& initia & incrementa aliqvot pugnis navalibus jam antè facta fuerant, qvàm in deliberationem publicam res deveniret.

## XXCIII.

### *Penes qvos aliàs per Leges Regni jus belli & pacis est?*

Qvanqvam militarem Disciplinam solus hodie Rex habeat: jus tamen pacis & belli penes *Ordines* est *in Comitiis*.

## XXCIV.

### *Qvis poteſtatem in cæteris rebus civilibus habet ?*

Næ Rex neqve leges ferendi, neqve vectigalia & tributa indicendi poteſtatem habet ſolus. Hæc enim omnia ſunt penes Comitia. Habet tamen Rex jus monetæ: ſpurios autem natalibus reſtituere, exteros in civium numerum recipere, atqve ponderibus & menſuris modum conſtituere Rex & Parlamentum ſimul poſſunt. *Civiles* porrò *Magiſtratus, bellicos* & *togatos omnes, judicesq́.* Rex eligit, *minores* plebs. Reos verò Majeſtatis Rex ſupplicio afficere non ſolet. Per totum igitur Rex *jurisdictionem civilem* & *criminalem* cum imperiô merè mixto exercet. Qvin imò & Rex, nec filii, nec filiæ, nec & proprium, abſq; conſenſu Parlamenti concludere poteſt matrimonium.

## XXCV.

### *Qvæ igitur ratio, mixtam hanc Rempubl. feliciter adminiſtrandi ?*

*Magiſtratus ſacros* omnes Rex conſtituit ſolus per *Archi-Epiſcopos* & *Epiſcopos*: eſtqve hac in parte nullum jus Comitiis Regni. *Qvod Regimen Civile attinet*: & qvidem *in rebus, qvæ ad pacis negotia pertinent: omnia ſic ſatis benè adminiſtrantur per Judices & Aſſeſſores,* qvos Rex per Regnum ſuum conſtituit. Qvod ad *negotia belli*, itidem ſic ſatis benè illa adminiſtran-

ſtrantur. *Alit* enim *Regnum Anglicum perpetuum hodiè militem terrà mariq́;* : qvod antehac nunqvam fecit, niſi à Cromvvellii demum temporibus : Illi ſiqvidem ad tutandam autoritatem, qvum eſſet Tyrannus, perpetuus neceſſarius erat miles.

## XXCVI.

### *Qvibus verò de cauſis perpetuus hodie alitur miles?*

Id fit vel propterea : qvia (1) *maxima Populi multitudo adſvevit armis : ita ut aliunde non poſſit vivere.* Si Rex Igitur omnem militem exauctoraret, populus non poſſet non tumultuari, resq́ve novas qværere. (2) *Qvia hinc indè compeſcendi præ aliis malè affectis hominibus multi ſunt homines fanatici.* Hi qvippe adeò dementati ſuis hæreſibus : ut etiam in ferrum & ignem ruant. (3) *Qvia Cromvvellius ſui maximè exemplo oſtendit, qvanta potentia Regis ſit Anglicani, ſi qvidem ſemper alat militem.* Si itaqve Rex militem exauctorare vellet, neceſſariò Cromvvellii, fatis jam longè vitâ functi, exiſtimatio autoritati prævaleret Regiæ. Intra biennium ſanè formidabilis ſuo milite Cromvvellius toti terrarum Orbi terrâ mariqve eſſe cœperat. Unde omninò neceſſarium erat : ut Rex hodiernus *milite perpetuo* eandem ſibi autoritatem compararet.

## XXCVII.

### *Ecqvæ ratio Juris eſt in Anglia?*

Jus

Jus Anglicum è consvetudinibus R. & Statutis, per Regem in Comitiis Parlamentariis cum consensu Ordd. Regni conditis, constat. In his omnibus, si qvi casus omissi sunt, vel si qvid obscuri, aut ambigui emergat, qvod interpretationem desideret, non recurrunt Judices ad jus Civile Rom. sed suo arbitrio ac conscientiæ relinqvunt: nisi tanta caussæ difficultas, qvam Judices dirimere neqveant. Tunc enim ad Curiam Parlamenti defertur, per eam terminanda.

## XXCIIX.

### *Judiciis Criminalibus Procerum dijudicandis qvis præponitur?*

Præponitur *Comes Stabuli* s. ut compendiosè scribitur *Conestabilis*, nonnisi urgente necessitate, & veluti Anglorum JCti loqvuntur, *Hac vice*, s. pro tempore, institutus.

## XXCIX.

### *Conestabilis qvanta aliàs est dignitas in Angl. Regno?*

Tanta est, ut primas ferè teneat, olim plerumqve filiis, fratribus, aut avunculis Regum commissa, tandem qvoqve ad Staffordos, Duces Buckinghamiæ jure hæreditario delata. Hodie eandem dignitatem Rex solummodò primis Regni Proceribus demandat, & qvidem raró ac tantùm pro tempore, ob summam potestatem, qvod munus hoc in se habet.

XC.

## XC.

## *Anne in uno Angl. Regno maxima hæc dignitas obtinet?*

Non in uno Angl. Regno eſt ad tempus *Conneſtabilis*: Sed & datur *M. Coneſtabilis Caſtiliæ*, qvi nunc adminiſtratione Belgii Regii fungitur. Eſt in Gallia è duobus Miniſtris Coronæ *M. Coneſtabilis primus*, & res bellicas adminiſtrat.

## XCI.

## *Sed Ratio Status Regni Anglicani qvæ eſt?*

Angliæ certè, qvæ diſtinctum qvaſi *parvum Orbem* conſtituit, cum aliis Principibus nihil foret negotii: niſi ad hoc propter commercia, tanqvam veram Rationem Status, obligaretur. His enim mediis beata eſt: & ob ſituationis ſuæ commoditatem non parum in conſiderationem venit. Poſteaqvam autem ſub umbrâ illius inter Philippum & Mariam conſiderabilis matrimonii Hiſpanica molimina inſenſibiliter ſe prodiderant: Anglia modò Gallico, modò Hiſpanico ſe accommodavit Statui. Regina tamen *Eliſabetha*, qvæ ob prudentisſimam ſuam adminiſtrationem etiam potentiſſimis Chriſtiani Orbis Regibus æqviparari poteſt ( eò qvod Statûs Regni ſui apprimè gnara eſſet, ) maximam Status ſui Rationem in eo conſiſtere arbitrabatur: *ut concordiam in Regno ſuo aleret, priorumq́ factionum reliqvias totaliter extingveret.* Judicabat namqve,

namqve, prout res eſt, Angliam animal tam vaſtum eſſe, qvod non niſi propriis manibus mori poſſet. Atqve *hoc* ipſum *conſilium* eſt, qvô hodieqve Rex Angliæ utitur in ſtabiliendo ſuo Regnn, *ut ipſe nempe diſcordias civiles, qvibus plus qvàm ullum Regnum ferè obnoxia fuit Angliâ, tollat.*

*XCII.*

## *Qvæ præterea Ratio Status eſt in Anglia?*

Qvum deinde pro fundamentali Regula haberet *Eliſabetha*, *exterminare Religionem Romano-Catholicam* (eò qvòd hoc unico medio Hiſpanorum machinationes impediri poſſent, qvi ſub hujus prætextu omnes fovere rebelliones conſveverant) Religionis Romano-Catholicæ incrementum hodieqve in Anglia non permittitur. Non id, inſto, permittitur: ne ſub Religionis illius prætextu inimici qvidam Regno imminere poſſint.

*XCIII.*

## *Qvæ tertia in Anglia Ratio eſt Status?*

Qvum *Eliſabetha* Rationem Status ſui, præter *communem aliorum Principum Rationem Status*, peculiariter & in hoc ſitam eſſe intelligeret, *ut Religionem Proteſtantium* (*Reformatos* puto) *propagaret, indeq; pari ſe Zelo, qvo Rex Hiſpan. ſe Religionis Romano-Catholicæ Protectorem, oſtenderet:* Proteſtantes non modò in Gallia devinctos ſibi tenet; ſed, & in omni-

omnibus negotiis arctissimè Protestantium *interesse* observare studet Anglia. Cumprimis autem Classem, qvâ ipsius naturæ beneficio satis valida est Anglia; instructissimam habere, eaqve exultantem vicinorum (ut *Batavorum* & *Gallorum* hodiè) fortunam compescere, è re sua Anglia existimat.

XCIV.

*Qvis Regni tandem Anglicani Scopus ex iis omnibus, qvæ tenus hac dicta, apparet?*

*Apparet* è dictis: *in Anglia utilitatem spectari communem*, nec ibi omnia administrari ad utilitatem dominantium, nec omnia administrari ad solam utilitatem Populi, sed ad communem. Atqve hâc in parte benè se habet Anglia. Semper enim *in universum meliores istæ sunt Respubl. qvæ spectant utilitatem communem.*

XCV.

*Ob communem isthanc utilitatem qvæ jura prætendere solet Anglus?*

*Jus* ibi *tribuit* (1) *in Franciam:* Ideoqve se etiam *Regem Franciæ* appellat. Etenim qvia Caroli VI. Galli filia Anglorum Regi Henrico V. Anglo nupserat, hâc ipsâ de caussâ post defectum filii in Carolo VIII. ad se Coronam pertinere Angli dicunt. Regerunt Galli, vigore *Legis Salicæ*, qvâ fœminæ Regni Gallici incapaces sunt, omnem Angliæ in Franciam
de

de jure prætensiouem cadere. Neç verò è *capite matrimonii* tantùm Anglus Franciam prætendit, cui Franci suam opponunt Legem Salicam; sed etiam è *capite acqvisitionis bellicæ:* qvia bello ceperant Angli Franciam. *Tribuit* sibi *deinde jus Anglus* in *piscationem halecum,* qvæ qvotannis à Batavis fit in Oceano Anglicano: indeqve, certum sibi deberi vectigal, ait. *Vectigalis postulati rationes sunt hæ:* qvia (1) *Rex Angliæ maris Anglicani sit Dominus:* (2) *qvia certum vectigal Regibus Angliæ pro maris usu jam antiqvitùs datum:* (3) *qvia peregrini Dominium hoc velorum demissione in Mari Anglicano agnoscant. Prætendit* deniqve *Anglus* qvoqve *libertatem* à *vectigalibus in Mari Balthico:* & qvidem ob privilegium, Regno Angliæ jam olim concessum.

## XCVI.

### *Ecqvæ æmulationes heic maximè sunt notabiles?*

*Notabiles* valdè sunt *antiqvæ* illæ *inter Anglos & Gallos æmulationes.* Nam Gallorum olim flagellum Angli fuerunt: qvanqvam è tot victoriis ne terræ qvidem pedem retinuerint. Nam Galli, qvanqvam semper victi, non amissa tantùm recuperarunt; sed & ipsis Anglis Normann. & Aqvitan. eripuerunt. Qvum verò ante 100. annos urbem qvoqve *Caletum* qvæ sola adhuc in potestate erat Anglorum, Galli reciperent, & ab omni terra continenti illos iterum in suam pellerent Insulam, rogati à Gallo Angli, ecqvan-

qvando in Gall. reversuri essent, haut ineptê responderunt: *Tunc temporis revertemur, qvando vestra peccata majora erunt nostris.*

XCVII.

*Talia & alia qvamplurima Regni Anglici notabiliora undè fusiùs haurire licet?*

Haurire licet ea omnia, qvæ ad proposita Erotemata respondi, è *Reipubl. Anglicæ*, *nec minus etiam ipsarum Rerum Anglicarum*, *Scriptoribus*. Qvi verò de ista Republ. singularem scripserit librum, non reperitur unus. Habemus enim *de Republ. Anglicanâ Dissertationes P. HONORII, & NICOLAI BELLI, & CASP. ENSII.* Habemus de eadem Republ. *Dissertat. in Archontol. Cosm. GOTHOFREDI.* Extat etiam *Libellus* in Hollandia *de Angliâ* editus: qvi maximè *THOMÆ SMITHI Librum de Anglia* continet. Vixit ille in Anglia tempore Elisabethæ, scripsitqve Librum suum non Latinè, sed Anglicè. Ex Anglico deindè illum nonnemo in Latinum transtulit sermonem. Præter hos, qvi sunt *Reipubl. Anglicanæ Scriptores*, *Res Anglicanas descripserunt*, qvamplurimi. Floruêre enim literarum studia in Angliâ à multis Seculis. Omnium antiqvissimus *VENERABILIS* est *BEDA*, *Presbyter Anglic.* tempore Justiniani IIdi clarus circa A. C. 690. & mortuus sub Leone III. Anno 732. Inter plurima autem, qvæ VIII. *Tomis* comprehensa scripsit, *Res* etiam *Anglicæ* sui sunt temporis. Præter illum adhuc sunt plures:

res: inter qvos maximè eminet *MATTH. PARIS*, s. ut alii vocant, *PARISIENSIS*: qvi Seculo XIII. vixit, & *Historiam Anglican. à VVilhelmo Conqvestore ad Henricum usq́; III.* pro captu illius Seculi scripsit, perqvam eruditè tamen & magnâ cum παῤῥησίᾳ. Etsi enim Monachus esset S. Albani, tamen, qvalis tunc Ecclesiæ Anglicanæ Status; & qvemadmodum illa à Curiâ Romanorum vexata fuerit, non reticuit. Cumprimis laudem in *Historia Anglic.* qvam *Libris* XXVII. persecutus, meretur *POLYDORUS VERGIL. Italus*: qvi vixit sub initium superioris Seculi, tempore nempe Henrici VIII. Minori tamen in pretio is est ap. Anglos. Ita namqve *Savil.* Præfat. *Rer. Angl. Scr. ad Reg. Elisabetham*: *Homo fuit Italus, inq́; rebus nostris hospes, qvodq́;, caput est, neq́; in Republ. versatus, nec magni alioqvi vel judicii vel ingenii.* Pejus est, plagii ipsum accusari: qvum scriptis Lelandi, doctissimi inter Anglos viri, magnopere adjutum dicant, cujus nomen tamen reticuerit. Extat deinde *præclara Historia VVILHELMI CAMBDENI* de rebus Elisabethæ, qvæ lectu est dignissima. Elisabetha namqve prudentissimè & felicissimè Angliam gubernârat, longeqve hoc in passu superârat Jacobum. Observandum verò: qvòd Cambdenus ipse, dum vixit, non nisi *Partem Imam Historiæ* hujus ediderit. *Alteram* enim *Partem* non ausus est edere: qvum veritas odium pariat, nec consultum sit de vivis edere Historiam. Debemus igitur *alteram*

*Cambdenianæ Hist. Partem* NIC. PEIRESKIO : cujus nomen ſicut eò usqve Muſarum favore inclaruit, ut pridem non ſuis magis qvàm Mæcenatis Gallici titulis celebratum ſit ; ita tota vita tot civilium laudum exemplis effloruit, qvot facundisſimus ejus enarrator *P. GASSENDUS* vel ſagacisſimo animo complecti, vel aſſeqvi etiam politisſimâ ſtyli facultate potuit.

# SECTIO II. *DE* SCOTIA.

## EROTEMA I.

### *Scotia qvæ pars Inſulæ Britannicæ?*

EST *pars ſeptentrionalior*, ab Anglia fluvio *Tuedâ* ac *Salvejô diviſa. Peninſula* videlicet eſt, qvam qvidem mons *Grampius* interſecat. Qvum autem ratione Angliæ ſic ſatis ſit munita, nec pedeſtri itinere adiri posſit, niſi ab Anglis, Romani olim, ut Britanniam citeriorem ab incurſionibus Scoticarum gentium defenderent, muro diſtinxerunt eam. Cumprimis confici murum hunc Severus curavit Imperator : cujus qvidem rudera adhuc extant : qvamvis aliàs murus ſit dirutus.

## II.

### *Qvanta illa eſt?*

Scotia

*Scotia in 16. Provincias* divisa, (qvarum *Meridionales* aliæ, aliæ *Septentrionales*,) *longitudinem* 70. & *latitudinem* 50. Milliarium German. habet.

III.

## *Qvæ Insulæ huc pertinent?*

Ad *Scotiam Insulæ variæ*, *majores* ac *minores, pertinent. Proximæ* verò Scotiæ Insulæ *Hebrides* sunt, *numerô* 44. Eodem etiam pertinent *Insulæ Orcades, numerô* 30. qvamvis propriè illæ pertineant ad Regnum Norvvegiæ. Nam Scotiæ certis saltem conditionibus cesserunt: qvum Christianus I. Rex Dan. Filiæ suæ dotis locô daret Orcades, sed qvovis tempore certâ redimendas pecuniâ.

IV.

## *Scotiæ qvæ Metropolis?*

*Edenburgum* in *Laudonia Regni est Metropolis*, inter montes sita. In edito verò monte *Castrum puellarum* habetur: in qvo priscorum Scotiæ Regum & Nobilium filiæ manuarias artes discebant, ibiqve arctè custodiebantur.

V.

## *An Regnum ejus cum Regno Angliæ opibus atq; potentiâ comparari potest?*

*Neutrâ hâc re comparari Scotiæ cum Angliæ Regno Regnum potest. Est* autem caussa prima *sterilitas*. Nã Scotia incolas suos omnes

non poteſt alere. Undè & in varias Orbis partes emigrare coguntur, præſertim verò in Polon. qvæ *Mater* inde *Scotorum* appellatur. Altera cauſſa eſt *barbaries.* Maxima enim Scotiæ pars inculta & barbara eſt, maximè versùs Occidentem & Septentrionem : utpote cujus incolæ *homines altæ terræ*, ſ. *ſylveſtres Scoti*, vocantur.

VI.

## *Qvæ qvalitas igitur terræ eſt Scoticæ?*

*Non adeò benigna terra eſt Scotica, ſed ſcopulis multis ac rupibus ſterilibus diſtincta :* eò qvòd maximè illa ſeptentrionalis, indeqve incommodis his, qvæ ſecum ſitus fert ſeptentrionalis, obnoxia. Cæterùm feris, avibus & piſcibus abundat. Habet etiam auri argentiqve fodinas & carbones foſſiles (Steinkohlen) qvi tamen magno numero & qvantitate exportantur : Nec enim è ſolo Novo Caſtellano tractu peti ſolent. Salem item habet ac aliqvid ferri & æris. Sibi itaqve ſufficere poteſt Scotia : ſed indè qvicqvam exportari non licet. Lini qvoqve ferax eſt & abietum aliarumqve arborum ſylveſtrium, imprimis etium betularum : ut ita appareat, *Scotiam non numerandam eſſe inter Regiones opulentas, ſed pauperiores.*

VII.

## *Scotorum verò ingenium qvale?*

Graphicè id deſcriptum habemus à *JOH. BARCLAJO*, origine *Sceto :* qvi tamen vixit in *Gallia.*

*Gallia.* Certè non tacuit *Barclajus* Virtutes: nec & Vitia suæ Gentis tacuit.

## VIII.

## *Quæ morales Scotorum sunt Virtutes?*

Sunt illi *temperantes*, *fortes*, & inter se colunt *justitiam*: sed *vindicta* suprà, qvàm credi potest, sunt *cupidi*. Malus siqvidem mos ille populum hunc ab aliqvot seculis sic infestavit: ut ipse sit divisus in tot factiones, qvot ibi *Familiæ* sunt *Nobiles*. Qvælibet harum suæ eligit gentis Caput. Si qvis jam Familiæ illius injuriâ afficitur, vel si injuriâ se credit affectum, non apud judicem hâc de re, aut apud Regem, ut fieri debebat, sed apud suæ Familiæ Caput conqveritur, credens, illatam esse injuriam toti Familiæ. Convocatur igitur tota Familia, & deliberatur, an vindicanda sit injuria. Atq; hinc omninò fit: ut Scotia perpetuis laboret dissidiis. *Fortes* interim Scoti manent: qvia semper erecti sunt animi Viri; neqve adeò animum possunt ad vilia deprimere studia. Qvi tales autem sunt, plerumq; fortes sunt & bellicosi.

## IX.

## *Quæ Virtutes intellectuales sunt Scotorum?*

*Ingeniô satis sunt apti ad studia*: vereqve docuit experientia, è Gente illâ prodiisse nonnullos acutissimo ingenio. Ita ante annos 400. Orbis eruditus ingenium *JOHANNIS DUNS SCOTI* admiratus fuit. Fuit is Monachus Or-

dinis Franciſcani, tanti qvidem acuminis, ut tum temporis Titulum *Doctoris ſubtilis* meruerit. Omnes enim ſubtilitate ingenii ſuperavit, res tamen fidei implicans magis, qvàm explicans. Ipſius hinc Diſcipuli, *Scotiſtæ* qvi dicuntur, cum *Thomiſtis* æqvè adverſis caſtris pugnare cœpêre, ac *Domtnicani* cum *Franciſcanis*. Nôrant enim *Scotiſtæ* Theologiam, qvæ tum temporis in creberrimo erat uſu, Scholaſticam à Scotô ſuô adeò excultam fuiſſe, ut omnem ſuperaret fidem. Similiter, *BARCLAJUS* qvantum valuerit ingenio, notum eſt. In *Icone* certè *animorum* terſiſſimos ſubtiliſſimosqve εἰκονισμοὺς ſectatus eſt; id tantâ faciens elegantiâ, inventione, contextu, ut mutuatus qvædam videri poſſit è ſingulis characterum generibus. Clarus & idem noſtri ſeculi *Heliodorus* eſt in ſuâ nunqvam ſatis laudatâ *Argenide*: ſub cujus nomine non ſolùm Reipubl. Gallicæ ſtatum ſuô tempore ſatis artificiosè depinxit; ſed etiam utiliſſimos & homini Polit. maximè neceſſarios injecit Diſcurſus: ut qvaſi Idea qvædam politioris cujusdam Politicæ videatur. Qvantum verò ingenii in *BUCHANANO* fuit? Valuit ille me Chriſte judiciô, prudentiâ & facundiâ, cùm Oratoriâ & Hiſtoricâ, tùm Poëticâ: ut etiam inter primarios hujus ævi Oratores, Poëtas & Hiſtoricos numerari qveat. X.

*Qvid notandum maximè heic?*

*Notandum* hoc maximè in illa felicitate ingeniorum Scoticorum: *qvòd, qvanqvam eô ingeniô à naturâ Scoti ſint donati, non multos tamen*

*men*

*men reperire liceat*, *qvi in omnigenâ eruditione magnos fecerint progressus.* Imputandum verò id illorum est paupertati. Aliàs præstanti sunt ingenio : sed paupertas obstat, qvò minus per literas emergere possint. Accedit : qvòd ea adminicula studiorum non habeant, qvæ qvidem Angli habent. Habent tamen suas Scholas : & rarò reperies Scotum, qvi omnis literaturæ expers. Habent qvoqve unam Academiam *Aberdonensem* : qvæ tamen non multùm floret.

XI.

*Cæterùm, Scoti qvot sunt generum?*

Sunt *duûm generum : Montani* nempe, qvi *Higlanders* dicuntur, lingvâ moribusqve ferè Hibernorum viventes : & *Campestres*, provincias incolentes australes, indeq; lingvâ & moribus Anglis haud multùm dissimiles.

XII.

*Cujus sunt originis?*

Originis planè sunt incertæ. Qvæ enim vulgò de adventu Pictorum & Scotorum ex Scythia vel Hispania traduntur, incerta sunt & fabulosa. *Cambdenus*, Pictos esse veros ac genuinos Britannos, demonstravit : qvia nimirum *Brit* Lingvâ Cambricâ *hominem picturatum* significat : indeq; fortè Romani illos *Pictos* vel *Pictones* appellarunt. *Scoti* tamen haut dubiè originem traxêre ab Hibernis : qvippe qvorum mores ac lingvã hodieq; referunt *Sylvestres* s. *Montani Scoti*.

XIII.

*Cum qvibus antiqvissimum Scotis ac perpetuum fuit fœdus?*

*Fœdus illis antiqvissimum* ac *perpetuum fuit cum Gallis*: qvippe qvod cœpit circa Annum Chr. 800. sub *Carolo M. Francorum* & *Achajo Scotorum Regibus*. Occasio autem fœderis istius fuêre perpetuæ inter Scotos, Anglos ac Francos inimicitiæ. Idqve ipsum in hanc usqve diem continuatur: neqve unqvam fuit ruptum, nisi circa annum Christi 1542. sub Reginâ Mariâ. Ea qvippe qvum esset è domo Gvisia, ac tyrannidem in Scotia affectaret, Gallorum auxilia evocavit: qvos Scoti paulò pòst ejecerunt.

## XIV.

## *Qvæ contentiones in Scotia extinctâ priscorum Regum Familiâ, exoriebantur?*

Extinctô sine prole Alexandrô III. Scotorum Rege, atqve interregnô illo sex Præfectorum per septennium ferè durante, *disceptari de successione in Regno Scotiæ incipiebat*. Præcipui inter contendentes *Joh. Balliolus* & *Robertus Brussius* è Scotica erant nobilitate: ille, qvia Davidis Regis ex filia majore neptem in matrimoniô habebat; hic, qvia ejusdem Regis Davidis ex filiâ minore erat pronepos. Qvum verò res, Eduardô Rege Angliæ judice, permissu Procerum disceptaretur, is sententiam dicturus, Regnum Balliolo pollicebatur, si se in Regum Angliæ clientelâ vellet profiteri. Accepit conditionem Regni Balliolus, inqve verba Eduardi juravit. Fecerunt & idem pleriqve

riqve Proceres: ſed paulò pòſt, qvum bella [inter Anglum & Gallum ferverent, negabant Scoti, Regi ſuo, non convocatis Ordinibus, qvicqvam licuiſſe, qvod ad Regni Statum pertineret, promittere. Ideoqve partibus Galliæ ſe addixêre, ac deditionẽ Regni revocavêre, omnemqve amicitiam renunciavêre Anglo. Ille bello ſtatim petiit Scotiam, victoriaqve in acie reportatâ, Balliolum Regem cepit. Sic Proceres in verba ejus jurare ſunt adacti. Abſente verò in Gallis Eduardo, Scoti, uſi illâ occaſione, Pro-Regem creavere *Gvilielmum Vallam*: qvi omnes Scotiâ exegit Anglos. Qvum tamen Rex redux è Gallia factus eſſet, copias qvidem Scotorum initiô profligavit, ſed in alterâ acie ipſe fugatus eſt, in tertiâ totam recepit Scotiam, omnesqve in ejus fidem metu coacti: donec tandem *Rob. Bruſſius* è ſpeluncis ac montibus, in qvibus latitaverat, progreſſus, exiguâ manu ac incredibili felicitate & fortitudine Anglos totâ ejiceret Scotiâ, Rexq; Scotorum Anno 1306. crearetur. Decreverunt tunc Scoti, ergaRegem, victoriam multis annis proſeqventem, grati: ut, ſi ſtirps ejus maſcula decederet, ſeqvior ſexus in familia ſuccederet. Et qvanqvam Pontificis R. fulmine percuterentur Scoti, is tamen, re omni expoſitâ, non ſaltem illô Scotos liberavit; ſed & Scotiam à beneficiô Anglorum liberam pronunciavit, ipſis Anglis omni jure in Regnum Scotorum decedentibus. Robertus verò Rex moriens hæredem *Davidem* filium octennem ſcripſit, & proximè *Robertum Stuartum*, ex filiâ nepotem

XV.

### *Ad qvam ergò tandem Familiam Regnum pervenit?*

Qvum Roberti filius David, totam ferè ætatem vel in exilio Gallico, vel in carcere Anglico tranſigens, tandem autem 10 millibus Marcarum Angl. ex illo liberatus, fatis ceſſiſſet, tunc qvidem *Regnum Scotorum* ad *Stuartorum Familiam* pervenit. Scoti enim Anno 1370. Davidi defuncto ſubſtituerunt nepotem ex ſorore *Robertum Stuartum:* cujus poſteritas hodieqve ſupereſt. Sic ergo Familia hodierna, ratione ſtirpis maſculinæ, *Stuarta* eſt, è Nobilitate Scoticâ oriunda.

XVI.

### *Sed, qvale hodie Regnum Scotiæ eſſe, cenſes?*

Ut Regnum Angliæ hæreditarium hodie & ad fœmellas qvoqve devolvitur: ita nec minus Scotiæ Regnum tale eſt. Certum ſcil. hoc eſt ab antiqviſſimâ memoriâ Scotos Reges ſuos habuiſſe hæreditarios. Succeſſio enim ſemper ibi fuit hæreditaria: usqve adeò, ut ad hæreditatem admitti qvoqve cœperint filiæ. Contigit id ſeculô ſuperiori. Jacobi enim V. filia Maria Patri ſucceſſit in imperio. Ex illa natus *Jacobus* VI. *primus M. Britanniæ Monarcha*, Henrico Arleo Stuarto Patre.

XVII.

### *Qvid obſervandum heic?*

Obſervandū id præprimis heic loci: *qvòd, tametſi*

*metsi Regia Scotiæ Familia credatur non interruptâ serie à Fergusio usq́, primô illius conditore, propagata, se aliter tamen res habeat, si qvis eam seriò examinet.* Nisi enim in Regiâ Familia ponamus fœmellas, non verum hoc est, qvòd illius continua fuerit successio. Aliqvoties siqvidem interrupta hæc fuit. Jure igitur fœmellæ heic sunt computandæ: qvoniam & illæ jus successionis, deficientibus masculis, habuêre.

## XVIII.

## *Qvæ Forma Reipubl. est Scoticæ?*

*Nunqvam in Scotiâ mera obtinuit Monarchia: sed æqvalem penè autoritatem Rex & Populus habuit.* Regia nempe autoritas semper temperata fuit autoritate Populi: ita ut par esset hujus cum illius autoritate autoritas, imò nonnunqvam superior. Non enim dubitatum fuit ap. Scotos, si qvidem Rex contra leges & jura Regni aliqvid committeret, soliô eum dejicere. Sæpissimè hoc contigit. Præprimis verò superiori seculo factum: ut, qvum Maria indignis se modis gereret, à Proceribus Regni regiâ exueretur dignitate. Indicat hoc: in Scotia semper fuisse creditum, *summam potestatem non esse in Regis arbitrio positam.*

## XIX.

## *In cujus verò arbitriô posita summa est potestas?*

Est *in arbitrio Populi posita:* qvod vel inde satis apparet; qvia, si bellum sit gerendū,

vel fœdus ineundum, vel leges promulgandæ, vel vectigalia indicenda, omnia fieri debeant ex consensu Populi, eademqve omnia deinde decidi debeant *in Comitiis Regni.*

XX.

*Hæc qvâ voce vocantur?*

Voce *Parlamenti* vocantur, ut in Anglia: in Gallia tamen non item. In Gallia enim sunt nonnisi *supremæ justitiæ Curiæ:* qvum in Angliâ & Scotiâ ipsissimâ *Regni* sint *Comitia:* si summatim dicere velimus, qvod res est.

XXI.

*Parlamentum in Scotiâ qvinam propriè constituunt?*

Constituunt id propriè REX & ORDINES. Rex qvidem primò potentiam indicendorum habet Comitiorum, nihilqve in Parlamentô agi potest, nisi de iis, qvæ Regi placuêre. Interim tamen non licet agere de qvibusvis ex Regis arbitrio. Qvæ Regi displicent, non agitantur in Comitiis: de illis etiam, qvæ populo displicent, ibi non agitur. Patet ergò, *Comitiorum potestatem ita divisam esse, ut dimidium sit penes Regem, dimidiumq; item penes Ordines.*

XXII.

*Ordines Scotiæ qvot & qvinam sunt?*

Sunt *numerô tres.* *Prior* est *Spiritualium*, der Geistliche Orden: ad qvem *Archi-Episcopi*, *Episcopi* & *Abbates* pertinent. *Alter Ordo* est

*Nobi-*

*Nobilium*: qvi sunt in duplici differentiâ; alii *majores*, ad qvos *Marchiones*, *Comites*, *Vice-Comites*, *Barones* pertinent: alii *minores*, *Eqvites* nempe ac *reliqvi Nobiles*. *Tertius Ordo* est *Civium*. Constituunt nempe hunc *Urbes* &, qvi in Urbibus degunt, *Cives*. Olim *qvartus Ordo* erat assumptus: qvem *reliqvus* constituebat *Populus*: perinde ut in Sveciâ. Scotia enim qvum in VIII. Circulos esset distincta, ex illis duo olim mittebantur ad Comitia Legati: qvi reliqvum repræsentarent populum.

XXIII.

*Penes tres istos Ordines qvæ ratio potissima agendi est in Comitiis?*

*Solent æqvali* per *delegatos* suos *cum Rege autoritate agere*. Rex solet delegatis proponere, de qvibus in Comitiis agi velit. Qvi si consenserint, res populo proponitur: si dissenserint, nihil eâ de re agitur. Idem fit, si Rex dissentiat. Ubi verò Regi placent, qvæ Ordinibus visa fuêre, Rex ea confirmat: & tunc *Comitiorum* fit *Decretum*. Non ergò Regi jus est, qvodvis pro arbitrio toti proponere Populo: sed, qvicqvid proponi in Comitiis debet, id non nisi consensu populi debet proponi. Qvicqvid item deciditur in Comitiis, non unius autoritate Regis deciditur, nec autoritate unius Populi sed utriusq;.

XXIV.

*Qvid discriminis hoc pactô inter Scotica & qvævis aliorum Regnorum est Comitia?*

Hac discrimen *Scoticæ* habent *Comitia: qvòd in illis Regi non liceat proponere, qvæ velit. Ubivis verò obtinet, ut Regi liceat proponere, qvæ velit: qvamvis non liceat illi decernere, qvæ velit.* Qvæcunqve itaqve Rex in Scotia vult proponere, necesse est, ut populo placeant.

## XXV.

## *Qvâ in re seorsim à Comitiis nostri differunt Imperii?*

Ea in re seorsim illa ab his differunt: *In Scotia convocatio Comitiorum est penes Regem. In German. verò Imperator Comitia cum consensu Electorum convocat. Contra ea Imp. nostro proponere licet, qvæ velit: qvod Regi Scotiæ non licet.*

## XXVI.

## *Qvo sic jam ordine omnia in Scoticis aguntur Comitiis?*

*Hoc aguntur ordine: ut caussæ à Rege & Cancellario explicentur.* Deinde *Domini Spirituales seorsim* VIII. *è Temporalibus deligunt: hi totidem eligunt è Spiritualibus: qvi totidem conjuncti è delegatis Urbium itidem* VIII. *eligunt. Hi qvidem conjunctim cum Rege ac Ministris Regni constituunt, qvid sit proponendum.* Rex itaq; proponit suam sententiam: qvam isti vel rejiciunt, vel probant, vel aliqvid addunt: donec inter illos fuerit conventum, qvid sit agendum.

XXVII.

*A selectis illis qvæ ratio potissimùm observatur?*

Hæc potissimùm observatur ratio: *ut si Regi aliqvid displiceat, id deleant ipsi: si verò qvid placeat Regi, id sceptrô illius approbatum annotent.*

XXVIII.

*Qvô peculiari nomine selecti isti veniunt?*

Dicuntur *Domini pro Articulis*, h. e. selecti pro condendis Articulis, qvi in medium sunt Populo proponendi.

XXIX.

*Qvæ videre jam maximè heic liceat?*

Videre heic licet: (1) *qvòd Reipubl. Scoticæ Status sit mixtus:* (2) *qvòd Regi non fas sit aliqvid proponere sine consensu Populi:* (3) *qvòd proponantur omnia ratione præeminentiæ Nobilium ac Spiritualium habitâ.*

XXX.

*E qvibus Formis Status Reipubl. Scoticæ est mixtus?*

*Mixtus* ille est *è Monarchiâ, Aristocratiâ & Democratiâ,* & qvidem *æqvaliter:* qvia Rex unam dimidiam, Ordines alteram dimidiam Comitiorum habent partem. Qvoniam verò ratio qvædam præeminentiæ *Spiritualium* ac *Nobilium* habetur, *magis æqvaliter è Mo-*

*è Monarchiâ & Aristocratiâ, qvàm è Democratia*, Status Reipubl. Scoticæ mistus esse videtur.

XXXI.

## *Qvas Leges mixta hæc Reipubl. habet?*

*Non alias habet LL. præter Regni Decreta.* Qvod certo indicio est, potestatem condendi LL. esse penes Comitia. Statuitur tamen interdum in illis: ut in nonnullis rebus secundum jus Rom. judicetur: qvod tamen rarò contingit.

XXXII.

## *Qvam mutationem eadem Respubl. superiori subiit Seculô?*

Qvum superiori Seculo magna passim fieret Religionis mutatio, idem qvoqve in Scotia contigit. Cœpit enim tunc *Ordo Spiritualium* Nobilibus esse invisus; adeoqve qvum Archi-Episcopi & Episcopi reliqvo reluctarentur populo, similiterqve perturbatores Reipubl. totius censerentur, Ordo ille excludi cœpit, à Comitiis, *ipsaq́; hoc pacto Archi-Episcopalis & Episcopalis dignitas in Scotia fuit deleta.*

XXXIII.

## *Qvæ Regiminis Ecclesiastici tunc qvidem instituta ratio?*

*Ea Regiminis Ecclesiastici ratio in Scotia institui tunc cœpit, qvæ maximè à JOH. CALVINO commendata fuerat Genevæ, cœperatq́; obtinere per Galliam, per Helvetiam, inq́; Belgio: ut*

*ut scil. omnes Ecclesiastici haberentur ejusdem dignitatis socii, ipsiq; essent pares.* Regimen namqve Ecclesiasticum qvod placuerat *Calvino*, reqvirebat ἰσοδυναμίαν aliqvam Episcoporum. Nec inter illos debebat esse qvicqvam discriminis, nisi ad breve tempus. Hæc, hæc scil. forma Regiminis Ecclesiastici placuit Scotis, magnâ tamen parte favente illi è Nobilitate Scoticâ: utpote qvæ Archi-Episcopos & Episcopos habebat invisos. Sic itaqve *Hierarchia Angliæ & Hierarchia Scotiæ è diametro sibi contrariari cœpêre.* In Anglia enim planè alia obtinuerat Regiminis Ecclesiastici ratio: qvippe ubi mutatio Religionis per ipsos Reges facta: qvi priscum conservare voluerant ordinem.

## XXXIV.

## *Anne verò in Scotiâ nova illa Regiminis Ecclesiastici ratio semper obtinuit?*

*Non obtinuit semper.* Nam qvum *Jacobus* VI. Rex M. Britanniæ factus esset, nihil magis invisum habuit qvàm *Regimen Eccles. Calvini*, crediditq;, *Regiam potestatem non fore salvam, nisi illo mutato regimine.* Is qvippe ceremoniis perqvam deditus erat. Qvare simul ac creverat illius potentia, omnibus laboravit modis, ut *formam Regiminis Ecclesiastici* componeret ad *formam Hierarchiæ Anglicanæ:* qvumqve id, simul ac Rex Angliæ factus, impetrasset à Scotis, *Ordinem Spiritualium* iterum reduxit in

in Comitia. Reduxit, isfto, illum, sed valdè reluctantibus Nobilibus: undè & ingentes nati motus: qvi non prius desiêre, qvam omnes Archi-Episcopi & Episcopi post tristia illa Caroli Imi fata è Comitiis removerentur. Hodiè tamen *Carolus* II. suâ hoc effecit autoritate, ut ille Ordo pristinæ dignitati sit restitutus.

XXXV.

*Cur Jacobus olim, & nostrâ hâc ætate Carolus II. adeò laborârunt pro restituendis Archi-Episcopis & Episcopis?*

Id fecerunt *vel ideò: qvia videbant, se multum posse valere per Archi-Episcopos & Episcopos in Comitiis atq; alibi:* qvum hi à Regibus toti dependeant: qvippe qvi vident, se non salvos futuros, nisi per Reges. Unde & Regiis semper student desideriis. Sic itaqve meritò Reges illi integrum habuerunt Ordinem, cui tutò possent fidere. qvæ res omninò magni momenti, præsertim in Comitiis.

XXXVI.

*Rebus Ecclesiasticis sic bene qvidem in Scotia constitutis, ecqvæ Religio ibidem obtinet?*

*Obtinet ibi Religio Reformata:* ita qvidem, ut non temerè in toto hodie Regno Scotico aliqvis magnæ autoritatis homo reperiatur, qvi Pontificiæ Religioni addictus, nisi fortassis clanculum. Plures in Anglia reperiuntur, etiam ex ipsis Magnatibus, Pontificii. *Qvantis*

verò

verò *motibus tandem ad solos Reformatos venerint res Ecclesiæ, è BUCHANANO* licet discere.

XXXVII.

*Sed qvæ Regiminis civilis administratio in Scotia hodie valet?*

*Qvod Regimen Civile spectat, illud & ipsum satis benè administratur:* nisi qvod alibi atqve alibi Nobiles impotenter dominentur plebi, interqve illos adhuc durent factiones.

XXXVIII.

*Qvæ judiciorum ibi ratio?*

*In Judiciis jus dicitur magnam partem secundum æqvum & bonum, aut secundum LL. Regni:* qvæ tamen à pluribus ignorantur. Ex parte etiam jus dici solet secundum *jus Rom.* sed nonnisi levibus in caussis.

XXXIX.

*Qvæ ratio ibidem est militiæ?*

*Qvod ad belli negotia attinet: non perinde benè ad ea est composita Scotia, ac Anglia.* Nec enim ita Scotia valet *Classe*, neqve ab armis ita instructa. Aliàs populus satis est bellicosus: ita ut possit & ipse res magnas gerere. Non autem utuntur Scoti *milite conductitio:* qvia remoti ab illis terris, in qvibus conducere possunt militem. Nec etiam Angli miliant Scotis: qvum his ferè semper res sit cum Anglis. Ne dicam: qvod Scoti nervô rerum gerendarum, nempe pecuniâ, undè possint conducere militem, destituantur.

XL. *Edi-*

## XL.

### *E dictis qvem mihi finem ac scopum Reipubl. Scoticæ elicis?*

*Duplex* sanè *finis* est *Rerumpubl.* In aliis namqve *commodum populi*, in aliis *commodum regentis* spectatur. Ille *essentialis*, hic *accidentalis Reipubl. finis* creditur ac statuitur. Qvum igitur satis è dictis appareat, in Scotiâ non haberi rationem unius Regis, nec solius Populi; sed omnia administrari ad salutem communem: qvin imò qvum & ipsi Scoti ita se gerant, qvasi Regis non debeat haberi ratio, sed tantùm Populi: non alium indè Reipubl. Scoticæ finem elicere mihi licet, qvàm eum, qvi *communis* est *utilitas*. Certum & inde est: qvòd Scotica Respubl. pro *scopo* non magnas habeat divitias, nec voluptates: qvia temperanter vivunt Scoti. Nec item magnam potentiam pro *scopo* habet: qvia Scoti nunqvam extra limites Patriæ propagârunt imperium. Eundem autem in *vera felicitate*, h. e. in studio virtutis ac rerum omnium sufficientiâ, ponit.

## XLI.

### *Qvæ verò doctrina, superiori Seculo admodum vulgaris, hâc in re Scotiæ erat?*

*Erat maximè vulgaris*, qvum superiori seculô gravissimi motus exorti essent in Scotia, *doctrina* hæc: *qvòd Regis in Scotia non debeat ha-*

*haberi ratio, ſed tantùm Populi.* Extat *Liber* GEORGII BUCHANANI, Jacobo Regi, ſed puero adhuc, ſcriptus, de *Jure Regni* apud *Scotos.* In hoc totus ille eſt occupatus: ut oſtendat, *omnia propter Populum eſſe, Regis autem habendam eſſe rationem nonniſi per Accidens.* Qvum verò *Buchananus* ibidem haut dubitarit liberè docere, *non aliam rationẽ ubiqvis terrarum, qvam in Scotia, eſſe debere omneq́; id, qvod contra fiat, eſſe tyrannicum:* calamum contra *Buchanani Librum* ejusdemq́ve argumenti *alios* ſtrinxit GVILIELMUS BARCLAJUS, *Libro contra Monarchomachos* editô. Excedit tamen uterq́ve in hâc doctrinâ modum: BARCLAJUS qvidem *in defendendo & ampliando jure Regio,* BUCHANANUS *verò in minuendo.*

## XLI.

### *Qvi ſunt illi, qvos nominabas, Monarchomachi, & unde nomen ſortiti?*

Nomen ſortiti ſunt ab ipſa Doctrina ſua, qvæ præcipuè exitium minatur Monarchis. Atq́ve horum qvidem agmina eruperunt ſuperiori præprimis ſeculo poſt truculentas illas Nuptias Pariſ. Anno 1572. qvum Carolus IX. Rex Galliæ Machiavellicis conſiliis seductus, facinore ſe ad ævum omne infami polluiſſet. Eſt autem Monarchomachorum ultimum ubiq́ve & ſine exceptione principium, *ſummam poteſtatem eſſe populi: ita ut ei Reges, qvoties imperio ſuo malè utantur, & coërcere, &*

*pu-*

*punire liceat.* Qvibus verbis *Grot.* utitur *L. I. de J. B. & P. c. 3. N. 8.* ibidem principium illud rectè convellens.

XLII.

*Qvod superest, unde uberiorem Reipubl. Scoticæ notitiam hauriendam censes?*

Etiamsi vix aliqvid memoratu dignum de Republ. Scoticâ seorsim habeatur editum; etiamsi qvoqve de illa ipsa neqve in *Nic. Bello*, neqve in *Honorio*, neqve in *Caspare Ensio* Dissertationes reperiantur: singularis tamen *de Republ. Scoticâ Discursus* in *Archontol. Cosmica* habetur. Habetur & in Belgio editus de *Regno Scotico Libellus*: qvi tamen nil nisi *Collectanea varia* continet. Interim verò, qvæ ad rem faciunt, inde disci possunt: cumprimis si *rerum Scoticarum* jungantur *Scriptores*. Habent autem Scoti duos insignes Historicos: qvorum alter *HECTOR BOETIUS*, alter *GEORG. BUCHANANUS*. Ille antiqvior est, in qvo tamen reperire licet multa præclara: nisi qvòd nonnihil famam suam immistis hinc indè fœdavit fabulis. Longè igitur præclariùs majoriqve studiô ac judiciô res Scoticas *Libris XX.* persecutus est *BUCHANANUS*, Paraphrasios Lyricæ, qvæ est Psalmorum, Autor castigatissimus. Is scil. *Historiam* descripsit *Scoticam ab initio Gentis Scoticæ*: qvantum qvidem tradita ea antiqvis Monumentis Scoticis erat. Undè & omninò numeranda ipsa,

ipſa, vel ipsô *THUANO* judice, inter præclariſſimas noſtri ævi eſt Hiſtorias, cumq; canâ antiqvitate comparari meretur. Res namqve arcaniſſimas & maximas ſummo cum judicio & elegantiſſimo ſtylô habet deſcriptas. Cæterùm editas qvoqve res Scoticas autore habemus *HEUTERO*, & *JOH. FORDONIO*, *JOH.* item *JONSTONO* & *JOH. LESSIO*. Qvid? qvòd & operæ heic ſit pretium in pleniori rerum Scoticarum notitiâ acqvirendâ ea conſulere, qvæ de Scotiâ *GVILIELMUS CAMBDENUS* in ſingulari & egregio de *Britanniâ Opere*, diſſerit.

## SECTIO III.

## *DE*

# HIBERNIA.

## EROTEMA I.

### *Hiberniæ nomine qvid intelligitur?*

INtelligitur hoc nomine *Inſula: qvæ, Occidentem verſus omnium maxima, adjacet Angliæ, atq; ab illâ fretô non magnô eſt diſtincta.* Ex ſitu nempe apparet: qvòd vicina ſit Angliæ, ut & parti ſeptentrionali Scotiæ. Sed à reliqvâ Europâ latè eſt diviſa: cumprimis maximè diſtat ab Africâ & Aſiâ. Sic itaqve Inſula hæc ab iſtarum qvidem partium terræ Regionibus ſibi non temerè poteſt metuere, niſi fortaſſis ab unâ Angliâ.

II. *An-*

II.

*Anne & hæc Insula Romanis fuit cognita?*

*Fuit cognita Romanis Hibernia: sed nonnisi cognita.* Paruisse enim unqvam Romano Imperio illa haut videtur. Existimabant qvippe Romani, se in barbaris istius Insulæ incolis domandis nullum operæ pretium esse facturos. Ex eo ipso igitur tempore sui fuit juris.

III.

*Qvibus aliis olim veniebat & hodieq; venit nominibus?*

Priscis *Ogygia*, *Eris* Incolis, & Anglis *Irrlandia* dicitur. Ptolomæo autem *Ibernia* dicta: sicuti Solino & Juvenali *Juvernia.*

IV.

*A cujus generis hominibus incolitur?*

*Incolitur non ab unius generis hominibus.* Qvi enim legibus teneri recusant, atqve incultiùs vivunt, *Sylvestres Hiberni* vocantur: qvi verò legum potestatem sanctam habent, illos vocant *Anglo-Hibernos.* Commercio siqvidem Anglorum ac Scotorum cultiores facti sunt. Unde & lingvâ ac moribus Anglorum utuntur.

V.

*Qvanta eadem qvoad longitudinem & latitudinem est Insula?*

*Longitudo* sanè Hiberniæ maxima Milliarium German. est 60. *latitudo* verò 30. Milliarium Germanicorum.

VI. *In*

VI.

*In qvot & qvasnam Provincias dividitur?*

Ut ipſa Anglia, utq́ve Scotia in ſuas diviſa eſt Provincias, qvæ Anglis vocantur *Siræ:* ita nec minus *Hibernia* in Provincias dividitur. Sunt autem totius Inſulæ in univerſum *qvinq́; Provinciæ, in certos Comitatus diſtinctæ: Momonia* nempè, qvæ ad Auſtrum; *Lagenia* ſ. *Lemſter*, qvæ ad Ortum; *Cannachtia* ſ. *Connacht*, qvæ ad Occaſum; *Ultonia* ſ. *Ulſter*, qvæ ad Septentrionem; & *Midia*, qvæ in ipſo medio ſita. Singulas ſinguli qvondam Reguli gubernarunt Provincias.

VII.

*Qvæ Metropolis eſt?*

Totius Regni Metropolis eſt *Dublinum*, oppidum munitiſſimum, & Sedes *Præfecti*, ſ. *Vice-Regis Angliæ*: ubi & *Academia*. Sedes Archi-Epiſcopi eſt *Armach*, Regni olim Caput.

VIII.

*Qvæ qvalitas ſoli?*

A pluviis qvum infeſtetur hæc Inſula, *paſcuis potiùs, qvàm fructibus gaudet:* Tantam verò ibi pabulorum dulcedinem eſſe *Mela* ſcribit: ut, niſi pecora prohibeantur, exiguâ parte diei paſta diſſiliant. Cœlô interim clementi ac ſereno, imò multò clementiori, qvàm Anglia, ea parte, qvâ eſt *auſtralior*, Hibernia fruitur. Unde nec à glacie, nec à nive unqvam infeſtatur. Habet & mitiorem aërem

*Pars* Hiberniæ *ſeptentrionalis*, qvàm ipſi objecta Pars Angliæ ſeptentrionalis. Aliàs *montoſa*, *ſylveſtris*, atqve adeò *paludoſa* iſta terra eſt, ut lacus atqve ſtagna in altiſſimis qvoqve reperiantur montibus. Animal noxium atqve venenatum, præter lupos & vulpes, neqve producit, neqve illatum patitur. Qvin imò ligna Hiberniæ nullas ferre araneas leguntur.

## IX.

### *Inſulæ igitur opes qvâ in re maximè conſiſtunt?*

Opes univerſæ Inſulæ conſiſtunt *in armentis*. Cumprimis autem Hibernia abundat ovibus, ſed tamen velleris minùs boni: qvod qvidem non tam vitiô ipſius terræ, qvàm vitio culturæ adſcribendum. Vaccarum præterea & taurorum copiâ; eqvorum etiam haut peſſimorum, qvos *hobbyes* vocant, copiâ abundat: ne de feris dicam, qvarum & ingens ibi copia. Abundat etiam Hibernia immane qvantum apibus, hac parte multùm Angliæ ac Scotiæ præſtans. Metallorum tamen non adeò eſt ferax: ſed, qvicqvid illorum habet, aliunde infertur. Licet itaqve non ſatis inſtructa Hibernia frugibus, lacte tamen, carne & aliis commodis, qvæ capi poſſunt ex armentis, ita abundat, ut inde ſatis ſibi habeat opum Hibernia. Maxima verò opum vis in ovibus conſiſtere dicitur *Botero:* qvippe qvarum tantus eſt numerus, ut in ſolo Comitatu de Letrim, qvam-

qvamvis ſatis parvo, ſæpius numerata fuerint 100000. lanigerarum pecudum. Ex his, inſto, bis in anno tonſis ingens lucrum percipiunt Hiberni.

X.

*Qvæ verò incolarum natura eſt & indoles?*

Qvum homines ibi aut *indigenæ* ſint, aut *Angli*, *Hiberni* qvidem corpore *agiles* ſunt, *laborumq́ʒ* ac *inediæ*, ſi urgeat neceſſitas, *patientiſſimi*: animô tamen *audaciſſimi*, tamq́ve contrariis moribus, ut communi Proverbiô dicatur: *Bonô Hibernô non poſſe inveniri meliorem, nec malô deteriorem.* In univerſum pigritiam atqve otium ſupra omnia ſua vitia amant: adeò ut, omiſsâ agriculturâ, ne corpus qvidem contra imbres, nives aut aëris inclementiam tueri curæ habeant. Feſtinatæ qvoq́ve nuptiæ apud Hibernos ſunt in uſu: ita ut 10. aut 11. annorum, cumprimis puellas, contrahere nuptias in Hibernia non ſit inſvetum. Indeq́ʒ omninò fit: ut Hibernia ſemper plena ſit hominum.

XI.

*Qvæ potiſſima illorum ſtudia?*

Omnis Hibernorum vita in *latrocinio* conſiſtit. De die ſomno ac ebrietati ſtudent: noctem verò in prædis agendis tam ſtudiosè conſumunt, ut dedecus habeatur apud ipſos, ſi qvis noctem ſomno impendat.

XII.

*Annon & ipsorum nonnulli Studiis liberalibus dediti?*

Vix ac ne vix qvidem eruditum ex Hibernis reperies virum. Qvum enim inertes sint & laborum qvàm maximè fugientes; imò qvum planè efferri sint homines, magis sylvas, qvàm urbes incolentes, parum liberalia curant Studia.

XIII.

*Qvem unum interim eruditior præ reliqvis Hibernis maximè suspicit ac veneratur Orbis?*

Veneratur ac suspicit, si qvem alium ex Hibernis, unum maximè *JACOBUM USSERIUM, Armachanum.* Hic ipse enim *Archi-Præsul* (qvem tamen parens ingrata, tali filio ac Præsule indigna, bonis omnibus, præterqvam animi, exutum, in exilium miserat) tantæ Vir fuit pietatis, tantæ in legendo, scribendo, concionando industriæ, tantæqve in re antiqvariâ, in Theologiâ, inq; omni humanioris literaturæ genere eruditionis: ut de ipso facilè Maronis illud, qvod de Æneâ, patriâ profugô, ille habet, verbis paululum immutatis, ὡς ἐν παρῳδίᾳ exclamando dici qvæat:

*--- O famâ ingens, ingentior arte*
*Armachane, qvibus Te Cælo laudibus æqvem?*
*Doctrinamve tuam mirer doctosq; labores,*
*An pietas laudanda prius?*

Sed de tanto tamen Viro silere præstat, qvàm

qvàm pauca dicere: qvum talis omninò fuerit (qvod de Antonino Philoſopho dixit qvondam Hiſtoricus) *qvem mirari faciliùs qvis, qvàm laudare poſſit.*

XIV.

*Qvibus præprimis Scriptis inclaruit JACOBUS hic USSERIUS?*

Eruditiſſimus hic Archi-Epiſcopus Armachanus qvamplurimis *innotuit* Erudito Orbi Scriptis. Præprimis autem *Scriptis* inclaruit *Chronologicis ſacris*: qvibus dubia ille, qvæ in antiqvi fœderis Inſtrumento occurrunt plurima, difficillima illa qvidem, qvæ non ſolùm Novitiis, ſed ipſis Chronologiæ Sacræ Myſtis, ἄλυτα videbantur, mirâ dexteritate & facilitate qvadam ſuâ ſolvit, ipſe cautiùs ſcrupulos illos Chronologicos, ad qvos Commentatores aliiqve magni nominis Scriptores illiſi, evitans, imò, ne aliis poſtmodùm impedimento eſſent vel damno, penitùs tollens: adeò ut jam nautæ, licet Palinuri non ſint, ipſum Chronologiæ Sacræ Oceanum non ſolùm ſine naufragio, ſed & penè ſine periculo, ſecuri navigare qveant. Præter *Annales* nimirum *Eccleſiaſt.* præter *Eccleſiarum Hibernicarum Antiqvitates & Scripta* alia qvamplurima *Theologica, Philologica* atq; *Hiſtorica, Chronologiam V.T.* ſcripſit ac edidit *Volum. duobus*. Scripſit & ipſe ſeorſim *CHRONOLOGIAM SACRAM*, h.e. *Chronologicam Annorum & παιδοποιΐας Patriarcharũ, παροικίας Iſraelitarũ in Ægypto, Annorum etiam*

*Judicum, Regum Judæ & Iſraëlis ἀπόδειξιν, Oxoniæ* Anno 1660. editam.

XV.

## *Atenim Eccleſiæ Hibern. qvalis eſt ſtatus?*

Eſt *admodùm miſer & perturbatus in Hibernia Eccleſiæ Status.* Ut DEUM enim parum colunt Hiberni, ac juſtitiam floccipendunt: ita ad res Eccleſiæ Reformatæ reprimendas, imò & ſupprimendas, admodùm ſunt proni. Volunt nempe omnes pene antiqvi Hiberni maximi obſervatores *Religionis Pontificiæ* videri: ita ut inter *Hibernos Sylveſtres* vix ullum alium reperias, qvàm *Papicolam.* Unde & factum: ut Eccleſiæ Hibernicæ in ſangvinante illa noſtri Seculi rebellione penitùs exciſæ à Papiſtis haberentur. Domitâ tamen immani gente, ſicut ipſa iterum Inſula Colonis Anglis impleta, ita & Eccleſiæ Reformatæ denuò à ſuis Doctoribus paſſim conſtitui cœpêre. Imprimis verò magnus hodie eorum in Hibernia numerus eſt: qvi ſe *Chriſtianos Baptiſatos* vocant. Hi omnes absqve diſcrimine ibi foventur ac tolerantur.

XVI.

## *Qvis Status Hiberniæ Politicus?*

*Gubernatur hæc Inſula ab Anglo per Pro-Regem:* qvi ipſe tantâ qvidem autoritate reſidet *Dublini* (ubi *Arx Pro-Regia*) qvantâ vix ullibi alius reſidet. Is enim ibi propriâ autoritate pacem facere, bella gerere, magiſtratus diſtribuere, & Eqvites auratos creare poteſt. Et tanta ſa-

ſanè illius autoritas debebat eſſe,ac neceſſariò Reges Angliæ tantam poteſtatem concedere Pro-Regibus Hiberniæ tenebantur: qvia eâ ſunt indole Hiberni, ut freqventer rebelles & ſeditioſi fiant. Certiſſimum itaqve eſt, *Regimen ſummum Hiberniæ hodie penes Regem Angliæ eſſe.*

XVII.

*Penes Anglum id ipſum qvo jam tempore eſſe cœpit?*

Cœpit eſſe penes Anglum jam ab *Anno Chr. 1172. Henricus* ſiqvidem *II.* qvum conſilia de Hiberniâ occupandâ cum Proceribus Angliæ agitaſſet, diſcordiis tandem Hibernorum in rem ſuam qvàm maximè uſus, ſine ſangvine principatum Inſulæ obtinuit, ac palatium magnificum Dublini extruxit. Etſi autem ab hoc usq; tempore Reges Angliæ ſe *Hiberniæ Dominos* appellarent: Regulorum tamen nomina ac poteſtates (qvorum nonnulli qvidem ſe Henrici II. Beneficiarios in Provinciis agnoverant,) in Inſula iſta usq; ad Henricum VIII. permanſêre. Huic enim *O-Neal*, Dominus Ultoniæ, omnia ſua in manus tradebat, ac perficiebat: ut, qvum mallent, aliqvem *Hiberniæ Regem*, qvàm *Dominum* eſſe, idem ille in Comitiis Hibernicis *Rex totius Hiberniæ* ab Ordinibus declararetur. Hiberniæ proinde Titulus à tempore demum Henr. VIII. inter Regios Titulos exiſtere cœpit: qvum, ante hunc non aliter qvàm Dominos Hiberniæ appellatos fuiſſe, conſtet, h. m. *Rex Angliæ & Franciæ Dominus Hiberniæ.*

XVIII.

*An ulla verò justa tunc Anglis caussa fuit domandi Hibernos?*

Ut verum heic fateamur: *justa certè caussa Hibernos domandi defuit Anglis.* Nec alium, *prætextum* Reges Angliæ habere tunc poterant: qvàm *qvia Pontifex R. pro superstitione istorum temporum ipsis jus dedisset occupandi Hiberniam.* Atqve sic etiam, ex eo ipso nempe tempore, qvô sub dominio Regum Angliæ Hibernia esse cœperat, Angli Papam non qvidem tanqvam *Feudi Dominum*, ut *Patronum* tamen, agnoscebant: utpote cujus beneficiô Hiberniam tenerent.

XIX.

*Qvæ interim administrandi Remp. ratio nostro hoc seculo est in Hibernia?*

*Eadem ibi administrandi Rempubl. ratio est, qvæ valet in Angliâ.* Nam & ibi est *Parlamentum:* minori tamen est autoritate, qvàm Anglicum. Pro Regis enim Angliæ arbitriô à Pro-Rege Hiberniæ indicitur ac dissolvitur.

XX.

*Qvali utitur imperiô ibidem Rex Angliæ?*

Nonnisi *miti* in Hibernia imperat *imperio.* Aliud enim non fert indoles gentis: qvippe qvæ admodum factiosa est ac turbulenta. Unde & perpetuus miles ad Hibernos in officio retinen-

tinendos Regi eſt alendus: eaqve ipsâ de cauſsâ ærario Regio ex Hibernia nihil ferè accreſcit.

XXI.

*Ergò qvem Scopum Reipubl. Hibern. mihi ſtatuis?*

Qvod ad Scopum Reipubl. iſtius attinet, facilè è dictis apparet: *totam non tam dirigi ad utilitatem dominantium, qvàm ad communem.* Qvod enim illorum nulla ferè ex parte obſervari qveat utilitas, ſit vitiô gentis: qvippe qvæ usqve adeò effera, ut culturam non admittat. Levi enim de cauſsâ adverſus Anglos inſurgunt: qvos antiqvi illi Hiberniæ incolæ graviſſimè oderant. Interim verò *Hibernici Principes* (ſunt enim varii in Hiberniâ Principatus) in ſuos plusqvam herilem dominatum exercent.

XXII.

*Principes illi & Magnates qvid peculiare in ſuis habent Nominibus?*

Hoc habent in ſuis Nominibus peculiare: ut illis qvarta ob eminentiam & excellentiam præponatur Vocalis, ut *O-Neal*, *O-Korck*, *O-Donell*, *O-Blak*, &c. Atqve ſic, qvi O præpoſitum habent Nomini, prævalent aliis. Eſt & freqvens in Nominibus Hibernorum Magnatum vocabulum *Mak*: qvod ipſum qvidem qvi præfixum gerunt, jus & ipſi ſuum peculiare habent; qvô pro lubitu cum illis in ſubditorum fortunas graſſantur.

XXIII.

*Qvos Juridicos iidem sibi habent Principes?*

*Indoctum* sanè *hominum genus alunt: qvod statis qvibusdam diebus in edito aliqvô locô & præcelso colle inter litigantes jus dicit.* Coram his Actores qverulâ voce injurias sibi illatas exponunt; Rei verò constanter factum negant. Si tamen in furto manifesto aliqvis deprehendatur, illi aut reddendum, aut mulctâ compensandum furtum pronunciant. Juridicos hos *Breahans* vocant: vel planè ut Gothi suos *Bellaginos* dixerant.

XXIV.

*Qvæ ratio succedendi est apud ipsos?*

*Jus hæreditariæ successionis apud Magnates Hiberniæ planè non observatur:* sed, qvi ex præcipuâ aliqvâ familiâ viribus, clientelis & audaciâ validior, dominatum qvâdam Provincialium factione aut electione sibi arripit, filiis, nepotibus & consangvineis demortui prorsus exclusis.

XXV.

*Habetne & sua Tribunalia publica Hibernia?*

Habet æqvè ac Anglia *qvinq; sua Tribunalia publica: Cameram* nimirum *Stellatam, Cancellariam, Bancum Regium, Bancum placitorum communium, & Fiscum Regium.* Sunt etiam

*Ju-*

*Justitiarii*, missi prius ad audiendum & determinandum, prout in Anglia: sunt *Irenarchæ* in singulis Comitatibus ad pacem conservandam: sunt item in remotioribus provinciis ad dicendum jus *Gubernatores*: qvi suos è Nobilibus habent Assessores ac JCtos, singuli tamen Pro-Regis nutum respicientes.

XXVI.

*Qvibus regitur legibus Hibernia?*

Iisdem legibus communibus, qvibus Anglia administratur, regitur qvoqve Hibernia. Sacris autem Regni scriniis has hodie reperire licet: qvæ olim Parlamentariæ erant, perpetuô usq; ad Henrici VII. tempora usu receptæ.

XXVII.

*Qvem militarem deniq; Hibernia habet Magistratum?*

Præter civiles Magistratus etiam *unum* hunc *militarem* habet, nimirum *Mareschallum:* cujus maximus est usus tam ad militum qvàm ad rebellum coërcendam insolentiam.

XXVIII.

*Sed unde isthæc omnia & alia, qvæ huc pertinent, uberiùs cognoscere licet?*

Qvi velit res Hiberniæ cum Regimine suo uberius cognoscere, *CAMBDENI* legat *Britanniam.* Descriptioni etiam Scotiæ, in Batavia editæ, addita *Descriptio* est *Hiberniæ:* qvæ omninò lectu digna. Multa item de hac Insula habentur in *GREGORII GIRALDI Cam-*

*brensis* Libro: qvem sub Tit. *Topographia Hiberniæ* edidit. Consulenda & *Respubl.* heic *Hibernica* PIERRE D' AVITY. Novissimè deniqve editæ *JACOBI VVARÆI Eqv. Aur. Antiqvitates Hibernicæ* à curioso Lectore sunt versandæ: ut veterem qvoqve ex illis imperii apud veteres Hibernos formam cognoscat.

---

# CAPUT V.
## DE
# REGNO DANICO.

### Erotema I.

### *Qvot & qvæ nominatim Europæ Regna sunt septentrionalia?*

S*Eptentrionalia Europæ Regna*, freqventer conjuncta & disjunctâ, nominatim sunt *tria, DANIÆ, NORVVEGIÆ & SVECIÆ.*

### II.

### *Qvid prisci de istis credidêre terris, qvæ tria hæc Regna ambitu suo complectuntur?*

*Prisci*, ni fallor, *terras istas unam olim magnam Insulam crediderunt*, eamqve *Scandiam* s. *Scandinaviam* vocarunt: ut ex antiqvis qvidem Autorum Scriptis observare licet.

III. *Qvid*

III.

*Qvid satis hodie constat?*

Satis hodie constat, versus Septentrionem ultra *Boddicum sinum maris Balthici, s. Svecici,* qvod Plinius *sinum Codanum* vocat, *cohærere continenti Scandiam,* vaginam & officinam illam gentium: è qvâ qvi, florente Francorum imperio, egressi sunt, unô nomine appellârunt *Nordmannos.*

IV.

*Qvæ prima verò & antiqvissima trium istorum Regnorum est conjunctio?*

Est hæc, *qvæ facta perhibetur sub Suibdagero, Rege Norvvegiæ.* Sed adeò incerta & fabulosa illa sunt antiqvissima: ut major illis fides qvàm Amadisi commentis adhiberi neqveat.

V.

*Qvando tria illa septentrionalia Regna, iterum olim disjuncta, denuò fuêre conjuncta?*

*Dania* certe & *Norvvegia* ex *eô tempore, qvô Olaus V. Daniæ Rex,* defuncto *Haqvino, Norvvegiæ qvoq; Rex in ipsa pueritiâ creatus esset, perpetuò conjuncta mansêre.* Qvum verò decedenti filio Olao *Magareta mater, Semiramis Danorum,* successisset, atqve *Albertum Megapolitanum,* Regem Seciæ, *Anno 1389.* præliô victum cepisset, regnum ejurare hunc coëgit, *ipsaq; trium Regnorum, qvod intra aliqvot secula factum non fuerat, Regina fieri cœpit,* omni modô laborans: ut perpetua hæc ac stabilis

 bilis

bilis trium potentissimorum Regnorum conjunctio maneret. Atqve sic qvidem *alter* tunc *trium Regnorum septentrionalium* facta *conjunctio*.

### VI.
### *Conjunctionem hanc alteram qvomodo Margareta feliciter perfecit?*

*Margareta* illa, qvæ, planè virilis animi fœmina, à Saxonibus vulgò dicta die schwartze Grete/ qvum ante tria hæc secula per *conjugium Haqvini Regis Norweg.* Daniam ac Norvvegiam conjunxisset, *armis* verò Sveciam, *alteram hanc trium septentrionalium Regnorum conjunctionem feliciter tandem perfecit FOEDERE.* Convocati enim in eam rem trium Regnorum Ordines perpetuum *hoc* inter se *fœdus* autoritate *Margaretæ Anno 1395* pepigêre: *ut sub uno imposterum Dania, Norwegia & Svecia essent Rege, isq; alternis Danorum ac Svecorum suffragiis eligeretur.* Qvum itaqve fœdus hoc deinceps in Comitiis Calmariensibus ratum habitum ac confirmatum esset, sex ordine Reges tria hæc Regna conjunctim, qvanqvam haut absqve multis qverelis, tenuêre.

### VII.
### *Qvale tunc intercessit dissidium?*

*Dissidium* intercessit *gravissimum.* Nam qvum Dani primatum affectarent, & Sveci perferre illum nollent, res iterum ad arma devenit:

venit: atqve hi qvidem peculiares iterum Reges, mox Gubernatores, sibi eligere cœperunt: donec tandem, à Christierno II. prorsus debellati, antiqvum illud conjunctionis fœdus instaurarunt: qvod factum circa Annum Chr. 1520. ita ut totus Septentrio, in unam redactus Monarchiam, felicissimus imposterum videretur.

## VIII.

## *Dania tandem & Norvvegia ac Svecia qvando penitùs dividi cœperunt?*

*Factum id communi trium Populorum consensu Anno 1523.* & qvidem *penitus abolitô illô de conjunctione trium Regnorum fœdere, Danisq; simul ac Svecis peculiares sibi eligentibus Reges.* Regnum tamen Norvvegiæ in unione mansit Danicâ.

## IX.

## *Qvæ ultima illius divisionis caussa?*

*Caussa*, ut penitùs tandem tria illa Septentrionalia Regna dividerentur, *immanis* erat *barbaries Christierni* II. Mox enim omnes infernales furiæ Christiernum hunc ita exagitârant: ut horrendâ lanienâ atrocissimæ tyrannidis ac perfidiæ exempla Stockholmiæ in ipsos Proceres ederet. Qvum igitur non mitius in Daniâ grassaretur, utriusqve tandem Regni incolæ justis in Tyrannum furiis insurrexerunt, eundemqve Regnis omnibus exutum perpetuo carceri manciparunt: in qvo post 27. annorum miseram captivitatem animam exhalavit.

X.

X.

*Anne ista utriusq; gentis voluntas fuit constans?*

Etiamsi Dani simul ac Sveci, initô contra Christiernum Tyrannum exulem fœdere, peculiares sibi elegissent Reges; *neq;* tamen *constans ista fuit voluntas.* Depulso qvippe Christiernô II. mox antiqvæ illæ rixæ renovatæ fuêre: qvæ in tam atrox inter Fridericum II. & Ericum VIII. eruperunt bellum: ut per octo annos magnis utrinq; cladibus gereretur. Deinde & inter Christianum IV. ac Carolum IX. iisdem fere de caussis odia fuere renovata: qvum conqvererentur Dani, Svecos in qvasdam Norvvegiæ ac Finmarchiæ partes jurisdictionem sibi arrogare. Sed, Controversiâ hac paulò pòst sedatâ, duplex iterum bellum, qvanqvam ferè aliis de caussis, successit: donec tandem ultimâ pace omnes istæ controversiæ componerentur: Gallorum imprimis ac Belgarum industriâ: qvi & ipsi pacis sponsores facti.

XI.

*In totidem verò Controversiis qvænam potissima erat Qvæstio?*

*Qvæstio potissimùm*, Danos inter ac Svecos diu agitata, *de tribus erat Coronis, qvibus Rex Daniæ utebatur.* Id enim, tanqvam in præjudicium sui Regni fieri solitum, ferre nolebant Sveci.

XII.

*Christiernô itaq; IIdô ejectô, unde Dani sibi ac Norvvegi Reges assumere & creare cœperunt?*

Assumere ac creare sibi ex *Holsatiæ Ducibus* cœperunt Reges. Creatus nempe tunc fuit Daniæ ac Norvvegiæ Rex *Fridericus* I. Dux Holsatiæ: qvi & ipse renunciare omni suo in Sveciam jure, ac fœdus cum Erico Svecorum Rege contra Christiernum Tyrannum ejusq; defensores inire cœpit. Eô mortuô, qvum Anno 1532. magnæ inter Danos exorirentur de novô Rege creando controversiæ, eâqve occasione fretus Christiernus per emissarios suos auxilia cogere, ipsamqve Hafniam, Regni caput, in sua etiamnum captivi verba adigere inciperet, contra factionem ejus electus est *Christiernus* III. Friderici I. fil. qvi brevi Regnum pacavit, & ad posteros *Fridericum* II. *Christianum* IV. *Fridericum* III. & *Christianum* V. Regem hodiernum, feliciter transmisit.

XIII.

*Qvorum tamen potissimùm favore Daniæ ac Norvvegiæ Sceptrum ad Fridericum Holsatiæ Ducem translatum habetur?*

Transtulerunt utriusqve Regni Sceptrum ad Fridericum, Holsat. Ducem, Dani *Nobilium* imprimis *favore*. Nam, qvum Christiernus IIdus Tyrannus Nobilitati imprimis infensus fuisset, gratiam captans Civium ac Plebis, Nobiles

biles hinc patruum ipsius *Fridericum*, *Ducem Holsatiæ*, *optimum Christiani Imi filium*, certis elegerunt conditionibus. Atqve hic ipse Fridericus Imus est: qvi omnem, & *Regum Daniæ*, & *Ducum Holsatiæ*, familiam propagavit. Ex eodem siqvidem Friderico utriqve hodie dependent.

## XIV.

### *E qvô sic jam Stemmate, antiqvâ illa Regiâ Daniæ Familiâ extincta, sceptrôq; ad Fridericum Holsatiæ Ducem translatô, hodiernos Dan. Reges oriundos censes?*

*Oriundos esse* censeo ex *antiqvô Comitum Oldenburg. Stemmate.* Primus sanè illius familiæ *CHRISTIANUS I.* Theodorici Fortunati, Oldenburgici & Delmenhorstani Comitis, filius, è stirpe VVitekindi, fuit: qvem Dani liberrimo arbitriô Regem sibi elegerunt. Ante illum qvidem Adolphum Regem elegerant, tum temporis Holsatiæ Comitem: sed, seniô jam confectus ac liberis carens, oblatam dignitatem recusasse legitur. Nihilominus tamen autor fuit Danis: ut aliqvem è filiis sororis suæ eligerent: qvæ Comiti nupserat Oldenburgico. Elegerunt itaqve *CHRISTIANUM*: cui duo filii erant, *Johannes* & *Fridericus*. Johannis filius *Christianus IIdus* fuit: qvi Regnô pulsus. *Fridericus* autem, qvum Dux esset Slesvvicensis, & Comes Holsatiæ, factus deinceps est Rex, ipseqve omnem Familiam,

miliam, cùm Regum Daniæ, tum Ducum Holsatiæ, qvi omnes ex hoc *Friderico I.* dependent, felicissimè propagavit.

## XV.

### *Qvis verò in Daniæ Regno antiqvissimis temporibus, & deinceps seqviori ævô, succedendi modus obtinuerat?*

*Modus successionis Regiæ in Daniæ Regno obtinuerat olim:* qvi *tunc apud omnes Gentes Germanicas obtinebat. Successio* enim fuit partim *electitia*, partim *hæreditaria*. Hæreditaria erat: ut semper filius haberetur hæres: modò aptus esset ad regendam Rempubl. Si verò ineptus, semper creditum à populo: qvòd Rex, ineptè Rempubl. administrans, jus regnandi deperderet, fasqve esse soliô cum deturbare. Hinc plurimi soliô pulsi Reges: ut è lectione Histor. Danicæ apparet. Atenim ubi Familia Regia prisca exspiravit, magis magisqve florere cœpit *electio*. Electus tunc primùm est *Christianus I. Comes Oldenburg.* & liberrimo qvidem Ordinum Regni arbitriô. Succesfit, ex parte *jure hæreditario*, ex parte, *jure electitio*, *Johannes* filius: cui iterum *Christianus II.* succesfit. Is qvum pessimè administraret Rempubl. & gravissimam tyrannidem exerceret, unanimi Ordd. consensu Regno fuit pulsus, inqve ejus locum patruus *Fridericus I.* electus: è qvô tempore magis magisqve cœpit florere *electio*. Ratio tamen juris *hæreditarii* habita, donec *Christianus IV.* mortuus. E qvo tempore verò electio obtinuit, autoritas Senatorũ crevit. Illi namq; non in anti-

antiqvas, ſed novas leges volebant Reges accipere. Cumprimis novæ leges ſunt præſcriptæ: qvum Rex eligeretur *Fridericus III.* Durisſimæ tunc leges capitulares fuêre præſcriptæ: qvibus inuſitatô modô circumſcripta Regia poteſtas: ut Rex ſecundum iſtas leges ne minimum qvidem regiæ poteſtatis haberet. Rex ſcil. qvi antidhac in ſolas antiqvas juraverat leges, coactus tunc qvoqve in novam Capitulationem jurare.

XVI.

*Qvis in Norvvegiâ item, anteqvam uniretur Daniæ, ſuccedendi modus valuit?*

*Valuit* & ibi primùm *juxta ſangvineis rationem ſucceſſio.* Regnavit np. perpetuâ ſucceſſione hæreditaria in Norvvegiâ ab Anno 878. usqve ad 1388. *Harfagerorum Familia*, condita ab *Haraldo Harfagero Pulcricomo*: qvippe qvi primus Monarchiam in Norvvegia condidit, cæteris Regulis vel domitis, vel in Islandiam aut Groenlandiam pulſis. Ultimus verò ex hac familiâ *Hako* ſeu *Haqvinus* fuit: qvi, Margareta Daniæ Reginâ ductâ, Norvvegiam ac Daniam perpetuo fœdere conjunxit. Sic itaqve, qvum à ſuis Regibus, juxta ſangvinis rationem ſibi ſuccedentibus, gubernaretur, florentisſima erat Norvvegia. Qvamprimùm verò eligi ſeqviori ævô Norvvegorum æqvè ac Danorum cœpêre Reges, à primô vigore multùm utrumqve Regnum remiſit.

XVII.

*Anne & hodieq; in utrôq; Regnô valet electio ?*

Ingens sanè nostrâ hac ætate facta est mutatio, præcipuè in *Dania*. Qvum enim Senatores Regni infeliciter Rempubl. administrassent, nuperoqve bellô Svecicô magnam partem, ut autoritatis suæ, ita & Bonorum Regni perdidissent, Populus reliqvus insurrexit, & occasionem dedit totius reipubl. mutandæ. Qvare ex *nova hac mutatione omnis electio in Daniâ fuit abolita: ita ut successio jam sit mere hæreditaria; autoritas verò Senatorum Regni admodum exigua, imò non major, qvàm qvalem Rex vult esse.* Arrogârunt & in Norvvegiam sibi *jus hæreditarium* Dan. Reges. Indeqve factum: ut Familia Ducum Holsatiæ eâdem de causâ titulum *Hæredum Norvegiæ* assumserit: eò qvod scil. Familia ista jus hæreditarium in Norvvegiam prætendat. Sic satis jam omninò liqvet: *in utroqve Regno non valere amplius liberam electionem, sed utrumq; hodie merè ac verè esse hæreditarium.*

XVIII.

*Qvalis proinde Status Reipubl. utrobiq; hodie obtinet?*

*Obtinet utrobiq; Status hodie Monarchicus absolutus.* Rex enim *absolutum* in Danos, qvod dudum acqvisiverat in Norvvegos, in nova isthac Reipubl. mutatione accepit *imperium*: ita ut Nobiles omnem, qvâ pollebant antè,

tè, poteſtatem prorſus amiſerint. Qvare, qvum anteà Regi vix qvicqvam eſſet autoritatis, jam ſatis illi hujus eſt abunde: qvum antehac Epiſcopi & Urbes ab omni Reipubl. curâ excluſæ, hodie qvidem cum Epiſcopis & Archi-Epiſcopis communicatur; Nobilitatis verò nulla habetur ratio: qvum antehac Regibus non eſſet poteſtas ſuſcipiendi peregrinos ad Regni officia, liberæ hodie voluntati Regis id eſt relictum. Et verò, qvi plurimum hodie valent in Republ. illa, ſunt peregrini & Germani. Hi, hi videl. contra antiqvas Regni Leges ad officia Regni admoventur. Maximè verò ad dignitates præcipuas advocantur Holſati, qvi reverâ Germani: ut ſic omninò jam pateat, *Regnum Daniæ eſſe Monarchicũ, inq; hoc à priſcâ plurimùm id deſciviſſe formâ.*

## XIX.

## *Qvæ priſca illa erat Forma?*

Qvantum ex antiqviſſimis Monumentis liqvet, *nunqvam in Dan. obtinuit merum Regnum ſ. Monarchia; ſemper tamen ibi fuit aliqvis Principatus;* qvum Dania nunqvam fuerit ſine aliqvô Rege. Habuerunt qvidem ab antiqvâ memoriâ Germ. Populi *Status Ariſtocraticos:* & Saxonia præcipuè *Ariſtocraticè*, ex parte etiam Democraticè, ante Caroli M. tempora fuit regnata. In Dania verò ſemper ab antiqviſſimâ uſqve memoriâ obtinuit *Principatus ſeu Regnum:* nunqvam tamen *Regnum aliqvod ſimplex*, ſed *mixtum* obtinuit. Non enim

enim summa potestas penes unum fuit Regem, sed simul etiam penes Proceres: ita qvidem, ut aliqvando Principum, aliqvando Populi prævaleret autoritas. Ad *Populum* pertinebant olim (1) Clerus, h.e. *Archi-Episcopi, Episcopi & Abbates:* (2) *Nobiles:* (3) *Urbes:* (4) *Ruricolæ.* Atqve sic idem olim in Dania obtinuit Status, qvi in Svecia: ut ad Rempublicam pertinerent & *Clerici* & *Seculares*, Archi-Episcopi - nempe, Episcopi, Abbates, Nobiles, Urbici, Rustici. Verùm sensim hic Status mutavit. Nam *Rurestres* à reliqvo Populo seclusi, factiqve meri subditi. Mansit tamen autoritas *Clerici:* mansit *Nobilium:* mansit ex parte etiam *urbium.* Et qvidem autoritas Episcoporum duravit: donec facta Religionis mutatio, ferè ad tempp. usq; *Christiani III.* Qvum enim mutatâ Relig. Archi-Episcopis & Episcopis subtractæ essent vires, simul omnis eorum sic concidit autoritas: ut non amplius ad Consilia Reipubl. admoverentur. Pervenit hinc Respubl. ad *Nobiles:* qvi paulatim omnem, etiam Urbium, excluserunt autoritatem. Nec tamen temerè Nobilitas omnia summæ Majestatis jura sibi propria fecit: sed partem reliqvit Regi: ut sic alia esset *Regia*, alia *Senatoria potestas*. Nempe, qvum è numerô Nobilium à Rege seligi inciperent nonnulli, qvi, dicti *Senatores Regni*, interdum ultra, interdum infra numerum tricenarium excrescerent, penes hos verò ac Regem omnes de summâ Reipubl. consultationes essent, dividi cœpit Respubl. Danica in

*Regi-*

*Regiam & Senatoriam potestatem.* Penes Reges erat *potestas eligere Senatores, constituere Archi-Episcopos, Episcopos & Abbates.* Erat itidem tunc penes Regem *collatio Canonicatuum & aliorum beneficiorum Eccles.* qvæ ipsa in Reservatis Imperatoris nostri *jure primariarum precum* hodiè comprehenditur. Erat insuper *constitutio Magistratuum Sacrorum* ac *Politicorum* penes Regem. *Constitutio* etiam *judiciorum* erat juris Regii, &c. *LL.* tamen *condere, fœdera ferire, pacem dare,* nisi *de consensu Procerum, non poterat: neq; item Proceres aliqvid constituere poterant absq; Rege.*

XX.

*Qvô mediô multos sibi in Regno Rex devincire olim poterat?*

*Devincire multos sibi Rex Daniæ Bonis Feudalibus poterat.* Qvisqve enim expectans Bonum aliqvod Feudale necessum habebat, ut blandiretur Regi: utpote penes qvem collatio Feudalium erat. Hâc scil. ratione multùm poterat Rex: qvoniam beneficia ille solus conferebat, Feudaqve in suo habebat ærario. Sic igitur qvamplurima illa, qvæ in Regno Dan. ab antiqvissimis tempp. fuerant, *Feudalia, non hæreditaria, sed ad vitam tantùm concessa à Rege habebantur.*

XXI.

*Annon hodieq; Feudalia illa durant?*

*Non amplius durant.* Abolita enim Bona illa,

illa, qvæ *Feudalia*, Germ. Verlehnungen und Verpachtungen vocabantur, & unà cum autoritate Nobilitatis penitus conciderunt. Conciderunt, inſto, & in Ærarium Regis redigi cœpêre: ita, ut qvantum Rex per diſtractus Provinciarum, *Schoniæ, Hallandiæ, Blekingiæ*, & Inſularum *Gothiæ* ac *Oelandiæ* amiſit, tantùm per ſubitaneam illam Reipubl. mutationem receperit.

## XXII.

## *Reſpublica Danica qvomodo tam ſubitò absq; ullô civili tumultu potuit mutari?*

Solent aliàs mutationes qvævis Rerumpubl. conjunctæ eſſe cum gravisſimis motibus. In Regno verò Danico, qvum *mixta Reipubl. Forma in ſimplicem*, h. e. *Status Regius mixtus in Monarchicum*, ſubitò mutaretur, nihil tale audivimus. *Cauſſam qvietæ ac tranqvillæ mutationis hujus potiſſimam fuiſſe*, docet nos alicubi ὁ πολιτικώτατος *HERMANN. CONRINGIUS*: *qvòd Nobiles ac Senatores Regni adeò malè adminiſtraſſent Rempubl. ut omni reliqvo Populo & ipſi, & ſimiliter omne illorum regimen ac ſtatus eſſet invíſus. Jam verò*, pergit laudatus *CONRINGIUS*, *reliqvus Populus longè numerô & verâ Prudentia valuerat præ Nobilibus. Præterea Senatores Regni, qvi præterpropter 30. nullis inſtructi Arcibus erant, nec in re adeò magnâ. Vires autem eorum debuiſſent eſſe longè potentiores, ſi voluiſſent priſtinum ſuum contine-*

*re aut servare statum. Doluerat etiam jamdudum Clerus, sese locô à Nobilibus pulsum, & Nobiles adse traxisse Rempubl. ALTERA CAUSSA* subitaneæ istius, sed minus turbulentæ, mutationis *contemptus* erat. In eum enim contemptum tunc venerant Senatores; ut omnis jam existimatio horũ periclitaretur, nihilqve superesset, qvô autoritatem suam conservare possent. Jam verò ex *Aristotelis Politicis* id notum est: qvod facilè & sine omni strepitu tunc Respubl. si is, qvi illam tenet, in contemptum veniat, mutari possit. Non enim habet amplius, qvô possit Statum suum conservare. *TERTIA CAUSSA* istius rei erat *conductitius miles peregrinus*. Rex enim tunc temporis tali utebatur milite, eoqve adeò valido: ut vel unus ille turbis in subitâ isthâc Reipubl. mutatione omnibus ac singulis supprimendis suffecisset. *QVARTA* deniq: *CAUSSA consensus totius Cleri & Oppidanorum, cumprimis Civium Hafniensium*, erat. In armis siqvidem omnis Hafnia pro Rege tunc stabat: qvum mutationem jam subitura Danica esset Respublica. Atqve sic qvidem è dictis apparet: *qvo fulcro hodiè Regia nitatur autoritas. Nititur* videl. *voluntate Populi.*

## XXIII.

### *Utrum verò jure subitanea ista Reipubl. Dan. mutatio poterat fieri?*

Sunt,

Sunt, qvi dubitant, duo hæc maximè prætendentes: (1) *qvod Rex longè aliter jurasset*: qvodqve (2) *Populus jam dudum à Reipubl. Comitiis fuisset exclusus.* Verùm reponit hoc cum omnibus cordatioribus ὁ πάνυ CONRINGIUS Politicis: *qvod omnis status Reipubl. pro summâ qv. Lege habeat Salutem Populi: si qvidem is non totus sit servilis.* Qvod si jam pereundum sit populo, in hanc XII. Tabb. Legem omnia recidunt: *SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO.* Atqve sic qvidem, ubi salus Populi stare neqvit, omnes LL. fundamentales, qvoniam præsupponuntur, Saluti Regni cedere debent, vel summæ potius Legi illi, qvâ Salus Populi tanqvam suprema Lex continetur.

## XXIV.

### *Anne sic qvidem modernus Reipubl. Dan. Status stabilis esse potest?*

Novi sanè Status Reipubl. videntur interdum, qvòd diuturni non facilè esse possint. *Omnis* autem *Status diuturnitas ex illis, qvæ conservant Rempubl. & qvidem, respectu ad caussas cùm internas, tùm externas, qvæ mutare Rempubl. possunt, habitô, est æstimanda.* Qvod ad *caussas internas* attinet, *Respubl. facilè mutari potest per motus civiles.* Qvum ergo qværitur: *Utrum Status modernus Reipubl. Dan. stabilis esse possit?* Ego eqvidem respondeo: *qvòd possit esse stabilis, qvoad nitetur benevolentiâ Cleri & Populi.* Nitetur autem bene-

volentiâ & favore Populi, qvamdiu is non onerabitur tributis. Nitetur & benevolentiâ ac favore Populi, si, qvantum licet, honoretur, h. e. immunitatibus atqve honorum dignitatibus cumuletur. Undè & prorsus nulli ibi motus metuendi: qvamdiu scil. Populus præsenti favebit Statui, & qvamdiu Rex benevolentiam Populi eô pacto conciliare sibi studebit.

## XXV.

## *Qvem tamen Respubl. Dan. habet, à qvô sibi multùm metuere possit?*

Qvod *caussas, qvæ mutare Rempubl. possunt, externas* attinet: *Respubl.* sanè *Dan.* etiamsi vicinos alios non habeat, qvos temerè metuat, *vicinum* tamen, à *qvô multùm sibi metuat*, *Svecum habet.* Si enim computemus hodiè vires Svecicas cum reliqvis Danorum viribus, longô intervallô illi hos superant. Olim qvidem semper *Dani potentiores* fuêre *habiti*, idq; vel ideò: qvia (1) *Dani à magnis vectigalibus ad conducendum militem externum erant instructiores: qvia* (2) *vicinam habebant Germaniam, in qvâ facilè poterant militem conducere: nec qvicqvam obstabat, qvo minus miles ille conductus posset pervenire in Daniam.* Ex adversô Svecia longè fuit divisa à Germania: & miles insuper conductitius difficulter è German. in Sveciam poterat pervenire. Sic ergò cogebantur *Sveci semper uti milite domestico. Nempe qvòd partim à vectigalibus non ita essent in-*

*structi,*

*structi*, partim *militem conductitium facilè ad manus habere non possent*. Nunc, nunc qvidem omnia longè aliter sunt comparata. Vectigalia enim Dan. qvæ potissimùm Freto Sundico constabant, immane qvantum sunt diminuta. Deindè Rex Sveciæ hodiè in ipsa German. Ducatum possidet Bremensem, possidet Pomeran. & VVismariam: undè ipse non tantùm militem conductitium habere potest, qvô, si oriatur bellum, statim aggrediatur Daniam; verùm etiam undè impedire possit, qvò minus miles conductitius è German. in Daniam transferatur: qvem tamen in Sveciam facilè transferre potest Rex Sveciæ. Præterea Populus Svecicus magis militaris hodiè est, qvàm Dan. Sic ergò Dani contra Svecos hodiè armis id præstare neqveunt, qvod olim: sed hos habent potiùs, à qvibus sibi metuant, si ad arma deveniatur. Ut sic omninò Danicæ consultius sit Reipubl. si mutuâ concordiâ teneatur, qvàm si cruentis armis dissideat.

XXVI.

*Omne interim Regimen Dan. in qvibus negotiis consistit?*

Consistit, ut Regimen, Rerumpubl. qvarumvis *in Pacis ac Belli negotiis.*

XXVII.

*Pacis negotia in Dania qvomodo se habent?*

*Pacis negotia in Dania admodùm benè se habent:* cumprimis autem illis studuit Rex *Christianus IV*. Is nempe omnium pacis arti-

am erat gnarisſimus, ejusqve temporibus res Populi erant florentisſimæ.

XXVIII.

*Qvotuplicia illa ſunt?*

Sunt vel *Sacra*, vel *profana*. Qvod *SACRA* attinet, in his præprimis ſatis bene ſe habet Dania. Habet enim in omnibus Provinciis unam Religionem, Evangelicam nempe, nec qvicqvam ibi disſidii eſt in Religione. Exulant ſiqvidem variæ ibi & vanæ ſuperſtitiones. Ad hanc unitatem autem Relig. conſervandam orthodoxi Epiſcopi pasſim conſtituti habentur: in qvibus Primas Rotſchildenſis. Huic Regem ungendi poteſtas erat: qvando Rex juramento jam promiſerat, ſe Regni conſvetudines, jura & LL. ſervaturum. *PROFANA* qvod concernit, ſic ſatis bene etiam illa florent. Floret enim Reſpubl. commerciis: ac præterea iis, qvæ ad vitam pertinent, Reſpubl. Dan. non deſtituitur. Judicia qvoqve ibi non protelantur: non utuntur longo ac moroſo proceſſu judiciario: ſed longè faciliùs controverſiæ forenſes omnes ſecundum *Jus Danicum*, qvod Danis per Valdamarum ſcriptum, perqve Epiſcopos & Senatores Daniæ introductum, deciduntur: aut etiam jus ſecundum bonum & æqvum cuilibet dicitur. Inſtituuntur autem judicia primùm apud Judicem diſtrictus, tùm apud Judicem Regiminis: poſt apud Cancellarium: & deniqve apud Regem, qvi deciſivam fert ſententiam. Qvod ſi Judices primi ſententiam tulerint iniqvam,

qvam, in pœnam mediam bonorum partem perdunt: è qvâ unam partem Rex, reliqvam pars læsa accipit.

XXIX.

*Qvid de Belli habes negotiis?*

Qvod *Belli* attinet *negotia*, videtur sanè Respubl. Dan. minus benè circa illa fuisse constituta. Nam maximas suas vires in milite conductitio olim collocabat. Præterea Respubl. illa videtur minus apta fuisse ad belli negotia: qvod Arcibus ac Munimentis Daniâ non ita esset instructa. Pleraqve enim munimenta in Schoniâ fuêre, qvam occupavit Rex Sveciæ. Sola Hafnia nonnihil olim, hodiè verò satis est munita. Habentur & alia ibi hodiè munimenta, à Svecis eô tempore, qvô occupaverant Daniam, incepta, & à Danis deinceps perfecta. Nam *reverà Regni interest, ut fiant munimenta:* qvum sine his populus se non possit defendere: præprimis si non valeat iis viribus, ut possit in acie confligere cum hoste. Latè hinc *CONRING. in Not. ad Machiavell.* ostendit: populum, si non ita sit instructus militaribus viribus, se debere munimentis continere. Sic igitur, ut alibi, ita & in Holsatia hodiè Rex Dan. Arces habet ac loca munitissima aliqvot, qvæ Regnum ipsius à vi externa tutum reddant: ut sunt Glückstadt/ Rensburg/ Krempe/etc.

XXX.

*Qvis gerendarum rerum nervus in Dania?*

*Non adeò magnus ille olim erat.* Nam exiguos proventus è Daniâ suâ Rex percipiebat. Præcipui reditus erant: qvos Rex è telonió freti Sundici habebat. *Hodiè* verò nervus *rerum gerendarum est amplior.* Nam, mutata Reipubl. formâ, Nobilibusqve ademptâ potestate, majores Regi reditus accessêre. Et sanè, è solâ illa Norvvegiâ 1000000. Thal. s. decem Tonnas auri qvotannis percipere Regem, credibile est.

## XXXI.

## *Qvæ vires militares?*

*Ingruentibus necessitatibus magnis Regem Dan. exercitum hodiè 40000. militum, computatis præsidiariis, conscribere, eorundemq; armis pro arbitrio uti posse*, ambigendum non est. Populus enim, qvi terrestri militiæ parum idoneus, qvamvis corpore validus viriumqve robore pollens esset, hodiè, totidem ingruentibus bellis, admodum aptus redditus est armis: ut non amplius uno milite conductitio sit opus. *Præcipuæ* tamen *Regni vires in Classibus maritimis numeroq;, in usum belli munitarum, navium spectantur.* Narrant sanè Historiæ: Christiernum II. ad petitionem Henr. II. Regis Gall. Classem 100. navium contra Anglos in Scotiam misisse: in qvibus X. millia militum fuerint.

## XXXII.

## *Qvot & qvænam rebus cùm civilibus tùm militaribus in Daniâ hodiè ordinata habentur Consilia?*

*Qvinq;*

*Qvinq;* heic *ordinata* utrisqve rebus ſunt *Conſilia: Conſilium* nempè (1) *Status:* (2) *Conſilium Bellicum:* (3) *Conſilium Juſtitiæ:* (4) *Conſilium Ærarii:* (5) *Conſilium Maritimum.* Sunt & adhuc alia parva qvædam *Conſilia*, ut *Commerciorum*, *Cancellariæ*, *&c.* Sunt autem in his omnibus Conſiliis Rex & hæreditarius Princeps Præſides.

XXXIII.

*Rebus Dan. firmiter hoc talô ſtantibus, qvantum univerſi Regni Danici amplitudinem eſſe cenſes?*

*Amplitudo ſatis eſt magna:* præprimis ſi *DANIAM* & *NORVVEGIAM*, prout qvidem jampridem perpetuô fœdere conjunctæ habentur, conjungas: ſi & addas HOLSATIAM. Næ *JONAS COLDINGENSIS* in *Deſcript. Dan.* tradit: *Regni hujus ambitum 540. milliaribus teneri*, ipſo ſc. à 54. & 55. gradibus verſus Polum Arcticum ſe extendere.

*XXXIV.*

*Qvot præcipuæ igitur Ditiones ſunt, qvibus hodiè jus ſuum dicere poteſt Danus?*

Sunt *tres: DANIA* nempe, *NORVVEGIA* & *HOLSATIA.*

*XXXV.*

*Daniæ nomen unde?*

Variant Auctores in Daniæ nomine enucleando. *SAXO GRAMMAT.* à DANO, primo

hujus Gentis Rege, id deducit. *ANDR. VELLEJUS*, Historiographus Regius, natione Danus, à Dahis, Scythiæ Populo, nomen derivat, cumqve vocabulo *MARCK*, non fines, sed regionem significante, conjunctum esse ait. *PONTANUS* illorum sententiæ accedit: qvi nominis *Daniæ & Danemarchiæ* originem acceptam ferunt Danscionibus, Genti Scaniam olim incolenti. *Undè etiam Danos, ait, se non Denes, aut Densches, nomine exteris usitato, sed Danschos cognominare.* Aliam sententiam *PHILIPPUS CLUVERIUS*, in *German. Antiqvâ* tuetur: ubi illi docet, *Teutonos & Teutones Zelandiæ insulæ, cujus Hafniæ caput, habitatores antiqvos nomen hoc mutuatos esse à vocabb. GODAN & DAN, qvæ Deum significant. Hinc seipsos* The Godánon *&* The Dánon, *vel* Dænos *&* Danos *appellasse, & adhuc hodierno tempore* Danske, *& qvemvis è Daniâ oriundum* Danman, id est, *Danicum virum, vel hominem, appellare.* Sunt, qvi à *Juliô Cæsare* Daniam à *dando* dictam esse existimant: qvòd, qvum Cimbri lebetem magnæ æstimationis ei donassent, non mediocrem ab eô liberalitatis laudem abstulerint. Qvicqvid sit: nunqvam interim à *Saxonis* sui opinione se divelli vult *STEPHANUS JOHANNIS STEPHANIUS Not. uberior. in L. 1. Hist. Dan. Saxon. Gramm.* qvin *Danum, Humbli filium, Principem Gentis Dan.* ὀνομαϑέτην agnoscat. Nam, qvod ad illam attinet appellationem, qvâ pleriqve Scriptorum veterum, imprimis Seculi seqvioris, *Danos*

*Dacos*

*Dacos* indigitant, in ea semper ille persistit sententia, *longè fuisse alios Dacos qvàm Danos, & Dacorum nomen in media barbarie ab hominum imperitiâ Genti Danorum impositum esse.*

## XXXVI.

## *In qvot olim principalia discernebatur Regna?*

Respondet OLAUS VVORMIUS *L. 1. Fastorum Dan. c. 2.* antiqvitùs, *qvod hodiè Imperium Dan. vocatur, in tria Arctoi Orbis principalia Regna fuisse discretum: in Cismarinum* scil. qvod *Cimbricum* dictum; *Intermarinum*, qvod *Balthicum s. Dan.* dictum; & in *Transmarinum*, qvod *Gothicum* fuerat. *Horum* autem *singula suos imperio segregatos obtinuisse Reges*, ille ait. *Sed fatali rerum vicissitudine, variisq; intervenientibus affinitatibus ac præliis, tandem in unam gentem, unius Regis imperium agnoscentem, coaluisse*, idem scribit *VVORMIUS*: ita qvidem, ut *Danicum* nomen reliqva absorpserit, & sub se continere cœperit: licet per vices unum olim alteri prælatum.

## XXXVII.

## *Qvis Titulus exinde Daniæ mansit Regibus?*

Etiamsi hâc de caussâ sæpenumerò gravis inter Reges Daniæ ac Sveciæ extiterit contentio, qvod illi in Titulo sese appellarent *Reges*

*Gothorum*, qvum hi qvidem potissimam Gothiæ partem tenere cœpissent: mansit tamen Titulus Dano, qvem è pristinâ Gothiæ possessione sibi acqvisiverat. Nec potuêre Sveci Daniæ Regibus in hunc usqve diem extorqvere istum Titulum: utut hi planè nihil amplius possideant, qvod ad Gothiam pertinet. Nempe, posteaqvam præcipuæ illæ Gothiæ partes, *Schonia*, *Blekingia & Hallandia*, per Transactionem Rothschildensem ad Svecos transivêre, planè omni in Gothiam jure excidêre Dani.

XXXIIX.

*Qvos alios præter Gothos in Titulum Regium adscitos sibi habet Danus?*

Habent & hodieqve in Regio suo Titulo Daniæ Reges *Venetos*, sive, ut perperam vulgò loqvimur, *Vandalos:* qvum rectius olim Slavorum Reges dicerentur. Suspicatur autem CONRINGIUS *de Finibus German c. XVI.* & nomen illud ac titulum ortum olim, & nunc adeò more prisco retineri, respectu Regii cujusdam juris in illas Venetorum terras : qvæ Albim inter ac Balthicum Mare sunt sitæ, atqve ad Vistulam usqve fluvium protensæ. Etiamsi enim *Nordalbingiæ* Titulus, olim & ipse à Regibus Daniæ usurpatus, dudum desierit, *Venetorum* tamen hodienum durat.

XXXIX.

*Qvæ vera demum caussa Regii de Venetis assumpti Titiuli, qvô jam ab aliqvot seculis Dania usa fuit, ac hodienum utitur?*

Non

Non ſatis qvidem, dubius & ipſe, *CRANTZIUS* ſibi hâc in re conſtat. Videtur tamen cauſſas afferre *tres*. Solâ autem conjecturâ ductus, non certo *L. 1. c. X.* ſubnixus argumentô, fide Saxonis, Venetorum illorum antiqviſſima cum Danis prælia narrat, ac ſcribit: *Volitabat diu incerta victoria, qvibus ſignis inclinaret. Demum Danis ceſſit, oppreſſo in acie VVandalorum Rege Sturmicone. Concidente enim Rege fors qvoqve Regni concidiſſe videbatur. Venit iterum in ditionem Daniæ VVandalia. Unde videri poteſt, permanſiſſe in hodiernum diem cum Danorum Regibus Titulum, ut ſe Gothorum & VVandalorum Reges ſcribant: qvamvis nihil in VVandalia à multis diu ſeculis tenuerint.* *Altera* longè veriſimilior eſt *ratio*, ac ideo plures ſectatores invenit, à S. Canuto, Obotritorum Rege per Lothar. II. Cæſarem conſtituto, petita. Qva de re ille *L. III. VVandal. c. 30.* *Canutus Obotritorum Rex apud omnes habebatur. Qvæ res initium præſtabat (ut eſt promptum conjecturâ) noſtri Seculi Danorum Regibus, ut ſe Danorum VVandalorumq; Reges efferant in Titulo: nam moriens Canutus Regium Titulum transmiſit ad poſteros.* *Tertiâ* à *CRANTZIO* adducta *cauſſa* omnium videtur veriſimillima, *ſubjugatio* nempe *Venetorū*: ut proprio qvidem Latino vocabulo audiunt, qvorum nomen à *CRANTZIO* aliisqve in Vandalorum nomen mutatum. Audiamus *L. III. c. 30. CRANTZIUM*: *Sed & multis deinde bellis*, ſcribit ille, *magna pars VVanda-*

*liæ littoralis paruit Regibus Danorum: ut indè qvoq; Titulum mutuati credantur.* Sic jam demum liqvet, *& nullô Imperii Germanici beneficiô illud nomen Danis partum, & haud inani illud fundamento innixum.* Armis siqvidem devicta Sclavonia inqve provinciam redacta nomen qvoqve regium haud immeritò, inconsultâ etiam Germaniâ ornavit.

XL.

*Qvicqvid sit, Dania tamen qvibus hodiè qvàm maximè terminatur finibus?*

*Universum hodiè Daniæ vel Danemarchiæ Regnum istis potissimùm terminatur finibus, qvi ipsi occidui* Oceanum Germanicum; *orientales* Mare Balthicum; *boreales* Norvvegiam; *meridionales* Holsatiam, Ducatum Megapolitanum & Pomeraniam, (uno nomine, Germaniam) tangunt, eamqve *Eidorâ* fluvio separant.

XLI.

*Qvomodo illa ipsa hodieq; distingvitur?*

Distingvitur in *continentem* partim *terram*, partim in *Insulas*.

XLII.

*Continentis partes præcipuæ qvænam?*

Sunt *Chersonesus* illa *Cimbrica*, qvæ *Jutiam*; & *Scandinavia*, qvæ solam *Scaniam* significare dici-

dicitur. Hæc altera tamen præcipua Daniæ pars meri hodiè juris eſt Svecici, paucos ante annos perpetuô jure ditionis Svecicæ facta.

XLIII.

*Jutia qvomodo dividitur?*

*Jutia ſ. Jutlandia*, Peninſula illa Daniæ, cujus *longitudo* à Promontorio Scagen ad Holſatiam 53. *milliar. German. latitudo* interdum *milliar. German.* 20. in *meridionalem* dividitur & *ſeptentrionalem.*

XLIV.

*Qvæ meridionalis eſt Jutia?*

Eſt illa, *qvæ finibus ſuis meridionalibus Holſatiam tangens, Scleswicenſem Ducatum, Anglen & parvam Frislandiam comprehendit.* Ejus longitudo ab Eidora oppidoqve Rensburgo ad Coldingam milliar. eſt 18. latitudo alibi 6. alibi 8. milliarium.

XLV.

*Qvæ Septentrionalis?*

Eſt hæc, *qvæ Daniæ Regni propria ad Norwegiam, extenſione longiori qvàm Meridion. exporrigitur.* Ejus finis eſt oppidum Scaga: ubi, in anguſtum promontorium deſinens, Syrtibus ac periculoſo mari nautis ſe notiſſimam reddidit.

XLVI.

*Qvæ partes hujus ſunt Jutiæ?*

*Partes ſunt IV. ingentes Epiſcopatus:* in qvos qvidem terra iſta diviſa. *Ripenſis* nempe Ripam, *Arhuſenſis* Arhuſam, *Alburgenſis* Alburgum, &

& *VViburgensis* Wiburgum sedem Episcopalem & tribunal habens.

XLVII.

*De alterâ illâ magnâ olim Regni Danici Provinciâ, de Scandinavia nempe, seu Scaniâ, qvid habes?*

Hoc habeo: *qvòd*, licet latiore significatione vocabulũ *Scaniæ* aliàs extendatur, & utramqve Regionem, *Hallandiam* puta & *Blekingiam*, comprehensione suâ includat, *nostrâ* tamen *hâc ætate solam Schoniam complectatur*: qvæ, ortu suo Sveciæ, boreali autem fine Regno Norvvegiæ finitima, inter Blekingiam & Hallandiam situm medium obtinet. *Latitudo 12. & longitudo 18. est milliarium.* Atqve hinc omninò brevis ac facilis in oppositam Insulam *Zeelandiam* vel *Seelandiam*, per angustias freti inter *Croneburgum* & *Helsinburgum* civitatem, est transitus.

XLVIII.

*Tota heic maris intercapedo qvô nomine peculiariter appellatur?*

*Tota maris intercapedo à freto Ore-Sund* vel *Sund*, Zeelandiam Insulam & Scaniæ continentem tranante & urbem Helsinburg. præterfluente, ad Vistulæ Ostium & porrò Livoniæ, Moscoviæ & Sveciæ litora proficiscens, freqventi appellatione hodiernâ die *Ost-Zee.* i. e. *Mare Orientale*, vel *Orientem spectans, audit.*

XLIX.

*Undè & à qvibus primò nomen Maris Balthici ipsi est impositum?*

Impositum hoc Nomen orientali est Mari primò ab *ADAMO BREMENSI, HELLMOLDO & CRANTZIO.* Est autem idem nomen ab incolis, Aqvarum congeriem hanc eodem appellantibus nomine profectum. Belt scil. portio ejus inter Zeelandiam & Fioniam cognominationis suæ originem petit à vocabulo Belt/ incolis *cingulum* aut *baltheum* significante: *eò qvod figura maris & terræ his in locis perindè se habeat, ac si cinguli aut balthei instar illam circumdet.*

L.

*Insulæ* Daniæ seqvuntur: *qvotuplices verò illæ sunt?*

Sunt *Minores* aliæ, aliæ *Majores. Minores* in censum heic non veniunt: *Majorum* autem census jam est habendus.

LI.

*Qvæ sunt Majores illæ Insulæ?*

Sunt *Fionia* & *Zeelandia.* Funen, Fünen & Fionia, à figuræ ac situs amœnitate & elegantiâ nomen mutuatur. Ejus marginem occiduum à Jutiæ continente angustus admodum maris transitus, vehementissimo murmure *Mittelburgum* feriens, sejungit: mediam verò Insulam situs Ottoniæ vel Otten-See / urbis primariæ & Episcopalis, occupat. Eidem & Insulæ subesse dicitur (1) *Langelandia*, denomina-

nationem suam à longitudine, VII. milliarium extensionem conficiente, qvum tamen vix in duorum milliar. latitudinem se projiciat, petens. (2) *Lalandia*, cui nomen situs humilis & depressus suppeditavit. (3) *Insula Falster*, vel *Falstria*, 4. milliaria longitudine complectens, soloqve frumenti adeò feraci utens, ut non vicinos modò, sed & remotiores frumenti sui copiosi participes reddere qveat. Atqve ex hâc Insula plerumqve solvere solent, qvi in German. trajicere cupiunt.

LII.

## *Zeelandia qvæ, qvalis, ac qvanta est Insula?*

Magnitudine & amœnitate cæteris omnibus Regni Dan. Insulis palmam præripit: ipsaqve *Codanonia* Plinii esse à nonnullis credita: qvum inter Fioniam ac Scaniam interjaceat, atq; 16. mill. German. longitudine, & 14. latitudine finiatur. Urbes celebriores sunt Coppenhagen/Helsingoer/ubi vectigal à Rege Daniæ exigitur, Rotschild / ad maris sinum sita, Nicopia, &c. Heic porrò est *Croneburgum*, propugnaculum fortissimum ad fretum Sundicum. Pertinet & ad Zeelandiam *Insula Möen*, Monßland & *VVeen*: qvam tamen Sveci ad Scaniam pertinere dicunt, illamqve hodie tenent.

LIII.

## *E descriptione hac Daniæ qvid facilè apparet?*

Ap-

Apparet indè: *situm Daniæ ita esse compositum, ut non possit facile adiri ab hoste aliqvo terrestri itinere, nec ipsi Dani alias possint infestare terras, nisi in Jutia, & ex Jutia.* Sola enim Jutia patet incursionibus Germanarum gentium, & ex Jutia Dani possunt pervenire in German. itineri terrestri. Qvapropter contigit: ut Imperatores non semel in illam terram incursiones fecerint: & qvidem adeò feliciter, ut omnem etiam Jutiam occupârint. Legimus sanè, *Henricum Aucupem*, impetu factô, in Jutia constituisse *Marchionatum*, ut tunc loqvebantur *Slesvicensem*. Non multò post, qvum in libertatem se asseruissent Dani, universam Jutiam occupavit *Otto Magnus*: qvi & ipse pervenit ad ultimum Jutiæ promontorium, ferturqve hastam indè projecisse in mare, ut ostenderet, se illius maris esse Dominum. Undè adhuc manet nomen: qvòd promontorium illud dicatur Otten-Sund. Qvid? qvòd idem ille omnes Episcopatus per Jutiam fundârit. Occupavit & nostrâ hâc ætate universam Jutiam *Carolus Gustavus* Rex Sveciæ. Non poterat autem ipse in Insulas pervenire: donec admirandâ Dei potentiâ glacie parata via. Aliàs enim à pedestri itinere Insulæ istæ fuissent tutæ. Nec potest Schonia terrestri itinere adiri: nisi unâ parte, qvâ juncta fuit Sveciæ. Postqvam verò illi jam juncta, patet, nihil esse, qvô Dan, terrestri itinere adiri posset, nisi per Jutiam. Insulas autem nemo potest invadere, nisi qvi classe valet.

LIV. Ca-

LIV.

*Cæterùm qvæ bonitas soli est Danici?*

*Septentrionalis Jutia incredibilem frumenti vim generat: suntq́ ibi pabula lætissima.* Ripæ fluvio pons est impositus: ubi vectigal Regi persolvitur. Per hunc verò 4000 o. boum & amplius, totidemqve ferè eqvi, qvotannis in alias educuntur Regiones. Sed & *Meridionalis Jutia* pecore abundat: est & utraqve Jutia ob piscatum celebris. Frumento item Fionia abundat, ibiqve agri tam pingves sunt, ut stercoratione haut indigeant. Sunt reliqvæ qvoqve Insulæ Danicæ frugiferæ. Sunt satis deniq; cum totâ illa continenti Daniæ terrâ hodieqve populosæ: ita ut hominum numerus ibi nunqvam deficiat.

LV.

*Qvæ indoles ac mores Populi?*

Inter alia de moribus ac indole Danorum scribit nonnemo: *eos magnæ staturæ esse homines ac faciei venustæ, & colore vivo, suspiciosos, astutos, inq́ actionibus providos & cautos: superbos item & philautos, multi qvoq́ cibi & potus: concoctione valentem habere stomachum, & diu vivere: severos etiam & ad lites pronos, periculorum contemptores, venationis ac peregrinationis studiosos, & pertinaci patrocinio suam opinionem defendentes, justitiæ tamen defensores acerrimos:* porrò facili negotio lingvas addiscere, studiorumqve liberalium amantissimos, pactis & conventis firmiter stare: prolis nume-

merosæ patres & pulcrarum uxorum maritos, prudentes patresfamilias, ad rem tamen attentiores.

LVI.

*Qvæ Lingva?*

*Non* sanê heic *PONTANUS inficiatur, Danos Germanos, eorumq́; Lingvam esse German.* immò trium horum populorum, *Danorum, Sveeorum* & *Norrwegiorum*, idioma loqvendi sola pronunciatione & exiguâ vocabb. nonnullorum immutatione discrepare: passim verò vocabula ipsa Germanicis in Germania aut Saxonicis respondere, Lingvâ tamen qvavis idiomatis sui proprietatem ita conservante, ut à Germanicis eas non callentibus haut facilè intelligi qveant: imò in Danica ac cæteris duabus Lingvis multa vocabula reperiri, qvæ cum Germanici sermonis idiomate nihil commune & familiare habeant.

LVII.

*Qvæ ac qvot Lingvæ Dan. sunt Dialecti?*

*Danicam Lingvam in tres dividi Dialectos*, inqve Jutia paulò aliter, qvàm in Zeelandia, & in hâc iterum aliô pactô, qvàm in Scaniâ efferri, *JOH. LYSCANDER Serm. IV. Antiqv. Dan.* tradit.

LVIII.

*Lingva Danica unde & cur dicta antiqvitùs Runica?*

*Runi-*

*Runica* vel *Runa Maali* antiqvitùs *Lingva Dan.* à *Runis* dici meruit: eò qvòd in Lingva sua veteres illis uterentur Dani.

LIX.

*Runæ qvid erant?*

*Runæ certæ erant literæ, figurarum ductibus ab omnibus aliis discrepantes:* qvas qvidem *duum generum* tenebant qvondam Dani. *Aliæ erant, qvibus ad res gestas consignandas animiq; sensa exprimenda communiter utebantur literati, RUNÆ* & ipsi inde dicti. Erant & *alteræ, qvibus Magi in incantationibus & præstigiis utebantur.* Harum qvidem tantam vim & efficaciam inesse sibi persvadebant misellì homines: ut iisdem hostes necare, ursos ligare, grandines concitare, manes elicere valerent. Atqve ab hoc altero qvidem Runarum genere *Magia Runica* & *Runo-Magia* dici cœpit: haud secus ac à priori Runarum genere *Literatura Runica* dicta: ad qvam Appendicem scripsit ac edidit *OLAUS WORMIUS*. Vide & ipsum *L. 1. Fast. Dan. c. 1.*

LX.

***Sed populum ipsum in qvot per universam Daniam Ordines divisum olim fuisse putas?***

Divisus fuit in *Ordines* sive *Status qvinqve. Primus Ordinum REX* erat *Regiaq; Familia. Hujus PRIMOGENITUS FILIUS Regno destinatus electusq; communi Senatorum suffragio*

*gio Princeps Regni* appellabatur. Cæteri Fratres *Ducum* atqve *Hæredum Norwegiæ*, qvod Hæreditarium erat Regnum, titulô decorabantur. Sed Danici Regni nullô modô participes esse poterant, nisi *electione publicâ* ad id admitterentur. *Alter Ordo NOBILIUM* erat. Inter *Nobiles* verò nulli Duces, nulli Comites aut Barones. Summa dignitas *Auratorum Eqvitum* erat: qvæ in benè de Rege aut Regno meritos Nobiles conferebatur. Atqve ex hoc qvidem Ordine *Senatores Regni* eligebantur: item *Præfectus* s. *Magister Aulæ*, *Mareschallus*, *Admiralius*, *Cancellarius Regni*, *Cancellarius Regis*, & *Ærarii Præfectus*. *Tertius Status* erat *ECCLESIASTICUS*: in qvo *Episcopi VII.* ut *Archi-Episcopus Lundensis*, *Episcopus Rotschild. Othoniensis*, *Ripensis*, *VViburgensis*, *Arhusiensis* & *Sleswicensis*. *Qvartus Status CIVIUM* erat & *MERCATORUM*: qvorum liberi, si literis operam dedissent, ad diversas functiones Ecclesiasticas & Canonicatus promovebantur. *Qvintus RUSTICORUM* erat. Qvorum *duo genera*: *primum* eorum, qvi, *Freibunder* appellati, hæreditaria sua bona possidebant, qvotannis parum de suo pendentes: *alterum* horũ, qvi non hæreditaria, sed à Rege, Nobilibus, aut Ecclesiasticis conducta bona possidebant, variis inde oneribus & servitiis præstandis devincti. Atqve his qvidem in Regni consessibus publicis non erat locus.

LXI. *An-*

## LXI.

### *Anne & hæc Danici Populi divisio hodieq; valet?*

*Non valet ex omni ampliùs parte:* posteaqvam Regnum electitium transiit in hæreditarium, suiqve juris Monarcha factus est Rex Daniæ.

## LXII.

### *Cujus qvæso nominis, missâ jam Daniâ, est Norwegia?*

*Norwegia*, qvæ à Meridie Daniâ, ab Occidente & Septentrione Danico Mari vel Boreali Oceano, & ab Oriente Sveciâ ac Lappiâ terminatur, *ab incolis hodiernis, seipsos Norbager nominantibus, appellari videtur. Bagge* Danis idem est, *qvod à tergo*, vel *longè remotum.* Qvi tamen nominibus *Norvedia* & *Norvegia*, non autem appellatione *Norvagiâ*, constanter utuntur, *viam Borealem, vel Regionem, Septentrionibus situm suum obvertentem*, intelligunt. *VVeden* enim & *VVegen viam* vel *Regionis alicujus tractum* interpretantur. Et certè hujus Regni situs ad Boream, qvàm Daniæ, propiùs accedit.

## LXIII.

### *Cujus est amplitudinis?*

*Norwegia*, qvæ & ipsa cum Regno Sveciæ ingentem *Peninsulam* constituit, *istius*, etiamsi Sveciam excipias, est *amplitudinis, ut, juxta AUGUSTINUM Liberum Baronem in Mærsberg, 300. milliarium longitudinem projiciat,* lati-

*latitudinem tamen in arctissimas admodum angustias contrahens.* Longâ insuper montium, perpetuâ nive contectorum, intercessione à Sveciæ Regno disterminatur: ut facilè sic appareat, neqve terrestri itinere Norvvegiæ Regnum facilè posse adiri à Svecis.

LXIV.

*Cujus est qvalitatis?*

*Aëre fruitur satis leni & bono: Mare piscium admirandâ copiâ qvidem scatet; terræ tamen asperior natura minorem frugum & frumenti proventum incolis largitur.* Interim valles, incolis habitatæ, rei pecuariæ ob pascuorum & pratorum affluentiam maximè sunt idoneæ.

LXV.

*Qvibus rebus cumprimis affluit?*

*Ferrô* cumprimis, *cuprô, plumbô, ligno, asellô, aliisq; arefactis piscibus affluit.* Ut enim in Scotia, sic qvoqve heic piscatus halecum copiosissimus incredibilem piscium eorundem copiam exteris nationibus sufficit. Qvid? qvòd & præter pisces arefactos qvamplurimas qvercus, abietes, piceas, asseres, trabes, malos, pelles pretiosas varias, sebum, butyrum, corium, balænarum adipem, picem, toti ferè Europæ suppeditet.

LXVI.

*Anne & populosa?*

*Norwegia sanè pro magnitudine sua paucos habet hodie incolas.* Olim tamen ingenti abun-

davit hominum multitudine. Apparet id ex iis, qvæ seculo post natum Christum 10. & 11. contigêre. Norvvegici enim, qvi *Nordmanni* vel *Normanni* dicti ac piraticam exercuêre, colonias tantâ vi & copiâ è terris istis emisêrunt, ut aliqvot myriades hominum in Galliam & Belgium se penetrârint. Seculo post natum Christum IX. incredibile est, qvantam exercuerint sævitiam, & qvô impetu vexârint Angliam, & occupârint Scotiam, & infestârint Germaniam circa Frisiam & Rhenum, usqve ad Coloniam Agrippinam & Aqvisgranum. *Normannia* hodieqve superest in Gallia, qvæ à posteris istorum piratarum incolitur. Similiter invenêre sedes in Bataviâ: ut, inde nomen esse *Hollandiæ* & *Seelandiæ*, credat CONRINGIUS. Videtur nempe ipsi *Hallandia Danica HOLLANDIÆ*, *Zeelandia* verò & ipsa *Danica SEELANDIÆ BATAVICÆ* nomen dedisse: ut sic dubium non sit, primos Normannos olim, qvi occuparunt Hollandiam, ac Seelandiam, oriundos ex Hallandia ac Zeelandia Danicâ fuisse.

## LXVII.

### *Totæne juris Dani i?*

*Norwegia*, in qvinqve Præfecturas & Arces regias divisa, *non tota juris est Danici*. Nam *Babusiensis*, qvæ cæterarum optima, per pacem Rotschildensem cessit Svecis.

## LXVIII.

### *Num & alias sub ditione sua provin-*

*vin-*

*vincias Norwegiæ Regnum complectitur?*

Complectitur omninò (1) *Finmarchiam*, (2) *Islandiam*, (3) *Groenlandiam*.

LXIX.

*Quæ Finmarchia illa?*

*Est, quæ, vulgari appellatione Taakemarch dicta, Norwegiæ Septentrionales terminos attingit.* Alia autem à *Finlandia* in Sveciæ Regno in certas præfecturas ac possessiones non secatur, sed unicuiqve possidenda patet: ita ut, qvi primus locum aliqvem occupet, eundem sibi retineat, non qvidem proprium, sed fructum ejus tantùm habeat. Incolæ, exercitio piscatus dediti, qvum ibi neqve seratur, neqve metatur, solis piscibus & ferarum carne locô alimenti utuntur. Æstivo hinc tempore in litore maritimo commorantur, piscatu sibi victum parantes; hyeme verò appetente in mediterranea concedunt, lignis & arboribus focorum incendiô absumptis, alia atq; alia qværentes habitacula, in qvibus ligna copiosissimè ipsis suppetere qveant.

LXX.

*Quæ Islandia?*

*Insula insignis est magnitudinis omnium hodiè, qvæ in Europa versus Septentrionem sitæ, ultima*, ipsaqve humanis habitaculis Anno 874. freqventari cœpta.

LXXI.

*An eadem hæc, qvæ olim Thule dicta?*

Qvum ſint, qvi tradunt, *Islandiam Inſulam eſſe, qvæ Thule vocata à Romanis*, egregiè qvidem traditionem hanc *ARNGRIMUS JONAS, Islandus doctus*, qvi hanc *ſuam Patriam tribus deſcriptam Libris* in lucem emiſit, ibidem refutat, atqve oſtendit, *Romanos nunqvam perveniſſe in Islandiam, ſed per Thulen Orcadum aliqvam Inſulam eſſe intelligendam.* Verùm maſculè ſe *JONÆ* huic *IS. PONTANUS* opponit; inqve *Commentar. de Reb. Dan.* contrariam tuetur ſententiam, prolixè admodum ex antiqvis Scriptoribus contra *Cambdenum, Ortelium* & *Angrimum*, idem aſſerens, qvod *PHILIPP. CLUVERIUS Libro de antiqvâ* aſſeruerat *German. Islandiam* nempe *Veterum Thulen eſſe*. Inter alia dicit ille, ac docet: *Inſulam prædictam multò antè annum 874. eodem nomine notam ac habitatam fuiſſe:* qvum Anno 834. Ansgario Archi-Epiſcopo Hamburg. Cæſar Ludovicus Pius Islandorum curam commendârit. In cæteris facilè concedit *Arngrimo PONTANUS: ſi Islandorum lingva & alia reſpiciantur, à Norwegis ad Islandos cuncta eſſe derivata:* præcipuè ubi *Plinius* teſtatùr, *è Nerigone in Thulen navigationes freqventatas fuiſſe.*

## LXXII.

### *Qvæ tandem Groenlandia?*

*Longè ſupra Islandiam eſt vaſtiſſima & ob magnitudinem nondum tota cognita, ipſa tamen juris hodiè Norwegici, terra, incolarum non expers,*

olim

*olim celebris & à Norwegis freqventata:* qvam caſu Anno 987. inveniſſe coloniſqve impleviſſe *Ericus Rauderus* perhibetur. Urbes hinc ſuas &Epiſcopum qvum habuerit, ipſa, auri, argenti, & omnis generis metallorum, ſed nullius frumenti ferax, reiq; pecuariæ apta, Occidentalis Indiæ creditur Peninſula.

LXXIII.

## *Annon hodieq; terra iſta hominibus eſt cognita?*

*Periit, periit Groenlandia hodiè Norwegica, vel homines in ea Norwegici:* qvô caſu, incertum. Fortè autem glacialibus montibus obſtructi ferè omnis Groenlandiæ portus notitiam ejus nobis ademerunt: ut Norvvegos in ea vel extinctos neceſſe ſit, vel ad interiora migraſſe. Sic itaqve, qvum ab aliqvot ſeculis iſta terra habitari, & ab Europæis gentibus navigiis peti deſierit, factum inde: ut qvidem memoria illius nominis manſerit, ſed terræ cognitio planè perierit: ita ut vix dici qveat, qvænam Groenlandia fuerit. Inventæ qvidem à 90. annis ſunt terræ ab Anglis ac Batavis, qvas veterum Groenlandiam eſſe vero videtur ſimile: ſed ibi ne veſtigia qvidem humanæ culturæ repertæ: nec etiamnum terræ incoluntur: Ignoratur & adhuc, utrum terræ iſtæ ſint Inſula, an Continens. Adeuntur tamen qvotannis piſcaturæ cauſsâ, & qvidem ob piſcaturam balænarum. Eſt enim peculiaris *Societas* in Batavia, *Groenlandica* dicta: qvæ multis qvotannis navibus eò it ba-

lænas piſcatum. Eſtq́re proventus iſte non contemnendus.

LXXIV.

*Sic igitur, qvoniam tenent Norwegi hodiè Islandiam, tenuerunt olim Groenlandiam, & antehac etiam Orcades Inſulas, qvid ipſi ſibi arrogant?*

*Nec hodie qvidem illi dubitant ſibi ac Regno ſuo arrogare dominium Maris: qvod alluit Islandiam, Orcades & Norwegiam.* Ita ſcil. arrogant id ſibi, nemo autem ipſis cedit. Oppoſuit interim, qvum *HUGO GROTIUS* conſcripſiſſet *Librum, cui Tit. Mare liberum*, & huic poſteà alium oppoſuiſſet *Librum JOH. SELDENUS, cui Tit. Mare clauſum*, non dubitans ibidem jus univerſi Oceani arrogare Regno Angliæ, ſe utriqve *JOH. IS. PONTANUS:* ut *ſingulari Libro jura Regni Norweg* defenderet. Prætendit autem ipſe, *Mare Septentrionale juris eſſe Norwegici:* reliqvum tamen Mare non curat.

LXXV.

*Nonne & ipſi Dani jus aliqvando in Mare ſibi arrogârunt?*

*Arrogarunt Dani jus ſibi Chriſtiani IV. tempore in univerſum Mare Balthicum.* Eô nempe prætextu: *qvòd fortiſſima clauſtra Maris Balthici circa fretum Sundicum poſſiderent.* Verùm *exigui momenti prætextum illum* Erudit. nonnemo *judicat:* qvia (1) *provinciæ illæ,*

qvæ

*qvæ sitæ ad Mare Balthicum in navigiis suis clau-stris istis non indigeant.* Lubecenses siqvidem, Livoni, Prussi, Sveci, Megapolitani commercia exercere in Mari Balthico, non trajectô fretô Sundicô, possunt. (2) *Qvia non seqvatur: qvi tenet fretum, Dominus qvoq; totius est Maris.* Aliàs si Rex Hispan Fretum occupasset Herculeum, pari se jure appellare *Dominum Maris Mediterranei* potuisset. *Qvia* (3) *si mores videamus antiqvos, nuspiam legere liceat, accolas Maris Balthici unqvam credidisse qvemqvam totius Maris Balthici esse Dominum, sed illud liberum esse, nisi exceptis iis, qvæ proxima litoribus, eaq; in dominio accolarum esse. Primus sanè*, inqvit *CONRING. de Fin. Imp. c. XXX. Albericus Gentilis, homo Italus, sed in Anglia degens, universum Oceanum Anglicano Sceptro obnoxium pronunciavit L. I. Advoc. Hispan. c. 8. cujus insanum deinceps dogma defendendum suscepit integrô Libro IIdo Maris clausi Vir Lectionis infinitæ JOH. SELDENUS: qvum tamen ipsamet Elisabetha exactè aliter & rectius judicarit, & Jacobus Rex Marinos Regni sui limites publicô edictô longè distinxerit, ut ab aliis, ita & à Germaniæ vicinia: qvod ipse Albericus non potuit diffiteri.*

## LXXVI.

### *Hodieq; autem qvod jus sibi tribuit Rex Daniæ?*

*Jus sibi tribuit in civitatem Hamburg. &*

*qvidem jure ac titulô Ducis Holsatiæ.* Id autem vel ideò facit: *qvia in territorio Holsatico, & qvidem Provinciæ Stormariæ, Hamburgum sit situm.* Ita scil. est: qvòd, qvæcunqve intra Principis territorium septa continentur, ea omnia ordinariæ illius jurisdictioni subjecta esse censeantur. Verùm *Hamburgum liberam se Civitatem esse dicit*, deqve Anno 1521. Matriculam adducit: in qvâ inter Civitates Imperiales collocetur. Ne dicam, qvòd pro urbe adducatur: *haberi eandem in Camerâ Imperiali in decernendis processibus pro Imperii Statu.*

LXXVII.

*Ecqvæ verò Holsatia est, qvam maximè obstrictam sibi tenet Danus?*

Qvanqvam omnis olim Holsatia, qvæ abolitâ penitus *Comitum* denominatione, *Titulum Ducatus* ab Imp. Frid. III. ob merita Christiani I. Dan. Regis acceperat, inqve IV. potissimùm partes, nimirum in *Holsatiam propriè dictam*, *Stormariam*, *VVagriam*, & *Ditmarsiam*, qvibus *Sleswigæ* accedit *Ducatus*, divisa abierat, juris Danici esset: *hodiè tamen nonnisi ea Holsatia, qvam Regiam vocant, qvòd ab iis, qvi simul Reges sunt Daniæ, teneatur, obstricta Regi Dan. habetur.* Etenim, qvum & inter alias Rotschildianæ Dano-Sveciæ Pacis conditiones hæc esset, ut *Duces Holsatiæ & Sleswici imposterum à subjectione Regni Danici essent exempti*, *Holsatia* hæc, qvam

qvam *Ducalem* vocant, *qvod ab his, qvi κατ' ἐξοχὴν Duces Holsatiæ audiunt, teneatur*, cum illa Slesvvicensis Ducatus parte, qvam iidem tenent Duces, *nullo amplius Feudi vinculô Regno hodiè Daniæ est obstricta: sed sui est juris, nullumq; superiorem agnoscit.* De reliqvo ad Regem Daniæ jura clientelæ alterius Duc. Slesvvicensis partis cum tota Jutia pertinent.

## LXXVIII.

### *Tam longè jam lateq; ditione Danicâ patente, qvem Scopum totius Reipubl. Danicæ esse putas?*

Patet omninò è superioribus: qvem sibi Scopum Respubl. illa habeat. *Ab omnibus* enim *seculis per LL. publicas cum respectu ad salutem communem, & Regentium & Populi simul, fuit constituta.* Id qvod in qvavis benè constituta Republ. obtinere debet. Nec dubitandum heic: qvin idem Scopus hodieqve in Republ. Dan. obtineat: *ut omnia* scil. *ad communem tendant salutem.* Aliter autem Res Norvvegiæ se habent: utpote qvæ non administratur ad salutem Populi, sed ad utilitatem Regentium: qvi ibi tenus hac fuêre præter Regem. Illi nempe, qvibus gubernacula Regionis istius commissa, magnas sibi indè conqvirere opes solent: eò qvòd numorum vim optimè nôrint. Vocatur autem *Pro-Rex*, qvi regundæ Norvvegiæ locô Regis à Rege constitui solet: ipsaqve illa dignitas præci-

puis Nobilium optimeqve de Regno meritis conferri olim solebat.

LXXIX.

*Qvæ ibidem Ratio Status obtinet?*

*Ratio Status Regni Dan. potissimum in hoc versari videtur puncto: ut Sunda Maris Balthici clavis & Arx Croneburgum arctissimè custodiatur muniaturq́, neqve iniqvis vectigalibus exterorum odia concitentur.* Batavorum igitur & Hanseaticorum amicitia Danis non modò utilis; sed etiam pernecessaria esse videtur.

LXXX.

*Unde tandem ea omnia, qvæ de Daniâ, qvæ de Norwegiâ, & utrinq; adjacentibus Terris compendiosè recitâsti, uberiùs haurire licet?*

Præter eos, qvi simul Populos Septentrionales descripsêre, & inter qvos vel præcipuus *ALB. CRANTZIUS*, Historiam illorum usqve ad Annum cIↃ IↃIV. continuans, consulendus heic maximè, qvantum qvidem ad Gentis Dan. Historiam, *SAXO GRAMMATICUS.* Is qvippe Seculo XII. Præpositus Rotschildensis, *Historiam Danicam Libris XVI.* comprehendens, res Danicas *stylo fœcundo* descripsit. Mirum autem est: qvod in ipso barbaro Seculo minimè tamen barbarus duos præcipuè ex omni Antiqvitate imitandos Autores sibi proposuerit *Saxo*, ad qvorum se dictionem

ex-

exprimendam vel maximè conformaret, *Valerium* nempe *Maximum*, & *Martianum Capellam*. Illius qvidem non loqvendi modò formulas, sed & argutias in hoc præcipuè genere excellentis, per universæ Historiæ contextum repræsentavit; ab hoc verò voces rariores & abstrusiores dicendi hausit modos. Unde nec *STEPHANUS JOHANNES STEPHANIUS*, Vir undiqvaq; celeberrimus, *uberiores in Historiam Danicam Saxonis unà cum Prolegomenis ad easdem Notas Soræ Anno 1645.* edere dubitavit: ut illustrior haberetur, qvi *GRAMMATICI* cognomentum *non sibi ipse è superbia qvadam & φιλαυτίᾳ instar jactabundi Palæmonis arrogaverat; sed cui potius id ipsi istius ævi Librarii affinxerant.* Consulendus deinde *IDACIUS*: qvi *Danica* scripsit *à Theodosio M. usq; ad Annum CCCC.* Consulendus *LYSCANDER*: qvi *Antiqvitates Danicas*, nec non *Genealogicum Regum Daniæ Opus* scripsit. *ERICUS* & ipse Rex Dan. ac Dux Pomeraniæ heic consulendus. Is qvippe *seriem Regum Dan.* edidit: qvam qvidem ordine è vetustissimâ Membranâ, Gothicis vel Runicis literis inscriptâ, Tractatu peculiari, cui Titulus, *Regum Daniæ series duplex, & limitum inter Daniam & Sveciam descriptio, Ol. VVormius* proponit. E recentioribus maximè *Joh. Meursius* & *Joh. Is. Pontanus* sunt consulendi. *Ille* qvippe *Res Regum Dan. gestas usq; ad Christianum II.* exaravit: *Hic* verò ab Olao Wormio *celeberrimi*, & à Stephano Johannis Stephanio *Historiographi eminentissimi* titulô insignitus, *res Danicas Libris X.* est complexus, atqve insuper

*Chorographicam Regni Dan. tractusq; ejus universalem Descriptionem* edidit. Nolo qvicqvam heic de *OLAI VVORMII Monumentis Runicis* æqvè ac *Fastis Danicis* dicere: etiamsi huic ferè uni è recentioribus Antiqvitatum suarum notitiam debeant Dani. Succurrunt enim jam, qvi præter *Saxonem*, *Pontanum*, *Crantzium*, de *Rebus Norwegicis* consulendi, *JOHANNES MARTINI & SNORRO STURLA. ISTE* qvippe *Norwegiam*, *HIC Chronica Norwegica* scripsit; qvæ *Olaus VVorm.* Anno 1633. Hafniæ in lucem emisit. *Islandiam* qvoqve descriptionibus suis illustrant *BLEFKENIUS & ANGRIMUS JONAS Islandus. Relationem* deniqve de *Groenlandia* scripsit *JEAN LE LABOUREUR*: cujus qvidem *Liber* elegans est, *Parisiis Anno 1643.* impressus. Cæterùm, qvod ad *Statum Reipublicæ*, legendi heic sunt *CASPARENS*, & in *Relationibus de præcipuis Rebuspubl. JOH. BOTERUS*, nec minus etiam *in Orbis & omnium ejus Rerumpubl. Descriptione LUCAS de LINDA.*

CAPUT

# CAPUT VI.
# DE REGNO SVECICO.
## EROTEMA I.

*E qvibus qvæso Scriptoribus uberrimam mihi rerum Svecicarum segetem demetendam dabis?*

PRimus omnium, qvi de *Rebus Svecicis* aliqvid memoriæ prodidit, est *ADAMUS CANONICUS Bremens.* Vixit is Seculô post natum Christum XI. Henrici IV. tempore, atqve *Libellum de Rebus Septentrionalibus* conscripsit. Certè autem satis egregiè omnia descripsit, inter alias Gentes Sveonum qvoqve memoriam faciens, & aliqva insuper attingens: qvæ ad pleniorem Reipubl. Svecicæ cognitionem faciunt. Libellus est parvus, sed lectu dignus: cumprimis illis, qvi ad pleniorem Regnum Septentrionalium cognitionem hauriendam adspirant. Qvod ipsa *Svecica* attinet *Monumenta*, nullum eorum, qvod memini, habemus antiqvius præter *Erici Ubsaliensis Historiam.* Est illa egregiè scripta à primâ originem Gentis repetens memoriâ. Sic igitur satis feliciter ille ea est persecutus, qvæ ad Historiam & Res Gentis illius pertinent. Et

ſanè ne qvidem aliqvis adduci Germaniæ Hiſtoricus poteſt, qvi vel paria *Erico* fecerit, præter *LAMB. SCHAFFNABURGENSEM Monachum*, qvi de *Rebus German. à Carolo M. ad Annum cIↃ. LXXVII.* ſcripſit. Cæterùm egregiâ operâ admirandas *Septentrionalium Populorum Hiſtorias* ſuperiori Seculo duo *Magni* fratres, Archi-Epiſcopi Ubſalienſes, dilucidârunt: *JOHANNES* nempe & *OLAUS MAGNUS. JOHANNES* qvidem *MAGNUS Reges & Res geſtas*; *OLAUS Mores, Ritus & Studia Gentis* hujus expoſuêre. Dum autem ille inſtituit Hiſtoriam tradere univerſæ Gentis, memoriam à Gothis repetit: indeqve & horum tradit Hiſtoriam. Hâc in re qvidem ſibi non ſatis cavit; qvod *Gothos* cum *Getis* confundit: qvos tamen multùm inter ſe differre, egregiè oſtendit *Cluverius*. *Geti* enim *reverà ſunt Scythæ: Gothi* autem *longè alii Populi*. De qvorum ſanè origine *ISID. HISPALENSIS*: de eorundem Rebus *CASSIODORUS*: de Bellis horum *GUIDO RAVENNAS*. Fortè igitur *JOHANNES M.* affinitate nominis fuit deceptus. Deſcripſit & Svecorum, haut ſecus ac aliarum Septentrionalium Gentium res cumprimis *ALBERTUS CRANTZIUS*: qvi omninò meretur legi. Nam qvantum colligere potuit è variis Monumentis, ſtudioſè omnia perſeqvitur. Noſtro qvoqve Seculo egregiam Hiſtoriæ Svecicæ, dilucidandæ operam *LOCCENIUS*, isqve in *Antiqvitatibus Sveto-Gothicis*,

*PAU-*

*PAULINUS*, *Archi-Episcopus Ubsal.* *HENR. SOTERUS*, *P. PETREJUS*, duo item MESSENII, *Pater* & *Filius*, præſtitêre.

II.

*Qvos verò Autores habes, è qvibus ea potisſimùm cognoſcere liceat, qvæ ad Rempubl. Svecicam pertinent?*

Non multi ſunt Scriptores, qvi huc faciunt. Extat qvidem *JOH. BOTERI Diſſertatio de Regno Sveciæ*: ſed illa parvi eſt momenti. Extat & alia qvædam *Diſſertatio de eodem Regno*: qvæ & in *Theſauro Honorii*, & in *Nic. Belli Opere* reperitur. Eſt autem ea ex Italico in Latinum verſa. Meretur tamen legi: qvoniam ſic ſatis eſt accurata, &, qvantum colligere licet, ex diligenti lectione enata. Nempe facta eſt à Nuncio qvodam Apoſtolico: qvi vixit in Svecia tempore Regis Johannis III. Is *Antonius Poſſevinus*, Mantuanus, Soc. Jeſu Sacerdos eidemqve per qvinqvennium à Secretis, eſſe putatur: Nam ſuperiori Seculo ad Regem Polon. fuit miſſus. Miſſus & ipſe ad M. Ducem Moſcoviæ, nec non ad Johannem III. Regem Sveciæ. Accedit: qvòd in *Catalogo Librorum Poſſevini* mentio qvoqve alicujus libelli de Regno Sveciæ, in Italia editi, fiat: qvi certè idem videtur eſſe cum laudatâ Relatione. Prodiit etiam in Batavia *exiguus* aliqvis *Libellus de Regno Sveciæ*. Qvid? qvòd & Gallicus Scriptor Operis, qvod appel-

appellatur *Archontologia Cosmica*, Regnum Sveciæ describat. Habetur deniqve *LUDOVICI GOTFRIDI Inventarium Sveciæ*: in qvo tam statum, instituta, res gestas Svecorum, qvàm felices Gustavi M. expeditiones, luculenter exponuntur. Omnibus tamen, qvæcunqve etiam edita habentur: in hanc rem Scripta, *Possevini* Dissertatio præfertur. Etenim non temerè in ea qvicqvam reperies, qvod à vero recedat. *POSSEVINUS* siqvidem *vir magnæ eruditionis, inq; rebus agendis felicissimæ dexteritatis* fuit.

III.

*Antiqvissima Svecorum memoria ubi reperitur?*

*Reperitur in Tacitô: & qvidem in unico ejus Libro de Moribus Germ.* Ecce enim, qvoniam Tacitus in Libro isto universam describere Germaniam, omnesqve ejus Populos enumerare, horumqve mores tradere instituerat, noluit etiam Sviones negligere. Sunt enim & hi ipsi Germaniæ Populi: utpote qvorum Lingva non nisi Dialecto differt ab aliis Germanorum Populorum Lingvis. Et qvanqvam magis differat à Lingvâ Saxonicâ: vocabula tamen ejus ejusdem sunt cum Lingvâ Germanicâ originis. Conveniunt item planè Svionum mores cum moribus Germanorum: usq; adeò, ut nusqvam alibi Germani habeant Populos, qvi moribus eorum conveniant, præterqvam in Sveciâ. Luculenter id è Taciti lectione & observatione morum populorum

Ger-

Germanicorum patet. Sic igitur per *Oceanum* Tacitus ibi *Mare Svecicum*, vulgò die Ost-See intelligit. Per *Sviones* verò illos putat: qvi hodie vulgo vocantur die Schweden. Qvanqvam nomen *Svionum* magis illis populis sit conveniens, qvàm nomen *Svecorum* aut *Svedicorum*. Ipsi se propriâ suâ Lingvâ vocant Schwenske: perindè uti DAni se vocant Denske, & nos Dütske, à primâ scil. gentis origine. Cæterùm qvæ *Tacitus* dicit, Svionum *civitates esse in Oceano*, intelligendum est, *esse trans Mare Balthicum in magnâ qvâdam Insulâ.* Veteres siqvidem credebant, *illam terram, qvæ nomine Daniæ venit, magnam item partem Sveciæ & Norvegiæ, omnem esse Insulam:* qvam appellarunt *Scandinaviam.* Notandum verò est: qvòd Tacitus, etiamsi satis egregiam habuerit rerum Germanicarum notitiam, non tamen aliam gentem in Scandinavia memoret, præterqvam Sviones. Non memorat Danos, non Norvvegos: qvorum tamen nomen tempore *Taciti* non erat ignotum. Ratio, *cur Tacitus in Scandinavia non meminerit Danorum, CONRINGIO* hæc esse videtur: *qvod tempore Taciti universa illa Insula in ditione fuerit Svionum.* Testantur id Antiqvissima Danorum Monumenta: Testantur nempe, tantum interdum Svecorum valuisse vires, ut totam Norvvegiam illi & Daniam sui fecerint juris.

IV.

*Tam antiqvâ Sveciçæ Gentis extante memoriâ,*

*moriâ, undè qvæso Svecicorum Regum seriem alii deducunt?*

*Deducunt hanc Rerum Svecicarum Scriptores, interq; eos JOHANES MAGNUS, Archi-Episcopus Ubsaliensis, & L. PAULINUS, Episcopus Stregnensis, à Magogo, Noachi ex Japheto nepote. Ajunt* nempe, qvinqve huic fuisse filios, *Svenonem, Getharum, Thorum, Germanum, Ubbonem:* duosqve ex his Imperium Scandiarum ex Ostiis Tanais per Finlandiam, transmisso Venedico & Bothnico sinu, adiisse: ut pars cisſylvana Svenoni; transſylvana Getharo cesserit: filium autem Svenonis Ubbonem ante Abrahami tempora Ubsalium condidisse.

## V.

*In tam prolixâ Regum Sveciorum serie qvæ familia tandem potenter regnare cœpit?*

*Cœpit potenter regnare WVasorum Familia,* dicta & ipsa à Magnis Gustavis *Gustaviana.* Ex hâc siqvidem, proximum semper dignitatis post *Sturorum* familiam obtinente, *Gustavus Eriscônius*, genus ab Erico S. Sveciæ Rege per lineam maternam ducens, oriundus erat. Is ipse videlicet est: qvi, qvum inter alios obsides, qvos *Christiernus Secundus* è Svecia abduxerat, Patriæ suæ calamitatibus ingemiscens, ex Daniâ inter venandum, habitu piscatorio assumpto, Lubecam clam evasisset, & à Lube-

Lubecensibus clam traductus Dalecarlios, montanam ac asperrimam gentem, ad arma contra Christiernum concitasset, atqve sic popularibus suis vexillum ad libertatem ostendisset, ejectis qvidem magnâ Sveciæ parte Danis, communi Ordinum suffragio *Anno 1523.* Rex fuit creatus, primaqve Svecicæ potentiæ fundamenta jecit. Qvid? qvòd & ipse videns, illam creandi Reges libertatem paci publicæ noxiam esse, ab Ordinibus impetravit: ut *Svecia ex electitio Regno fieret hæreditarium.* Succesfit hinc ei filius *Ericus:* qvi gravissimum per 8. Annos cum Friderico II. Rege Dan. bellum gessit, ob multa tamen facinora in carcere periit. Huic *Johannes III.* successit: qvi Livoniam Moscovitis ac Polonis eripuit. Ejus filius *Sigismundus* Rex Poloniæ Anno 1587. hâc conditione creatus: ut Livoniam Regno Poloniæ in perpetuum uniret, Patri Anno 1593. in Svecia qvoqve successit, ipseqve occasionem dissidiis illis præbuit: qvæ hodieqve inter Svecos & Polonos vigent. Qvum verò imperium huic abrogatum esset, id ipsum ad *Carolum IX.* Gustavi filium, Anno 1607. delatum. Carolo huic, qvi perpetua contra Russos, Polonos & Danos bella gesserat, ac gentem suam cotidiano armorum exercitio ad bellum German. qv. præparaverat, successit Anno 1611 filius *Gustavus Adolphus* Princeps magni animi, qvemqve inter ipsos Catholicos *Ambrosius Spinola* post victoriam Pragensem Anno 1620. solum inter

Pro-

Proteſtantes reſiduum judicavit, qvi non irritari deberet. Ei, qvum in prælio Lutzenſi A. 1632. natus Annos 38. obiiſſet, filia (ipſi enim non erat filius) Chriſtina ſucceſſit, atqve poſt Patrem gubernavit uſqve ad annum 1654. Eo enim tempore Regno ceſſit, illudqve in manus *Caroli Guſtavi* reſignavit, imperialibus ſibi 200000. è Pomerania & Inſula Oeland qvotannis ſolvendis, reſervatis. *Carolo Guſtavo* A. 1660. defuncto filius *Carolus XI.* ſucceſſit: qvi, graviſſimo bello German. implicitus, hodie regnat.

## VI.

## *Qvale ergò Regnum hodie eſt Sveciæ?*

*Eſt merè ac verè hæreditarium.* Valuit enim tenus hâc planè Succeſſio hæreditaria. Fecit autem Regnum Sveciæ in lineâ maſculinâ tale *Guſtavus Imus, Eriſconius* cognominatus: eò qvòd patrem Ericum de Ridboholm, Eqvitem Auratum, Senatorem Regni & Præſidem Alandiæ, haberet. *Ut* autem ad *fæminas qvoq; jure hæreditario Regnum tranſiret Sveciæ*, Guſtavus Adolphus impetravit. Undè & filia Chriſtina, qvum anno ætatis VIII. Patrem, in pugnâ Luzenſi victorem, glorioſâ ac ſe dignâ morte amiſiſſet, in Regno ipſi ut *Principiſſa Hæreditaria* & *deſignata Regina* ſuccedere poterat.

## VII.

## *Qvale id olim erat?*

*Anti-*

*Antiqviſſimis tempp. Regnum Sveciæ ex parte hæreditarium, ex parte electitium erat.* Obtinuerat videlicet in Svecia *ſucceſſio non planè hæreditaria, nec planè electitia.* Qvamdiu enim aliqvis è Familiâ Regiâ aderat, qvi aptus ad regendam Rempubl, jure credebatur imperare: ſi verò qvis minùs aptus, illum qvoqve populus non dubitabat rejicere, aliumqve in locum ejus ſurrogandum eligere. Atqve *hæc* qvidem ratio *ſuccedendi olim apud omnes gentes German. obtinuerat.* Apparet id ex Tacito. Tacitus enim ita inqvit: *Magna parentum merita filiis ſolent parare Regna.* Non qvilibet namqve ſimpliciter jure hæreditario regnabat: ſed, ſi qvem populus judicaret aptum, ſiq; parentes de Regno benè meriti esſent, hæres admovebatur ad imperium. Idem apparet: ſi Oſtrogothorum, VVeſtrogothorum, Longobardorum, Anglorum, Francorum legamus Hiſtoriam. Videbimus namq; omnes hoſce *Populos hunc ſuccedendi modum, eumq; omnium facilè optimum, habuiſſe, qvi nec eſſet merè electitius, nec planè hæreditarius.* Simul autem, ac defecerat antiqva Familia Regia, credidêre: *qvod juris ſui ſit eligere, qvem vellent.* Sic itaqve deficiente Familiâ Regia Sveci modò hunc, modò illum eligebant Regem: niſi qvòd Dani qv. per vim ſæpè illis vellent imperare.

VIII.

*Cæterùm qvanta qvamq; vaſta moles Regni eſt Svecici?*

Etſi

Etsi Dani & Norvvegi à suis posteà Regibus gubernari cœperint: *tanta* tamen *tamq; vasta moles est Regni Svecici, ut in Europa vix ullus sit Princeps aut Rex, qvi adeò ingentem terræ tractum sub ditione suâ habeat.*

IX.

*Undè hoc liqvet?*

*Liqvet, qvanta Svecici Regni, qvamq; vasta moles sit, è Provinciarum Catalogo:* qvas, parte etiam Norvvegiæ occupatâ, Regnum Svecicum complectitur.

X.

*In qvas verò Provincias Regnum Sveciæ dividitur?*

*Dividitur in ipsam Sveciam, in Gothiam, Finlandiam, Ingriam, atq; Estoniam.*

XI.

*Sveciæ qvot & qvænam sunt partes?*

*Sunt duæ.* Una (1) *Uplandiam*, cujus & totius Regni Caput est *Stokholmia*, cujus item urbs, Archi-Episcopali Sede & Regiâ Scholâ celebris, est *Ubsalia*; (2) *Vestmanniam*; (3) *Dalecarliam*; (4) *Nericiam*; (5) *Sudermanniam*, mineris, non cupri & ferri solum, sed & argenti fertilissimas complectitur. *Altera* Provinciis Nordlandicis, ut sunt Gestricia & Helsingicæ Regiones, continetur. Sunt autem coloni regionum harum partim nativi

Hel-

Helsingii, suis olim Regibus in Middelpadia, Angermannia & Bothnia subjecti; partim Lappones, genus hominum simplex & probum: qvorum pars meridionalis in qvinqve Præfecturis & Territoriis Regi Sveciæ paret. Illi, qvi versus Oceanum Occiduum in Finmarchia & Scricfinnia inveniuntur, Regem Norvvegum venerantur. Reliqvi Orientales ad Mare usqve album Russorum sustinent imperia.

XII.

*GOTHIA qvæ est?*

*GOTHIA, genitale solum & Patria illa Gothorum est*, qvæ, ut *Johannis M.* utar *verbis, inter duas potentes & nunqvam satis concordes gentes, Sveones & Danos sita, ne, hostibus obsessa, utrumq; latus tueri continuò cogeretur*, perpetuam Societatem cum Svenonibus, sive qvod potentiâ ac opibus abundarent, s. qvod eorum mores mitiores essent, inire curavit. Undè & factum, ut Sveci & Gothi ut plurimùm uni paruerint Regi, atqve sic in unam coaluerint gentem.

XIII.

*Qvomodo eam dividunt?*

Eam sic dividunt: ut sit vel *Occidentalis*, vel *Orientalis*. *Illi* olim, præter VVestrogothiam, Daliam & Vermelandiam, Hallandia annumerabatur; huic verò, in qvâ sunt *Ostrogothi*, *Smalandi* & *Insulani* in Oelandia, antiqvitus *Gothlandiam*, *Scaniam* & *Blekingiam* accensuerunt.

XIV.

*Qvæ est Finlandia?*

*Est regio amplissima: qvæ, ut Lingvam olim, ita & Reges habuit peculiares.* Hanc autem qvum Svecorum Reges sibi subjecissent, Careliam, extremam ejus Provinciam, occuparunt Rusſi: qvippe qvæ qvondam pars Rusſiæ fuerat. Hinc de dominio illius diu vario qve Marte inter Svecos ac Russos certatum: donec tandem Gustavus Adolphus armis illam peteret, atqve devictis Rusſis occuparet.

XV.

*Qvæ Ingria?*

*Ingria,* Ingermanland/ *Provincia olim Rusſiæ erat:* qvam Rusſi *Igeram* vocant: ipsa etiam à Gustavo Adolpho Regno Sveciæ adjecta.

XVI.

*Qvæ tandem Estonia?*

*Est magna Livoniæ pars, aliqvando tamen à Livoniâ propriè dicta, distincta.* Mansit autem ibi antiqvum *Estonum* nomen. Cessit hæc Estonia Svecis, tempore Erici XIV. & qvidem jam superiori Seculô. Antehâc enim, qvicqvid terrarum fuit ad Narvam usqve, omnia item maritima Imperii fuêre Germanici. Sed ubi superiori Seculo crudelis ille Tyrannus, *Johannes Basilides,* Magnus Dux Rusſiæ, in Estoniam & Livoniam irrumperet, nec incolæ pares essent armis Rusſicis, implorârunt qvidem Imperii Germanici auxilia; deserti verò à Germanis (qvoniam ea tunc nostræ Reipubl.

erat

erat facies, ut remotarum Rerumpubl. curam planè depoſuiſſet) aliena auxilia cœperunt circumſpicere. Sic igitur *Livonia* ſe Regno Poloniæ, *Eſtonia* verò, cujus Metropolis *Revalia*, Regno Sveciæ ſe tradidit: ut ab illo omninò tempore meri juris Svecici eſſet.

## XVII.

## *Annon & Livonia propriè dicta juris hodiè eſt Svecici?*

Qvanqvam & antehac nihil juris haberet Regnum Sveciæ in Livon. propriè dictam; poſteaqvam tamen bellum inter Svecos & Polonos, qvòd hi cauſſam Livoniæ ſuam adverſus illos feciſſent, ortum, nulli dubitarunt Sveci arma Polonis reponere, atqve invadere Livoniam: qvæ tunc Polonici erat juris. Primus hoc fecit Rex Sveciæ *Carolus*, minus tamen feliciter: qvoniam non ſemel fuit cæſus. Sed filius *Guſtavus Adolphus* longè fuit felicior. Nam hic univerſam Polonis eripuerat Livoniam, nondum tamen firmâ poſſeſſione impetratâ, qvum inducias pepigiſſet cum Polonis, atqve ſic poſſeſſionem Livoniæ reliqviſſet dubiam. Manſit igitur dubia hæc Livon. poſſeſſio: donec *Carolus Guſtavus* noſtra hac ætate gravisſimum illud Bellum Polon. cujus adhuc meminimus, ſuſciperet. Eô enim compoſitô factum eſt: ut Poloni univerſum ſuum in Livoniam jus ceſſerint Svecis: ut ſic *Livonia hodiè itidem portio ſit Regni Sveonum, adeoq́ indubii juris Svecici.*

XVIII.

*Qvid porrò Regno accessit Svecico?*

*Accessit porrò Sveciæ Regno* sub defuncto Rege Carolo Gustavo ante aliqvot annos *Scania:* qvam Regem Sveciæ, *Magnum Secundum*, cognomento *Smeck* (i. e. *blanditiis delinitus*) in Danos alienasse ferebant. *Jemtiam* etiam & *Bahusium*, cum *Gothlandia* & *Oeselia* Insulis, à Danis Svecia accepit. *Halandia* deniqve & *Blekingia*, qvæ ad Scaniam pertinebant, unà cum Insulâ *VVeen* Svecicum hodiè imperium agnoscunt.

XIX.

*Ex Imperii nostri Feudis qvid Svecis accessit?*

Accessit Svecis in Pace Osnabrugensi ex Imperii nostri Feudis *Archi-Episcopatus Bremensis, Episcopatus Verdensis, VVismaria, cum aliqvot Præfecturis, & Pomerania Occidentalis cum haut exiguâ Orientalis parte.*

XX.

*Qvos ergo mihi limites Sveciæ ponis?*

*Svedia s. Svecia ab Ortu Sinum habet Finnicum ac Russiam, à Meridie Mare habet,* den Sund *appellatum.* Si connumeraveris Scaniam, ab *Occasu Svevonis montis jugô à Norvvegia summovetur: A Septentrione est Mare Arctoum.* In longitudinem igitur spacium ultra

300. milliar. extenditur: latitudo verò circiter 120. mill. complectitur.

## XXI.

### *Positis his limitibus, qvos sibi vicinos habere Regnum Sveciæ putas?*

Si considero, qvos posui, limites, *Regnum Sveciæ à parte Septentrionali vicinum habet nullum:* ideoqve eâ parte non est, qvod sibi metuat. *A parte Orientali ipsum Regum Sveciæ Moscum habet vicinum:* sed usqve adeò vastis distinctum Regionibus, ut etiam ab illo sibi non possit metuere. Propiùs tamen Moscum Svecus habet circa Estoniam ac Livoniam, eumqve minùs fidum. Habet & circa Livoniam Svecus sibi Polonos & Lithuanos vicinos: deindè etiam circa Borussiam & Pomeraniam ulteriorem Electorem Brandeburgicum habet vicinum. Nec autem potentiorem in Germaniâ vicinum ille habet præter Electorem Brandeburg. nec etiam Elector Brandeburg. potentiorem habet vicinum qvàm Svecum. Mechlenburgici Principis tanta non est potentia, ut sibi ab eo metuere possit Svecus. *Habet & à Meridie ille vicinos Danos:* qvos ex parte etiam ab Occidente vicinos sibi habet Nam ex parte vicini ibi sunt Norvvegi. Utriusqve autem gentis hodiè tanta non est vis: ut inde Sveco aliqvid periculi imminere possit.

XXII.

*Siccine verò arctiores olim limites Regni Svecici fuêre?*

*Fuêre* omninò *longè arctiores, tempore Caroli M. & adeò etiam tempore Henrici IV. Regni Svecici limites.* Facta namqve prima, eaqve satis magna accessio Seculo XII. qvippe qvô accessit magnus Ducatus *Finlandiæ*, latè admodùm patens, vastis autem magis qvàm populosis Regionibus celebris. Accessit deinceps *Carelia*, pars qvondam Russiæ. *Maximum* autem *incremeneum Gustavianæ cumprimis Familiæ auspiciis, auspiciis nempe Gustavi Adolphi & Caroli Gustavi, Regnum cepit Svecicum.* Certè incredibile est: qvantum fortuna Regni hujus se mutaverit. Adeoqve verum est: qvòd *FLORUS* alicubi habet: *Tanti est exercitus, qvanti Imperator.* Et reverà tanti est Populus, qvanti est Rex. Habuerunt utiqve Sveci varii generis felicitate ac virtute instructos Reges. Undè & Regnum illud alia atqve alia subinde sibi sumsit incrementa. Mox igitur accessione *Ingermanniæ* crevit: qvæ antiqvissimis temporibus provincia Russiæ fuerat. Mox crevit accessione *Estoniæ*: qvæ pars fuerat Livoniæ. Mox *Livoniæ propriè sic dictæ* crevit accessione: qvæ Polonici fuerat juris. Crevit mox accessione *Pomeraniæ, VVismariæ, &c.* Novissimè omnium totius *Schoniæ* crevit accessione.

XXIII.

XXIII.

*Ecqvis omnium, qvos unqvam Svecia habuit, Regum fuit maximus?*

*Maximus & victoriosissimus Rex Sveciæ Gustavus Adolphus fuit:* qvippe qvi, qvum Anno 1611. aleam trium difficillimorum bellorum adversus Danos, Polonos, & Russos subiisset, victorqve semper evasisset, contemptam Svecorum fortitudinem ad summam incredibili successu amplitudinem efferre cœpit.

XXIV.

*Elatâ hoc pactô non sine incredibili successu Svecorum fortitudine, qvæ Regiminis ratio apud ipsos obtinere cœpit?*

*Imperat in Sveciâ Rex hodie qvidem unus ac solus: nec tamen eâ potestate, ut nullius admittat consensum.* Senatores enim, qvos, auctis Regni Provinciis, qvatuor & qvadraginta legere solet, ad consilia ac suffragia ferenda adhibet. Bona item Regni, qvibus vult, Rex dare non potest. Non enim nisi indigenis eadem conferendi potestatem habet. Neminem item peregrinum ad dignitates admovere potest, nisi adoptatus fuerit. Tunc enim habetur pro indigena. Si qvid porrò extra ordinem mandandum, deliberationem illius in Comitiis Rex Regni Ordinibus permittit: qvorum etiam consensu ardua Regni negotia peraguntur: ut sic Senatorum consilia ubiqve

prævaleant. Qvid? qvod & horum consensus, qvando capitatione, superindictione, aut novis oneribus opus, reqviratur. Senatores igitur si secretiora suffragiis suis confirment, id sufficere creditur: nisi qvòd in subditis Regni negotiis arduis arctioris Conventus, des engern Außschusses / qvi Ordinum autoritate gaudet, usus sit.

## XXV.

### *Anne & Reservata qvædam Rex Sveciæ habet?*

Habet Reservata non pauca. Nam (1) *Solus nova vectigalia instituere, ea augere, & jus Stapulæ concedere: Nec* (2) *ulli qvàm Regi in Regno Sveciæ permissum jus exercere monetam cudendi & rogandi collectas.* Solet & (3) *ut plurimùm Regis consensus exqviri ac impetrari in cudendis armis, iisdemq; ad exteros exportandis.* (4) *Fluminum qvoq; & molendinorum jus ibi penes Regem est: &* cogi possunt subditi, ut in molendinis Regiis molant. (5) *In omnibus mulctis Rex tertiam habet partem:* eaqve, qvæ 40. Marcarum, ad solum Regem pertinet. (6) *Bona vacantia & illorum peregrinorum, qvorum hæres ea intra annum è Regno non aufert; jus item bona ob crimen læsæ Majestatis publicandi ad Reservata Regis pertinent.* (7) *Nitri qvoq; exceptis domibus Ecclesiasticorum ubiq; fodiendi potestas Regia est.* (8) *Ad solum Regem libertas jurisdictionem civilem ac criminalem excercendi pertinet.* (9) *Solus Rex Magistratus eligere potest.* Is *ipse* deniqve (1) *omnes Regni Senatores creat:* (2) *Pro-*

*Provinciarum Gubernatores*, & (3) *Judices constituit*. Populus verò qvosdam nominare solet: è qvibus certos Rex eligat.

XXVI.

## *Qvam mihi Reip. Formam è participatâ hac ratione Regiminis ac Reservatis Regiis elicis?*

*Formam* indè *Reipubl. mixtam elicio.* Est nempe *Respubl. Svecica*, si formaliter consideretur, *Monarchia*, *Aristocratiâ & Democratiâ*, *sed inæqvaliter, temperata.* Nam illa minus est Democratica, qvàm Aristocratica: maximè autem est Monarchica. *Minùs Democratica* est: qvia plebis in Comitiis qvidem habetur ratio; sed non ita magna. *Magis Aristocratica* est; qvia magna autoritas penes Optimates, illustres nempe Regni est indigenas. Ne de Senatoribus Regni dicam: qvi plurimùm autoritate heic valent. *Maximè Monarchica* est, ob totidem Reservata Regis.

XXVII.

## *Anne & olim sic erat?*

*Non sic erat olim.* *Regia* namqve, qvantum è Svecicâ Historiâ liqvet, *potestas admodum erat restricta.* Videtur utiqve semper apud Svecos creditum: jus sibi esse, si qvidem *Rex* non observaret LL. eum de soliô deturbandi. Præterea etiã reperies multos Reges Regnô expulsos: id qvod magnã populi libertatẽ indicat

Crediderunt autem Sveci : *Regem non minus Legibus teneri, qvàm ipſum populum.* Qvod ſi igitur nollet Rex latas obſervare LL. populo qvoqve fas eſſe credebatur, ne amplius pareret. Et certè *juſtum hoc eſt in Regnis non planè regiis.* In his enim Dominus non minus, qvàm integer Populus, pacta & conventa obſervare tenetur.

XXVIII.

*Qvod certiſſimum libertatis Sveciæ heic habes indicium?*

*Indicium illius certiſſimum hodieq; ſunt Comitia :* qvæ qvidem nemo niſi Rex liberè indicere poteſt.

XXIX.

*Qvid peculiariter circa Comitia Svecica obſervandum ?*

Obſervandum circa ea eſt : qvòd *& Ruſtici jus Comitiorum in Svecia habeant.* Id alibi nec temerè reperies. Non reperies in Dan. qvòd Ruſtici etiam rogati ſuffragia ferant in Regni negotiis. Sic igitur, dum Ruſticorum qvoq; aliqva in Svecia habetur ratio, melior illorum eſt conditio in Sveciâ, qvàm alibi. Talis autem eſt : ut pro libertate in Comitiis poſſint agere.

XXX.

*Qvos Status ſ. Ordines Svecia habet, qvi ſubinde vocantur ad Comitia?*

*Status*

*Status s. Ordines*, qvi ad Comitia vocantur, *in Svecia sunt* (1) *Comites, Barones, Eqvites & Nobiles legitimæ ætatis*, qvi qvidem in Svedia, Gothia, Magno Principatu Finniæ, Carelia, Estonia & Scania domicilium habent: (2) *Episcopi, Superintendentes & Præpositi cum duobus Capituli Collegis*, ut & *Pastore uno* de binis qvibusqve Districtibus: (3) *Milites*: cujusqve scil. Provinciæ Tribunus militaris (vel Tribuni militares, pro Legionum, qvas qvæqve alit Provincia, numerô) cum suo Legato, & qvi tertio loco curat, itemqve cum Centurione aut Præfecto de qvavis cohorte provinciali. (4) *Cives & Mercatores*: ita ut Consulum unus cum Senatore ac Viro primario cujusqve civitatis in Comitiis compareat. (5) *Ex Rusticis unus de qvovis districtu Svediæ ac Finniæ congregatur.*

## XXXI.

## *Qvi suffragium regulariter in Svecicis Comitiis habent?*

*Regulariter in Comitiis Svecicis nulli suffragium habent: nisi qvi intra antiqvos Sveciæ, Gothiæ ac Finniæ limites domicilium vel fundum habent.* Nec tamen dubitarunt Sveones etiam illis populis, qvi sese dediderunt, vel etiam aliàs in Rempubl. concesserunt, dare jus Comitiorum. Habent enim in Scania, Hallandia, & Blekingiâ jus Comitiorum: habent & Estones jus Comitiorum. Inter Nobiles enim, in Comitiis congregatos, locum qvoqve inve-

niunt Nobiles Estones. Episcopus Revalensis locum qvoqve inter reliqvos invenit Episcopos. Idem Privilegium Livonia habet: postqvam plenè facta ditionis Svecicæ. Antehac enim possessionis fuerat dubiæ.

XXXII.

*In ipsis Regni Comitiis Rex novus qvid jurare tenetur?*

*Jurare ipse tenetur, se Augustanam Confessionem ac Leges Majorum inviolatas conservaturum, nec novas sine consensu Statuum conditurum, aut privilegia Nobilium violaturum.* Habet namqve Ordo Nobilium, in qvo Comites, Barones & Eqvites cum reliqvis Nobilibus, maxima Privilegia Feudaqve Regni.

XXXIII.

*E Nobilium hoc Ordine qvinam eliguntur?*

*Eliguntur ex eodem Ordine V. Officiales præcipui Regni, nec non Senatores:* sine qvibus nihil ferè peragitur: idemqve de rebus antè deliberandi potestatem habent, qvàm res deveniat ad Comitia. In Comitiis verò non tanqvam Senatores, sed ut singuli habentur: indeqve LL. fundamentales ac Comitiorum Decreta non illorum, sed *Ordinum nomine* promulgantur.

XXXIV.

*Qvinq; illi præcipui Regni Svecici Officiales qvi sunt?*

*Con-*

*Consiliorum Regiorum necessariò participes qvinq; Regni Svecici Officiales sunt* (1) *Dapifer Regni*, Reichs-Trucks: qvi custos Legum, absentis Regis Vicarius, ac Præses summi Dicasterii. (2) *Campiductor*, Feld-Herr: qvi dirigit militare consilium, ac imperat Armamentario Regni, & Generali Præfecto excubiarum terrestris militiæ: Munimentorum item curam habet, estqve supremus militum Judex. (3) *Archithalassus*: qvi præsidet Collegio maritimo legumqve nauticarum curam gerit. (4) *Cancellarius Regni*, Reichs-Cantzler: penes qvem cùm hominum rerumqve, ad publica peragenda negotia spectantium, tùm sigillorum & monumentorum, omnisqve Scripturæ civilis cura. (5) *Thesaurarius Regni*, Reichs-Schatz-Meister: qvi & ipse peculiare habet Collegium, Redituum Coronæ, pecuniæ publicæ, Bonorumqve Fisci curam gerens.

XXXV.

## *Qvot & qvænam jam nunc suprema Regni patent Collegia?*

*Qvinq; patent*: nempe (1) *JUSTITIÆ*: in qvo Dapifer Regni est Præses, ac *IV*. *Tribunalia*, *Stockholmiæ* in Svecia, *Junecopiæ* in Gothia, *Abovia* in Finlandia, & *Dorpati* in Livonia, sub se habet: (2) *MARTIALE*, sub directione Campiductoris: (3) *ADMIRALITATIS*, sub Regni Thalassiarcho: (5) *CAMERÆ SUPPUTATIONUM*, sub moderamine Thesaurarii.

XXXVI.

*Quot suprema item Regni sunt Dicasteria?*

*Sunt itidem qvinq.* *Primum* est Holmiæ pro Svecis: *alterum* Junecopiæ pro Gothis: *tertium* Dorpati pro Livonis: *qvartum* Aboviæ pro Fenningis: *qvintum* VVismariæ pro Provinciis German. Qvodlibet verò Dicasterium XII. habet Assessores, tàm Nobiles, qvàm Literatos, æqvali numerô. Pluribus gaudet *Stockholmianum.* XVI. enim ibi sunt Assessores: IV. nimirum *Senatores*, VI. *Nobiles*, & totidem *Literati.*

*XXXVII.*

*Qvi porrò autoritate publicâ constituti in Regno Svecico habentur?*

*Constituti* ibi *habentur Archi-Marschallus*, qvi Aulæ præest, atqve solennitates ejus gubernat: *Præfectus Armamentarii*; *Hipparchus*; *Præfectus* deniqve *venationum.*

*XXXVIII.*

*Qvi illustres Regni sunt Indigenæ?*

*Regni Svecici illustres Indigenæ*, qvibus Officia sua, ut lege cautum, committere potest, *sunt qvamplurimi.* Habet enim 20. Comitum, 34. Baronum, 19. ex Senatoribus Regni ortum trahentium, & 596. Nobilium Familias: qvæ Albo Regni insertæ.

*XXXIX.*

XXXIX.

*Penes qvos tutela qvidem minorennis est Regis?*

*Est penes majores Regni Officiales.* Hi videl. in minori Regis ætate, qvæ octavo & decimo anno terminatur, cum viduâ Reginâ Tutores sunt illius.

XL.

*Qvem mihi jam, præsuppositis præsupponendis, Reipubl. Svecicæ Scopum ponis?*

*Scopum* pono, *qvi salus Populi est ac Dominantium: sic ut omninò eorum commodum sit commune.* Spectatur videl. in Svecico Regno commodum, non solùm Regnantium, nec etiam solius Populi, sed Regnantium simul ac Populi. Patet hoc inde, *qvia in Svecia, ut antehac, ita etiam nunc Rex est legitimus.* h. e. qvia Rex cogitur secundum LL. ibi Rempubl. gubernare: atqve ita qvidem, ut Populo non sit gravis præter LL. ac mores antiqvos. Patet & idem Scopus inde: *qvòd, qvando aliqvid constituendum, qvod fieri debeat cum onere Populi, Rex tunc teneatur Populi prius consensum impetrare.* Ubi autem consensus Populi qværitur, ibi dominantium neqvaqvam spectatur commodum. Porrò, qvòd commune commodum, & dominantium, & populi, in Svecia qværatur, inde qvoqve apparet: *qvòd Rex non possit cuiqvam concedere, sed teneatur illa, qvæ lucrum afferunt, dare indigenis.* Nec ob-

obſtat: *qvòd peregrini in eadem jura ſint coöptati.* Etenim nemo peregrinorum ad dignitates admovetur, niſi adoptatus: & tum habetur pro indigena. Qvamdiu autem peregrinus, ad nulla admoveri poteſt officia. Satis igitur apparet: *in Svecia omnia ita adminiſtrari, ut habeatur Populi ratio; nec minus tamen & habeatur ratio Regnantium.* Reges enim eximia ibi habent Bona magnaqve vectigalia. Uno verbo: *ſpectatur in Svecica Republ. Bonum commune.*

## XLI.

## *Bonum illud commune Svecicum qvanam in re potiſſimùm ſpectatur?*

Qvum commune Bonum f. Commodum apud Gentes non in una re collocetur, ſed alibi in virtute, alibi in potentia, alibi in divitiis, alibi in voluptate ſit poſitum; non dubitat aſſerere CONRINGIUS: *Regnum Sveciæ pro Scopo habere vitam verè beatam, & populi, & eorum, qvi vivunt in Regno.* Datur enim opera: ne qvid deſit populo, utqve omnium generum virtutibus, præprimis bellicis, exerceatur. Hoc tamen & ipſum heic dicendū: *qvòd Svecus præterea adſpiret hodiè ad majorem atq; majorem potentiā, adeoq; Scopum collocet qvoq; in potentiâ:* qvod tamen à Seculo XII. usqve ad ſuperius Seculum, & ita per 300. & amplius annos non factum: qvum nulla tunc facta ſit ad Regnum Sveciæ Provinciarum acceſſio.

XLII.

XLII.

*Quæ hoc pactô Ratio Status in Regno obtinet Svecico?*

Qvum Provinciis diffusa Populoqve animoso freqventissima sit Svecia, ut vix unqvam æqvo animo pacem ferre possit, ipsa verò Regio, cultu situqve aspera, tantæ multitudini alendæ non sufficiat, hæc *sanè Ratio Status potissimùm in Regno valet Sveciæ: ut* illa *ipsa aliqvo bello externo feroces populi spiritus exerceat, cumq; potentissimis & maximè bellicosis Principp. fœdera ineat, qvò foris majorem famam servet, domo ex alieno ditior evadat, commodaq; habeat tempora.* Ipsi interim Sveci variis cavere solent rationibus: ne Regnum suorum autoritas tanta sit, aut aliqvando esse possit, ut Nobilium aliorumve Regni Ordinum jura ac potestatem violet.

XLIII.

*Qvid verò Sveci hodiè extra Pomœria Regni sui prætendunt?*

*Prætendunt* qvàm maximè *defensionem & tutelam libertatis, in Pace Osnabrug. & Monaster. pactæ:* prætendunt & ipsi *Orthodoxæ Religionis in Germaniâ patrocinium.*

XLIV.

*Qvam iidem prætensionem habent domesticam?*

Certè *intra pomœria Regni sui contra Civitatem*

*tatem Bremensem prætendunt. Immedietatem* namqve, ut vocant, *qvâ Civitas illa Imperii Rom. membrum esse cupit, Bremensibus concedere nolunt, eosq; ad certæ pecuniæ summam adigere volunt.* Bremenses contrà dicunt, qvòd (1) *ad Comitia Imperii de Anno 1641. vocati:* (2) qvòd *in Instrumento Pacis.* §. Civitati, *libertas ipsis in Ecclesiasticis ac Politiis sit confirmata;* (3) *qvòd fœdera cum Archi-Episcopis pepigerint:* (4) qvòd *olim semper immediatam præstiterint contributionem:* (5) *qvòd & ipsi olim Anno 1473. ad Comitia vocati fuerint:* (6) *qvòd Civitatis libertatem Carolus V. & Ferdinandus I. confirmârint:* (7) *qvòd in Matriculis de Anno 1431 & 1480. reperiantur.* Regerunt Sveci: qvòd (1) *Bremenses juramentum præstiterint Archi-Episcopo, qvodq; convenerit inter eos, ut fidelitatem jurarent:* (2) qvòd *in Transactione de Anno 1579. se appellitent* gehorsame Unterthanen: (3) qvòd *Archi-Episcopus Vogteiam, ut appellant, ibi habuerit:* (4) qvòd ab *Archi-Episcopo sæpe ad Comitia Provinciala vocati:* (5) qvòd *contra Recessum de Anno 1654. egerint:* qvum qvæstio immedietatis in aliud tempus rejecta fuerit. Qvanqvam autem subsecuta tandem, procurantibus eam Ducibus Luneburg. & Brunsvic. aliisqve vicinis, Transactio qvædam inter Svecos & Civitatem jamjam memoratam fuerit: plenariam tamen hujus possessionem illi hodiê prætendunt, ac qværunt.

XLV. *To-*

XLV.

*Totius Controversiæ summa qvò recidit?*

Recidit hac: *utrum Brema Civitas Imperii sit immediata, an verò municipalis & Archi-Episcopatui s. Ducatui subdita?*

XLVI.

*Qvid post tot dissensionum capita conclusum tandem?*

Conclusum, ut Civitas futuris usqve ad Ann. 1700. Comitiis sessione ac voto abstineret, neqve titulo immediatæ & liberæ Civitatis Imp. erga Regem Sveciæ uteretur: ita tamen ne qvid præjudicii Civitati pro jure suo imposterum inde nasceretur.

XLVII.

*Qvas interim militares Sveci opponere adversantibus ac renitentibus possunt vires?*

*Militares* sanè *vires, qvas adversantibus ac renitentibus Sveci opponant, admodùm dignæ heic sunt consideratione.* Optimè siqvidem constituta Svecorum pedestris est militia. Tantis videl. præterqvam qvòd qvidam incolarum castra seqvi cogantur, copiis instructi sunt Sveci: ut perpetua illorum pedestris militia 36. millium armatorum esse dicatur. Sola Smallandia qvondam 30000. milites armatos educere potuit. Livonia hodiè præsidiario milite est instructissima. Eadem Smallandia

landia cum Ostrogothiâ & Westrogothia, nec non Schonia, aliqvot Eqvitum centurias suppeditat. Ita nempe qvælibet Provincia suum habet peditatum & eqvitatum, numerô ac robore satis potentem. Præter *vires* verò *terrestres*, qvæ æqvè in accuratissima militiæ disciplinâ, inqve artibus militaribus ac in abundantiâ militum sitæ sunt, *maritima* qvoqve *potentia Svecicis magna est*. Etenim, qvando navale bellum ingruit, qvin Rex Sveciæ 50. naves bellicas sub directione Archithalassi inimicis suis opponere possit, non est dubitandum. Præcipuæ interim navali Classi certa secretaq; Holmiæ est statio: qvam nemini peregrino sine periculo pœnæ carceris adire licet. Alia in Finlandia contra Moscos excubat: qvædam etiam in Pomerania aliisqve Svecicis ditionibus reperiuntur, ad bellum paratissimæ.

## XLVIII.

## *Anne verò Sveci ad bella extra Regnum gerenda sufficiunt?*

*Non sufficiunt: sed milite conductitio externo tunc indigent:* utpote sine qvo in externis bella gerere neqveunt Regionibus. Domi autem miles Svecicus sibi sufficit.

## XLIIX.

## *Qvibus subinde ac qvantis Reditibus, ut tot tantarumq; rerum nervus semper habeatur, Regnum gaudet Sveciæ?*

Gau-

*Gaudet Reditibus tantis, qvanti qvidem rebus maximis gerendis ſufficiunt. Percipiuntur autem Reditus Regni è Bonis Eccleſiaſticis, è fodinis, è decimis frugum, è tributis & vectigalibus.* Næ ex ſolo ære, qvod è duabus aut tribus provenit fodinis, Regem 150. Tonnas auri German. & amplius percepiſſe ferunt. Præter vectigalia maritima, qvæ hodiè pro certa pecuniæ ſummâ mercatoribus elocantur, inſignes etiam proventus è ditionibus Livonicis ac Pomeran. accedunt. Magni qvoqve ſunt reditus ex pellibus, qvas à Lapponibus Rex exigit. Qvum Rex verò bellum aliqvod pro defenſione Regni ſuſcipit, omnibus id notum facit Provinciis: qvæ neceſſaria ad victum ſuppeditant. Nobiles tamen illisqve ſubjecti ordinaria ad bellum tributa præſtare non tenentur: ſed, qvum Contributiones generales conſenſu Nobilium indicuntur, illorum ſubditi mediam ſaltem partem ſolvere tenentur. Porrò obſtrictus eſt populus ad dotem Regis filiæ, qvando in matrimonium datur, pecuniam conferre. Privatorum interim divitiæ in copiâ pellium & ferarum coriis exuviisqve, tum verò in butyri, ferri, cupri, ceræ, ſevi, aliarumqve rerum abundantiâ, ſunt ſitæ. Hinc mirum non eſt: undè tot tantiqve Regni ſunt Reditus, ut ſemper nervus rerum gerendarum ibi habeatur.

L.

*Habeo Statum Politicum.* Velim nunc pau-

paucis ſcire : *qvis Status Regni Svecici Eccleſiaſticus?*

*Archi-Epiſcopus in Svecia tantùm eſt unus, nempe Ubſalienſis: qvi Regem conſecrat.* Præeſt hic Epiſcopis, ipſiqve in illos imperium Eccleſiaſticum competit. Superintendentes pari cum Epiſcopis dignitate fruuntur. Exercent autem illa, qvæ ſunt Ordinis Diœceſeos: de ſinceritate Doctrinæ proſpiciunt: in cauſſis ſpiritualibus judicant: Eccleſiarum ac Scholarum curam habent, & alia nonnulla jura exercent. Tam Epiſcopis igitur qvàm Superintendentibus Aſſeſſores ſ. Conſiſtoriales adjunguntur: ut ſint Eccleſiæ Conſiliarii.

## XLIX.

## *Qvæ itaq; Religio hodiè obtinet in Svecia?*

Qvum Religio Chriſtiana, jam Ludovici Pii, Imperatoris Roman. tempore in Svecia prædicari cœperit, Auguſtanæ verò Confeſſioni primum in illam ingreſſum aperuerit Anno 1527. Rex Guſtavus, eodem tempore Bona Eccleſiaſtica occupans, nil niſi ſuſtentatione Eccleſiaſticis relictâ, *nulla alia hodiè in Svecia obtinet Religio, qvàm Evangelica, qvæ invariatæ Auguſtanæ eſt Confesſionis.* Nec permiſſum, eſt ſtudioſis in Academiis Romano-Cathol. vivere, pœnâ capitali in transgreſſores hujus Legis conſtitutâ. Plurimi tamen è Septentrionalioribus Sveciæ populis Solem, Lu-

Lunam ac rubrum pannum adhuc adorare dicuntur. Nec omnes Lappones hodiè sunt Christiani. Ipse deniqve Gothiæ populus in plurimis locis Religioni Romano-Cathol. adhuc favet.

# CAP. VII.
## *DE*
# REGNO POLONICO.

### Erotema I.

### *Ecqvid certi de Gente, à qvâ Regnum hoc dici meruit, in antecessum qvod referas mihi habes?*

Hoc certi habeo: *nullum Polonorum mentionem apud antiqvos Scriptores reperiri.* Qvin altum potius silentium de Polonis apud omnes prisci ævi est Scriptores: nisi qvòd Polonorum gentem illo suo nomine apud *JORNANDEM L. de Rebus Goth. c. IV.* cognitam observare sibi *CONRINGIUS L. 1. de Fin. German. c. XVIII.* videatur. Ex antiqvis proinde Scriptoribus nihil peti potest: qvod ad Polonorum res pertinet. Cœperunt tamen res illorũ à *Scriptoribus Rerum German. seculi IXni* vel propterea commemorari: qvòd facti tunc temporis Poloni Germaniæ nostræ vicini. Ne dicam: qvòd aliqvando illi sub Imperio German.

man. fuerint. Sic enim idem ibidem *CONRINGIUS*, *Poloniam ab Ottonis M. aVô ad Friderici II. tempora penè semper & subjectam & tributariam fuisse Imperio Germanico*, non infirma Instrumentorum fide subnixus, probare satagit: qvicqvid etiam *FR. MARINIUS c 3. Dissertat. de Reipubl. Polon. Scopo* contra ea sentiat, peculiari operâ Poloniam suam ab hac calumniâ se liberaturum, clareq; ac sufficienter demonstraturum polliticus, *Reges Poloniæ nunqVam & nulli tributarios atq; subjectos fuisse.*

## II.

## *E qvibus verò Monumentis ac Scriptis Res Polonorum licet cognoscere?*

Qvod ad Monumenta ac Scripta attinet, è qvibus peti possunt ac debent, qvæ ad pleniorem Gentis hujus cognitionem faciunt: certum est, *nec ipsos Polonos rerum suarum antiqVa habere Monumenta.* Ipsi siqvidem fatentur: qvòd nemo Polonorum res ante *Martinum Nuglassum*, nunqvam tamen in lucem editum, fortè etiam nunqvam edendum, memoriæ prodiderit. Superiori igitur demum Seculo Poloni propria Monumenta cœperunt conscribere: ut sic omnes rerum Polonicarum Scriptores, qvi qvidem natione Poloni, non facile superius excedant Seculum. Ex eo siqvidem tempore, qvô literis ingenium suum excolere cœpêre Poloni, non caruit præclaris

Scri-

Scriptoribus Polonia. Eſt autem primus omnium, qvi Res Polonicas egregiè ſcripſit, *MARTINUS CROMERUS*, Warmienſis Epiſcopus. Fuit certè vir doctus, prudens ac eloqvens: ita ut nullæ veri Hiſtorici virtutes ipſi defuerint. Perſecutus eſt ipſe omnem Hiſtoriam Polon. Libris XXX. multum qvidem amori dans Patriæ. Multa ſiqvidem ſcripſit ex Genio Gentis: qvippe qvi nôrat, Gentem ſuam libertatis eſſe avidiſſimam. Interim nemo cum ipſo temerè poteſt comparari. Perduxit enim omnia ſua usq; ad Sigismundum Regem. Edidit & idem *Cromerus* Libris duobus *Poloniam*: hoc videlicet ordine ac Methodô progreſſus, ut Libro priori de *ſitu Poloniæ ac Gente*, Libro poſteriori de *Republ. & Magiſtratibus Polonorum* ageretur. Solet deſcriptio illa qvoqve in Libello, de Republ. Polon. edito in Batavia, curante *Laëtio*, legi: qvanqvam nomen Cromeri non habeatur additum. Polonicam porrò Hiſtoriam, ab incunabulis Gentis repetitam, ſcripſit *MATTHIAS MICHOVIUS*. Scripſit ille videlicet Maximiliani I. tempore Libris duobus de *Aſiaticâ & Europæa Sarmatiâ*: doctè qvidem, ſed ita, ut omninò palma debeatur *Cromero*. Utrumqve heic *ALEX. GUAGNINUS* excipit. Is qvippe non *tribus* tantùm *Rerum Polon. Tomis* jamdudum ſe Orbi Erudito commendavit; verùm etiam ſeorſim *de Europæa Sauromatia, ſeu Sarmatia*, ſcripſit. Integram qvoq; Hiſtoriam Polon. usq;

ad

ad annum circiter 1587. *SALOMON NEUGEBAUERUS* edidit *Libris X.* Seqvitur autem *Libris VI. prioribus* maximè *Cromerum:* ita ut istos sex libros possis *Compendium Cromeri* dicere. Reliqva, qvæ habet, aliundè à variis accepit. Utut autem gente non sit Polonus, diligenter tamen & prudenter omnia perseqvitur. Parem laudem inter Polonicos Scriptores *REINH. HEIDENSTEINIUS* meretur. XII. qvippe Libris *Res Polonicas ab excessu Sigismundi Augusti* eximiè est persecutus. Res Polonicas nuperrimas persecutus est in Chronicis suis *PAULUS PIASECIUS*, Scriptor judiciosus, sed in Germanos paulò iniqvior. Non commendandus qvidem ille est ab eloqventia, sed à candore, tamen & veritate. Adeò videlicet candidè ac liberè omnia perseqvitur: ut etiam nihil eorum reticeat, qvæ in Polonis reprehensionem merentur. Longè tamen disertiùs, non qvidem omnia, sed multa persecutus est *STAN. LURIENSKI:* cujus omninò Opera grandi Volumine *Antwerpiæ* edita habentur. Qvumq; id Poloni habeant peculiare, ut sint grandiloqvi, lacteâ cumprimis Livii eloqventiâ gravitati illorum respondente, in hoc qvidem genere *SIMON STAROVOLSCUS*, & *JOH. DEMETR. SULIKOVIUS* excellunt. Hic qvippe de *Rebus Polon. à morte Sigismundi Augusti Regis Polon.* scripsit elegantissimè: ille verò eximiam nobis *totius Poloniæ Descriptionem* dedit. Maximè elegantem

hæc *univerſæ Poloniæ Chorographiam* exhibet. Præterea ille nonnulla, qvæ ad Rempubl. faciant, ſatis candidè perſeqvitur: nec & ipſe vitia gentis ſuæ, qvibus adhuc laborat, diſſimulat. Hoc tamen maximè culpandum: qvod nimis addictus partibus ſit Papiſticis, indeqve acerrimus omnium diſſidentium partium exiſtat conviciator: ut ſic qvidem appareat, Autorem in Scholis Jeſuiticis educatum eſſe. In his ſiqvidem Diſcipuli egregiè conviciari diſcunt: qvod nec *Mariana in Libro de Societatis ſuæ Morbis* diffiteri potuit. Cæterùm *Reipublicæ Polonicæ Deſcriptionem è Theſauro Politico* BELLI, HONORII ac *CASP. ENSII, è Relationibus* item *BOTERI de præcipuis Orbis Rebuspubl.* petere licet. Edidit & peculiarem *Status Regni Polon. Deſcriptionem*, *STANISLAUS KRZISTANOVVIC*, *JCtus Polon. à Rege*, tanqvam à Capite, totius negotii hujus initium capiens, inqve *Officialibus Regni deſinens*. Nonnulla ad Statum Polon. pertinentia in *Polonia ſuſpirante VVartmanni* videre qvoqve licet. De *Interregno* deniq; *Polon.* Anno 1587. *HORATII SPANORCHII* Divinationem habemus: ne dicam, qvòd & ſingulare de *ingenio ac moribus Polonorum* Caput in *Icone animorum JOH. BARCLAJI* habeamus. Taliter ſcil. ille ibi Polonorum ingenia deſcribit: qvaliter ea deſcribi nolunt. Imprimis verò ipſis dat vitio: qvòd ruſticos adeò dure habeant, ac nonniſi levi mulcta ruſtici alicujus cædem puniant. Itaqve ut

non dubitavit *Fr. Marinius*, & ipse Polonus, Patriam vindicaturus, adversus *Hermannum Conring. Dissertationem de Reipubl. Polon. Scopo*, qvâ simul status Regni Polon. novissimè describitur, edere; ita nec *Polonus* qvidam *Anonymus*, vir magni nominis, singulari libello, cui Tit. *Polonia defensa*, Gentem suam adversus *Barclajum* defendere fuit veritus.

## III.

## *Qvis primus Gentis Polon. conditor fuisse creditur?*

Creditur fuisse LECHUS: à qvo & Poloniam & Polonos dici volunt qv. *Po-Leck*, tanqvam posteros Lechi dicas. Sic enim Polackos dici Hungaris Lengel volunt, qv. *Lechel* à Lecho. vid *Crom. de Orig. & reb. gestis Polon. L. 1. c. 13.* Dubium verò id, imò fabulosim *G. HORN. Orb. Imp. p. 258.* judicat: *qvòd ex Illyrico originem Gentis deducant.* Sarmatæ enim sunt Poloni: qvorum ab omni hominum memoriâ amplæ in Scythiâ, & Europæâ, & Asiaticâ, sedes.

## IV.

## *Qvam verò Ducum olim & Regum Familiam Gens hæc sibi habuit?*

*Non unam Ducum ac Regum Poloni Familiam olim habuere.* Fuit enim *LECHIDARUM*, qvam Anno 550. *Lechus*; *CRACORUM*, qvam *Cracus*, Cracoviæ conditor A. 700.

*LESCI-*

*LESCIDARUM*, qvam Anno 781. *Primislaus s. Lescus I.* *PIASTEA*, qvam Anno 842. *Piastus*; *JAGELLONIDUM*, qvam, in Sigismundo Augusto Anno 1572. extinctam, Anno 1386. *Jagello*, Rex Polon. & Dux Lithuan. auspicatò condidit.

V.

*Totidem Ducum ac Regum Polonorum Familiæ qvomodo distingvuntur?*

Ita distingvuntur: ut earum aliæ sint *indigenæ*, alia *extera*. *Indigenæ* fuêre qvatuor: prima *Lechorum*, altera *Cracorum*, tertia *Lescorum*, qvarta *Piastorum*. Extinctis indigenis una successit Familia *externa*, nempe *Jagellonidum*: à qvo qvidem tempore Polonia & Lithuania in unius Regni corpus coaluêre.

VI.

*Qvis primus eorum, qvi è prædictis Familiis præfuêre Polonis, Regium nomen ac Titulum adeptus?*

*Regium nomen ac Titulum primus circa Annum Christi* cIↄ & qvidem *ab Ottone III. Imp. accepit* BOLESLAUS. *Boleslaus*, insto, *Chrobius*, Socius ac Amicus R. Imperii, Monarcha potentissimus, omnibus hostibus finitimis in Bohemiscis, Russicis, Borussiacis bellis superior, primus est, qvi Rex salutari in Polon. cœpit: qvum ante nonnisi Duces crearentur.

VII.

*Fuitne Regius ille à Boleslai Chrobii tempp. Titulus constanter servatus?*

*Non fuit constanter in Polonia servatus.* Sub Boleslao namqve Audace, qvi S. Stanislaum, Episcopum Cracov. nefariè occiderat, iterum amissus. Ea qvippe istorum temporum erat superstitio: ut existimarent, neminem posse esse Regem absqve Pontificis R. consensu. Qvumqve Polonia propter Stanislai cædem excommunicata esset, abstinuerunt à creando Rege, ac Titulô *Principum* contenti fuêre. Atqve sic per 215. Annos Polonia *Principatus* tantùm fuit.

VIII.

*Qvis Regium tandem Diadema recepit?*

*Recepit id A. C. 1295. primus* post tam diuturnum Interregnum Gnesnæ *Primislaus II. Posthumus*, & ad successores suos perpetuâ transmisit serie: ita tamen, ut, qvamvis suprema ei concederetur potestas, maxima autoritas remaneret penes Regni Senatum. Egregio sanè temperamento fiebat: *ut regius qvidem fulgor in amplissimo Regno refulgeret; sed sapientissimis tamen Senatorum ac Nobilitatis animadversionibus intra æqvitatis terminos contineretur.*

IX. Qvæ

IX.

*Qvæ Ducum tamen ac Regum Pol. Familia omnium maximè heic est memorabilis?*

*Maximè memorabilis est* PIASTEA: qvippe qvæ vilissimum habuit initium. Ecce enim per singularem DEI providentiam id accidit: ut *PIASTUS*, Rusticus qvidam, qvòd ingruente annonæ caritate multos frumento sublevasset, aliisqve largitionibus Populum sibi devinxisset, Nobilitatis consensu *Dux Poloniæ* eligeretur. Atqve ab hoc ipso Piasto, qvum *Piasteam* illam *Familiam* feliciter condidisset, longa Ducum ac Regum series, in Casimirô M. tandem deficiens, ducitur.

X.

*A Piastô hoc, tam memorabilis Familiæ Conditore, qvi hodienum dicuntur?*

*PIASTEI* hodienum dicuntur Principes, qvi ex sangvine Piasti oriundi: vel etiam, qvi non ex peregrinis, sed ex incolis Regni in Comitiis liberè poscuntur.

XI.

*Anne ullus, è Piasti sangvine oriundus, ullibi hodie superstes?*

Superest hodie è Piasti posteris unus *Georg. VVilh. Dux Lignicensis, Brigensis & VVohlensis:* qvi ut tanqvam stirps generosa in decoram rectamqve proceritatem lætissimè excrescat, perqve suorum Majorem exempla laudabiliter grass-

grassetur, pium totius Patriæ desiderium est ac votum.

XII.

*Sed qvæ PIASTEA apud Polonos est electio?*

*PIASTEA* apud illos *Electio* est: *qvâ liberè ab omnibus Rex indigena eligitur. Piasti* enim nomine *incolam Regem* vocant Poloni; eò qvòd Piastus ille, olim Dux creatus, indigena esset.

XIII.

*Qvid lege hac in re qvàm severissimè jam olim cautum?*

Lege cautum jam olim qvàm severissimè apud Polonos: *ne Piastus, h.e. indigena, Rex eligatur, nisi sit Regis filius, aut ejus frater.* Atqve hæc ratio per aliqvot secula feliciter obtinuit. Tempore qvidem Interregni, qvod proximè mortem Sigismundi Augusti secutum, de Rege aliqvô incolâ eligendo passim invaluerat sermo, multiqve haut vanè inhiabant Regno: at verò, ut ab illo ambitu summoveretur Piastus, egregiô ac salutari Consilio Samoiscius, Vir in Patriæ salutem qvantus totus natus, efficiebat. Qvoniam scil. externorum Principum ac Competitorum Oratoribus absentibus, ad dicendas de Rege sententias decurrebatur, æqvum ille esse monebat: ut & cives abessent, qvi Regnum peterent. Itaqve, qvum nemo petitorem Regni palam se fateri ob verecundiam & invidiæ metum auderet, omnis de

de incola Rege eligendo deliberatio sponte sua concidit. Num verò lex aliqva tum temporis lata fuerit, *ne Rex incola eligeretur*, *Maximilian. Fredro* qvidem *de Reb. gest. Pol. sub Henr. Val. p. 101.* non narrat: *Bodinus tamen L. 5. de Republ. c. 5.* scribit: se à Legatis Polonorum ad Henricum in Galliam missis percepisse, qvum, Sigismundo Augusto Rege mortuo, controversia inter Regni Optimates orta esset, & qvisqve spem Regni ad se traheret, *Senatusconsultum* factum esse: *ne cuiqvam civium ad Regnum via pateret.* Eadem lis orta: qvum Henr. Valesius rediisset ad Gallos, Proceresqve Regni ad alium eligendum Regem Andrejoviæ, Anno 1574. confluxissent. Respondit verò, referente *PIASECIO*, Stanislaus Stadrucky: *se vereri, ne, tali viâ ad dignitatem regiam patefacta, auriga qvoqve suus Piastum ageret, Regnumq; affectaret.*

## XIV.

### *Consultumne est Reipubl. eadem hac semper & ubiq; uti lege?*

Videtur omninò *FR. MARINIO C. IV. Diss. de Republ. Pol. Scopo*, eadem lege consuli Reipubl. eò *qvod periculosum sit Regem eligere incolam. Id* scil. ait, *etiam hi videre possunt: qvi primis saltem labiis Politicam degustarunt Doctrinam.* Trahit autem ipse huc prolixa qvidem *Maximiliani Fredro* verba, digna tamen, qvæ notentur: qvòd insignem pru-

dentiam Politicam simul ac dicendi gravitatem spirent. Sic namqve *FREDRO* ad Gentem suam: *Sumite Reges incolas, tunc uno velut ictu tollitis non superbam æqvalitatem, pro ea fastum ambitionemq́; paucorum dominatum, vanæ nobilitatis nomina inducitis. Hic Regis frater, alter avunculus, ille nepos: speciosa hæc sunt, credite mihi, nomina & tituli. Qvum Sigismundus Augustus cum incolâ fœmina privatas egerat nuptias insciâ Republ. qvos motus tunc in Republ. vidistis? qvas accepistis his auribus voces? jam alii præjudicium populi inclamabant: alii petebant divortium. Qvid verò nobis obstitit, qvod insciâ Republ. factum foret, (licet aliud maximum est) verùm verebamur, ne Rex, qvi fœminam incolam duxisset, eô nexu, paratis intra Rempubl. è potentioribus qvibusvis partium fulcris, electionem liberam sub unius domus traheret cultum.* Huc usqve ille: qvi & ipse in *Fragm. Polit. c. X. adeò extra morem esse*, fatetur, *ex indigenis civibus Regem eligi, ut fabulæ locô sit, Regem creandum se sperare.* Qvicqvid interim sit, vehementer tamen *PAULUS PIASECIUS* vel propterea *p. 59. Chron.* Polonos increpat: *qvòd invidentiæ vitio maxime invicem exercendo indulgeant in electione Regis, ac propterea dignitatemRegalem ad alienigenationem malint transferre.* Qvid? qvod & deinde ille probare conetur: *Principis alienigenas non esse aptos, qvia non possint rectè Rempubl. administrare,*

*re, cujus qvidem nullam notitiam habeant: nullo amore duci in Rempubl. infaustum esse cujuslibet alienigenæ Principis dominatum.* Ita scil. *Episcopus Præmisliensis*, Vir aliàs ob studium veritatis nemini secundus, *è Cominæi Librô IIX.* argumentis inde desumptis, disserit: sed, *ad herilia potius ac hæreditaria, qvæ populo invito & per vim suscepta, non ad electitia, qvæ populi consensu fiunt*, ea referenda esse, *MARINIUS* censet. *Illo casu*, inqvit, *verum est, vix ullam, esse nationem, qvæ diu ferat peregrinum imperium, si sit tyrannicum.* *Negat* deinde, qvum jam aliqvantò prolixiùs omnia deduxisset, qvò clariùs, qvid de *Piasecii* sententia tenendum, appareret, MARINIUS *Conseqventiam.* *Non valet*, inqvit, *Conseqventia:* Rex Rempubl. illam regere non potest, cujus nullam habet notitiam. *Potest enim brevi tempore statum addiscere; interim verò regimen fidis committere hominibus, qvibus nota Respubl. magis.* *Secundum* porrò & *tertium Piasecii argumentum* qvòd universaliter non sit verum, contrariis *Uladislai Jagellonis* & *Sigismundi Augusti* Exemplis idem MARINIUS demonstrat. Sub hujus qvippe Regimine *Livonia*, sub illius *Lithuania* cum Samogita Poloniæ æternô fœdere unita habetur. MARINII proinde stat sententia: *Poloniæ non solùm magis conducere Regem externum, sed & salutem totius Reipubl. in electione externi Regis consistere, si desint defuncti liberi.* Adeoqve hac in parte rationes *Maximiliani Fredro* longis parasangis

argumenta *Piasecii* antecellere videntur: qvippe qvæ, è triviali Politicorum Schola petita, magis in thesi qvàm hypothesi valent.

## XV.

### *Siccine nulla conditione FREDRO Regem admittit domesticum?*

Qvanqvam satis acriter FREDRO contra Regem insurgat incolam, non usqve adeò rigidè tamen huic inhæret sententiæ, ut nulla conditione Regem admittat domesticum. Qvin potius ille concedit: *si successor sceptri nunqvam ex eodem stemmate eligeretur, sed novorum semper nominum Rex ac sangvinis qværeretur, qvò ambiret inter plures familias regalis dignitas, ad extingvendum unius domus ambitum præclusâ spe, aliqvo modo Regem incolam admitti posse.* Porrò, *admitti posse Regem incolam, concedit: si Regum Nati Principis titulô non uterentur, avitæ domus stemmate ac nominibus contenti, qvò redigerentur in ordinem, & æqvalitatem condiscerent.*

## XVI.

### *De duabus hisce cautionibus ecqvid tibi videtur?*

*Sunt consilia & cautiones prudentissimæ: qvas tamen effectui dare fortassis desperati improbiq; laboris esset.* Et qvidni res talis esset laboris? Duo namqve *maxima mala regnatricis familiæ, ambitum in æqvalitatis præjudicium; tum portentosam nimis potentiam*, eligendi libertati

tati iniqvam, *ab incolâ Rege expectare se*, non ineptè *Fredro* ait.

XVII.

*Annon nostrâ hac ætate ELECTIO in Polonia obtinuit PIASTEA, contrà qvàm lege cautum?*

*Bis* omninò *obtinuit hac nostrâ ætate Piastea Electio*, nec ipsa ab alia interrupta fuit Electione. Postea qvam enim inter ipsissimos motus Regni Anno 1647. inauspicatò Rex electus, *Johannes Casimirus* in mediis turbis se abdicasset Regno, ipso verò adhuc regnante de successore designando controversia præcipua mota esset: factiones duæ, in qvas Nobilium familiæ scissæ fuerant, hunc sortiebantur rerum tandem exitum, ut, posthabitis qvidem exteris Regni Candidatis, *Condæo* nempe, *Lotharingo*, *Neoburgo*, ipsoqve etiam *Mosco*, sub acerrimis eligentium dissidiis *verè Piastea electione* Princeps indigena MICH. KORYBUS WIESNEWICKI Rex Polon. crearetur. Immediatè huic, qvum non diu inter varias turbas regnasset, *eadem Electione* Rex designatus successit Anno 1674. JO. SOBIESKI, Campiductor tenus hac Regni. Nec tamen prius coronari ille vult: qvam Victor è Turcico-Tartarica illa expeditione in Patriam redierit.

XIIX.

*At verò qvomodo satis diu electio Regis in Polonia se habuit?*

*Habuit se ita: ut*, qvum omnis *electio* sit vel *libera*, *vel ad certam nationem restricta ac*

*limitata*, *utraq; Polonis usitata esset.* Fuit nempe penes Polonos *Electio* semper *libera.* Lex namqve hæc inusitata non solum, sed incredibilis ferè, obtinuerat: *Regem Poloniæ contradicente nemine eligi debere.* Omni siqvidem tempore crediderant Poloni: id veræ libertatis esse symbolum, *non Senatoris aut divitis cujuspiam, non multorum, sed singulorum suffragiis Regem eligi.* Fuit & *electio* apud eosdem *limitata*: qvia lege prohibiti Poloni *eligere Piastum s. indigenam.* Olim certè apud Ebræos nonnisi ex Israelitarum stirpe oriundi eligi poterant Reges: apud Polonos verò satis diu nemo Polonus potuit Rex eligi, nisi Regis esset filius.

## XIX.

### *Per sortes, an per suffragia illa tenus hac facta?*

*Elegerunt* Reges suos Poloni tenus hac *per suffragia, non per sortes.* Etiamsi enim, sortibus eligere Principem ad discordiarum semina tollenda utilius esse *BODINUS L. VI. de Republ. c. V.* disputet, ipseqve *SEPTALIUS L. IV. de Rat. Stat. c. 6.* Democratiæ & Aristocratiæ opportunum instrumentum sortes esse, judicet: *maluere* tamen *Poloni omnes ac singuli per libera semper suffragia eligere Regem*, hac in parte *Romanos* secuti. Illi qvippe per tribus olim aut per classes in centuriatis Comitiis eligebant, adeoq; ipsi revera pedibus in sententiam ibant. Atverò qvô ordine Regia ele-

electio apud Polonos fieri jamdudum ſveverit, latè omnia *PIASECIUS Chron. Pol.* p. 542. tradit.

XX.

*Ecqvis locus ejusdem Electionis proprius?*

*Proprius Electionis Regiæ locus* in ſubjacente campo *VVARSAVIA* eſt. Tantæ enim multitudini conclave aliqvod ſufficere haut poteſt.

XXI.

*Eadem Electio per qvos fieri ſemper meruit?*

Meruit per *ſolos* fieri *Nobiles.* Hi ipſi ſcil. ſemper ſoliti Regem *eligere*: *nec unqvam per delegatos id fecêre.* Credidêre enim, *tutius*, ut eleganter loqvitur *FREDRO*, *Comitiorum negotia Nunciis terreſtribus concredi poſſe, & Comitiorum errores faciliùs corrigi, qvàm ſi malam elegiſſent Principem. Conferre & magis ad imperantium ſecuritatem ac parentium conſtantiam*, crediderunt illi: *ſi Rex eligeretur per omnes.*

XXII.

*In qvo Subjecto propriè, ſtante Anti-Piaſtea iſthuc lege, Regia Electio fieri ſvevit?*

Fieri ſvevit in *PEREGRINIS* ſ. *EXTERIS*, nec tamen excluſis, ſi qvi eſſent, Regum filiis. Qvin potiùs, qvò facilius ac feliciùs bellorum

intestinorum fomenta extingverentur, exteris omnibus hos præferendos, Poloniæ judicarunt Nobiles: qvamvis & ipsi vehementer electioni Principis exteri non raro studerent. Observavit id recte *BODINUS L. VI. de Republ. c. V.* Et *MAXIMIL. FREDRO* egregie in hanc rem scribit: *qvòd, licet Populo Polono ea eligendi potestas, ut, Natis Regum posthabitis, aliam in domum sceptra deferri possint, nec tamen id fiat, ut, qvi domi & in moribus Populi nati, rejiciantur: ne sic forsan minor imperantium paretur securitas, & offensarum in Populum detur occasio, si alienæ Domus ad purpuram qværantur Principes, posthabitis, qvi in aliqvam sceptrorum spem domi sunt nati.*

## XXIII.

## *Siccine ergo & ipsi Regum Filii ad habenas Regni ex eadem lege admissi?*

Certè, ut hac ratione tumultus, qvi Interregni tempore metum subditis incutere solent, removerentur, *admissi qvoq; ex eadem lege Regum ad Regni habenas Filii.* Admissi nempe sunt per *Electionem.* Per *Electionem*, insto. Neqve enim temere in Histor Polon. reperies, Regem aliqvem obtinuisse, ut sibi vivo adhuc successor filius designaretur: nisi excipias Uladislai Jagellonis exemplum, cui hac in parte qvicqvam præter mores Regni indultum. Ita videl. semper creditum in Polon.

qvòd,

*qvòd, præsente Rege novum eligere, non electio, sed successio potius & hæreditas foret.* Mancipantur siqvidem hac ratione vota, qvæ libera esse debent: ut non, qvi optimus, sed qvi proximus sangvine, Rex dicatur.

XXIV.

*Nonne & Filiæ Regum ad gubernacula Reipubl. in Polon. unqvam admissæ?*

*Nulla, præter Vendam Virginem, ad Rempubl. in Polon. administrandam admissa. Nec & lege aliqvâ Voconiâ aut Salicâ*, qvæ uxores ab imperiô arceret, hoc pacto unqvam opus habuerunt Poloni. Non solùm enim inferre hoc successionem hæreditariam ipsis visum fuit, *si fœminæ in Regimine succederent*; sed periculô qvoqve non carere creditum, *si manibus illis sceptra committerent, qvibus fata & natura colum transcripsissent.*

XXV.

*Qvô verò tempore exteros maximè Reges habere cœpit Polonia?*

*Cœpit qvàm maximè exteros habere Reges Polonia: qvum jam Anno 1572. Familia Jagellonidum in Sigismundo Augusto extincta esset.* Ab eo enim tempore Poloni creare sibi cœpêre (1) *Henricum Vales.* Ducem Andegav. Caroli IX. Regis Gall. fratrem, qvi, statim primô pertæsus Regni Polon. annô, concessit in Patriam: (2) *Stephanũ Bathoræum,* Transylvaniæ

Prin-

Principem, qvi antiqvam Regni Polonici gloriam ingentibus virtutibus excitavit: (3) *Sigismundum*, Regem Sweciæ, cui tandem post *Uladislai* fata Anno 1648. *Joh. Casimirus* successit, fratris viduam, *Mariam Ludovicam*, Ducem Nivernienſem, Caroli Mantuani Ducis filiam, ne Regnum novâ dotis constitutione gravaretur, uxorem ſibi ducens.

XXVI.

*E dictis qvid patet?*

Hoc ſaltem clariſſimè jam patet, *apud Polonos magis probari Regnum Electitium.* Id namq; magis convenire libertati ac moribus Polonorum videtur. Qvicqvid ergò alii contra *Regna Electitia* diſputant, *eſſe ea crebris Interregnis obnoxia, qvibus nihil perniciosius Reipubl. accidere poſſit; tempore Interregnorum, mortuo Rege, mortuam qvoq; eſſe ſolere legum vim ac justitiam; in Interregnis nihil eſſe tam ſanctum, qvod non fœdiſſimè ſoleat & cum ſummâ impunitate contaminari:* tanti tamen momenti Argumenta illa non eſſe, *FR. MARINIUS c.IV. Diſſertat. de Reipubl. Polon. Scopo* cenſet, ut tollere Electionis Regiæ præſtantiam qveant. Qvin rectè potius Poloni *Electionem* defendunt: utpote *qvâ omnis nitatur Reipubl. libertas: qvâ ſublatâ omnis cadat libertas.*

XXVII.

*Sed qvô ſucceſſu Regnum Polon. huc usq; fuit electitium?*

*Electitium ſucceſſu fuit admodùm turbulentô.* Etenim,

Etenim, si qvando Regia defecit Familia, tum demum gravissimæ ortæ sunt factiones: anteqvam in novum conspirarent Regem.

XXVIII.

*Unde gravissima tunc qvidem subortæ factiones æqvè ac contentiones?*

*Subortæ utræq; è Competitorum pluralitate.* Qvis enim tot æmulorum ambitum facili negotio supprimeret? qvis omnibus eorundem asseclis faceret satis, aut è voto ipsis responderet, qvò minùs totidem darent turbas? Ita scil. competitorum pluralitas æmulationem, æmulatio odium, odium turbas parit.

XXIX.

*Moderni Regni Polonici Competitores qvinam sunt?*

Sunt (1) *Moscus*: (2) *Tartarus Præcopensis*: (3) *Domus Austriaca*: (4) *Rex Galliæ.*

XXX.

*Moscus qvæ pro se heic adducit?*

*Tria pro se adducit, Lingvam, originem & viciniam.* Verùm non eadem est lingva. In rebus namqve plurimis, qvodqve maximum est, in Characteribus à Polonorum Lingva longissimè discedit. Sic, qvæ de *Zecho, Lecho*, & *Rus* narrantur, Fabulæ qvàm Historiæ propiùs accedunt. Tandem *viciniâ* ut commendet, tantum abest: ut potius majorum odiorum caussam suppeditare possit. Ex mutua enim

enim æmulatione jamdudum acerrimæ inimicitiæ profluxere. Et licet Rusſi à Polonis aliqvando petierint Uladislaum IV. credibile tamen non eſt, idem facturos Polonos. Adde: qvòd diverſisſima inter haſce Gentes imperandi ratio. Moſci ſiqvidem infra ſervos; Poloni ſupra liberos qvaſi ſunt poſiti. Moſci omnia patiuntur; Poloni ne levisſimam qvidem ſervitutis ſpeciem æqvo perferre poſſunt animô. Non igitur Moſcus cauſſam habet: ut ſibi de Poloniæ poſſesſione qvicqvam animô concipere velit.

## XXXI.

### *Tartarus deinde Præcopenſis qvot ac qvibus nititur rationibus?*

Rationibus nititur imprimis tribus: (1) *ſe eſſe potentem, ac vel 100000 eqvitum in aciem poſſe producere:* (2) *ſe eſſe parcum paucisq; contentum*, carne qvidem eqvinâ cibum, ſangvine vel lacte potum præbente: (3) qvod Religionem ſpectet, de qva audiat in Polon. diſceptari, *ſe illam ſusq; deq; habere: Tuus*, inqvit, *Lutherus, meus Lutherus: Tuus Papa, meus Papa.* Ita ille. Sed qvàm parvi momenti ſint, qvæ pro ſe adducit Tartarus, qvis non videt? *Valeat* igitur eqvitibus, ſuam jactet potentiam: ejus tamen ſocietas multoties perſpecta fuit perfida. Dummodò prædam deportet Tartarus: an id à ſocio, vel hoſtili agro decerpat, nihil moratur. Dicat etiam, *ſe paucis eſſe contentum:* id profectò Nobilitatem Po-

lon. parum conciliat. Nulla enim Natio ferè eſt, qvæ profuſiſſimô veſtium ac ciborum luxu Polonos ſuperet. Regem igitur ſumptuoſum malunt, qvàm ſordidum ac parcum. Tandem, qvæ leviter de *Religione* dicit Tartarus (*Tuus Papa, meus Papa: Tuus Lutherus, meus Lutherus*, ) nihil ad faciendam gratiam conferunt. Indifferentia enim in Religione neutrius partis amorem, ſed utriusqve potius parit odium. Videre id præteritô tricennali bellô Germanico licuit. Vah enim, qvàm parum gratiæ inibant: qvi neqve cum Ligiſtis, neqve cum Unioniſtis faciebant, utrorumqve tamen Amici eſſe cupiebant! Nihil proinde ſperare unqvam poteſt Tartarus: niſi, qvòd antè 300. annos fecerat Jagello, Chriſtianâ aſſumpta Religione unà cum Taurica Cherſoneſo ſuas ditiones Poloniæ inſerat: id qvod in æternum non permittet Turca.

## XXXII.

## *Domus Auſtriaca qvó fundamentô nititur?*

*Nititur pactis ab Anno 1515. d. 16. Julii:* ubi Viennæ *Maximilianus* I. Imp. *Sigismundus I.* Rex Polon. & *Ladislaus*, Rex Hungariæ ac Bohemiæ, convenêre: conventumq; tunc *de mutua* eſt *ſucceſſione.* Videtur ſanè ad pactum illud digitum intendere Maximilianus II. apud *Gvagnin. T. I. p. 176.* & qvidem in literis, ad Polon. Proceres datis. Atverò pactum iſtud Polonorum conſenſu non ſtabilitum habetur, ideoq; eſt irritum. Neq; & Rex Polon.

Polon. cum Regno electitio tanqvam cum suo patrimonio agere tunc potuit. Ne dicam: qvòd jamdudum victus atqve captus Maximilianus Austriacus prætensioni suæ in Polon. renunciârit, jure licet ac titulô sibi reservatô.

XXXIII.

*Rex deniq; Galliæ qvô tempore maximè & cur inhiare cœpit Poloniæ?*

*Non tam pro se, qvàm pro fratribus & Principibus Regii sangvinis, id inde à temporibus Caroli IX. fecit.* Nempe, qvum Poloni, familia Jagellonidum in Sigismundo Augusto jamjam extinctâ, Regem sibi Henricum, Ducem Andegav. Caroli IX Regis Gall. fratrem, creassent, ex eopse tempore Gallus, ne Domus Austriaca ad Regnum Polon. perveniret, inter Competitores semper partem aliqvam fovit: præcipuè postqvam *Uladislaus*, ejusqve frater *Joh. Casimirus*, olim Cardinalis, uxorem è Gallia Ducem Nivernens. duxissent. Enixè verô Sveci pariterqve Austriaci contra nituntur. Imprimis Sveci, juxta vulgatissimum illud, φράγκον φίλον ἔχε, γείτονα δ' οὔ, viciniam Galli non expetunt. Et, qvi Henrici Andegav. electionem multum olim promoverat Turca, prorsus alieno hac in parte Gallis esse cœpit animô.

XXXIV.

*Inter tot autem tamq; potentes Regni Competitores si Rex novus creatus fuerit,*

### *fuerit, qvæ, qvalis ac qvanta ipsius esse incipit potestas?*

Esse *varia*, esse *verè Regia*, esse & *satis magna*, *circumscripta* tamen ac *limitata* esse incipit. Etenim qvum sit potentissimus Rex Poloniæ: tamen secundum leges ac Senatus Præcepta vivere tenetur. Audiamus *CROMERUM* heic: qvi *negativè* docet, qvid Rex Polon. possit. Ita verò ille *L. 2. de Republ. Pol. Nunc sanè angustis finibus potestas Regia in sacrum & eqvestrem ordinem & utriq; subjectos homines ac bona circumscripta est. Ac in sacerdotes qvidem jam inde ab initio suscepta Relig. Rex nihil prorsus potuit, & juris habuit. De Eqvitis verò famâ ac capite nonnisi in Comitiis cum Senatu judicat, certis aliqvot casibus exceptis. Senatu autem inconsultô neq; bellum cuiqvam facit, neq; fœdus publicè init cum qvoqvam, neq; alienat qvicqvam de bonis Regni, neq; rem ullam majorem ad Rempubl. pertinentem statuit aut facit. Porrò leges condere, pecuniam extra ordinem publicè imperare, monetam signare, successorem sibi designare, ne cum Senatu qvidem potest, absq; cæteræ Nobilitatis consensu.* Hæc *Cromerus*. Audiamus tamen & ipsi, qvæ in hanc rem habeat *STARAVOLSCIUS positivè*. Ita namqve scribit: *Benè Rex ipse Episcopos & Abbates nominat, Palatinos & Castellanos, Mareschallos & Cancellarios, Thesaurarios, Ducesq; militiæ creat; reditus Coronæ dispensat, &*

*Præ-*

*Præfecturas distribuit, Comitia indicit, Magistratusq; omnes & judices eligit; deniq; universos Reipubl. honores, prout illi placet, confert, habetq; in manu omnes remunerandi beneficioq; afficiendi, qvoscunq; voluerit, modos.* Sic ergò Rex Poloniæ poteſt non ſolùm loqvi, ſed facere qvoqve, qvæ poteſtatis ſunt Regiæ: ipſiqve omninò Magiſtratum conſtituendi & judicandi poteſtas competit.

XXXV.

*Qvot generum ea jam eſſe putas, qvæ Rex Poloniæ poteſt?*

Qvum vulgò qvinqve ſoleant ad ſummam poteſtatem referri Reqviſita, (*belli* nempe & *pacis poteſtas*, *poteſtas ferendarum legum*, *jus vectigalium ac tributorum*, *jus conſtituendi Magiſtratus*, *jus* deniqve *vitæ ac necis*,) omninò heic videndum: *qvidnam Rex Polon. ex illis poſſit, qvidq; facere prohibeatur ſolus. Duum autem generum* eſſe, puto: qvæ *Rex* Polon. *in ſuo maximè poteſt Regno.* Ecce enim qvædam *ipſe ſolus poteſt*: qvædam *non ſolus poteſt.*

*XXXVI.*

*Qvænam ille ſolus poteſt?*

Solus poteſt *Magiſtratus*, cùm *ſacros*, tum *civiles*, *conſtituere*: poteſt & ipſe ſolus *exercere judicia.*

*XXXVII.*

*Qvinam ſunt Magiſtratus illi ſacri, qvos Rex Poloniæ conſtituit ſolus?*

Sunt

Sunt *Episcopi* & *Abbates:* qvos tamen non ex pactô solùm, sed ipso jure qvoqve constituit. Adeoqve in hac re Rex Pol. ipsos Germ. Imperatores vincit: qvippe qvi nullum hodie Episcopum eligere possunt, qvod poterant olim. Amiserunt verò jus illud regnante Henr. V. Imp. qvi, qvum esset excommunicandus à Synodo Rhemensi, instigante Calixto II. Pontif. pacis obtinendæ gratiâ Anno 1122. VVormatiæ palam renunciavit potestati, jureqve constituendi Episcopos cedere coactus est. Res itaqve eo rediit: ut electio omnis & constitutio Episcoporum à Curiâ dependeret Romana: donec Sec. XIV. magnum illud oriretur Schisma inter tres Pontifices, resqve Ecclesiæ Rom. ingenti tumultu jactarentur. Cœpit tunc Germ. Clerus pristinæ libertati suæ consulere, Curiæqve Rom. se opponere, Episcoporum tandem electione perveniente ad Canonicos Cathedrales, Cæsaribusqve nonnisi investituræ collatione remanente: dum interim electio à Canonicis illis, confirmatio à Curia Rom. dependet. *Rex* verò Polon. solus *Episcopos* & *Abbates* eligit ac constituit: qvamvis confirmatio sit penes Pontificem. Necesse tamen est: ut *Episcopi in Polonia sint nobili nati genere.* Unde, qvum Cardinalis Hosius, Episcopus Varmiensis, in Pol. plebejo ortus sangvine, nihilominus ad illum Episcopatum curâ Rom. Pontif. promoveretur, Respubl. ægrè admodùm id tulit: qvòd ad plebejum dignitas Episcopalis delata esset.

*XXXVIII.*

XXXVIII.

## *Qvi Magistratus sunt civiles?*

Qvos Rex Polon. pro lubitu creat, Magistratus seculares s. civiles sunt *Palatini* & *Castellani*, *Mareschalli*, *Cancellarii* & *Thesaurarii*, *Ducesq; Militiæ*.

XXXIX.

## *Qvodnam cujusq; officium, qvotq; sunt numerô?*

Latè uterq;, & *Staravolscius* & *Cromerus*, nec non *Stanisl. Kristanovviz in Descript. Stat. Regni Pol.* id descripsit: indeqve illi consuli heic possunt. Nimis enim prolixum foret, omnia ex illis transcribere, qvæ huc pertinent.

XL.

## *Eosdem Magistratus qvomodo dividere licet?*

Dividere eos in *Majores*, in *Officiales*, inqve *Minores* licet. *Majores* appellantur *Palatini s. VVaivvodæ*, iidemqve sunt, qvi apud nos Duces & Principes: nisi qvòd nostri sint hæreditarii, illorum verò dignitas sit temporalis tantùm. Proximè sub Palatinis sunt: qvi vocantur *Castellani*, Polon. Starosten / idem qvi apud nos olim Comites. Sunt verò in Polonia *VVAIVVODÆ 34. CASTELLANI 87. Officiales*, iiqve Ordinis Senatorii, sunt X. *Mareschallus Regni supremus*, *Mareschallus supremus M. Duc. Lithuan.* *Cancellarius Regni*, Groß-Cantzler / *Cancellarius M. D. Lith. Vice-Cancellarius*

*larius Regni*, Unter=Cantzler/ *Vice-Cancellarius M. D. Lith. Thesaurarius Regni*, *Thesaurarius M. D. Lith. Mareschallus Curiæ Regni*, *Mareschallus Curiæ M. D. Lith.* Hi sunt X. illi Officiales Regni: præter qvos Rex constituit pro arbitrio suo *Militiæ Duces*, dici solitos Kron=Feld=Herren. Nam & Regnum Polon. & Ducatus Lithuan. suum habet Militiæ Ducem. Pertinent & ad Militiam Vexilliferi: qvi à Rege constituuntur. *Minores* deniqve *Magistratus* oppidani illi sunt: qvi qvotannis à Capitaneo loci vice Regis pro lubitu constituuntur, atqve, præeunte vanâ inqve speciem civium electione, mutantur.

## XLI.

## *Annon verò restricta hac in parte Regis est potestas?*

Est omninò *restricta*. Nam *non potest munus aliqvod tribuere peregrino*. Expressè hoc cautum in Conventu Cassoviæ Anno 1374. inter Ludovicum Regem & Ordines: *ne extero cuiqvam Præfecturam Arcis aut oppidi conferret*. Id posteà renovatum in Comitiis Jedlinensibus Anno 1430. Uladislao Jagellone Rege, *ne honores sacri ac profani ullis, nisi indigenis, mandarentur*. Credidêre enim Ordines, qvod *BUCHANAN* monet *L. 14 Hist. Scot.* nunqvam securè extero alicui, & qvidem potenti, curam munitorum locorum in Regno locari. Facilè siqvidem tyrannidi sedem struere, vel etiam ad regnum occupandum consi-

lia flectere poteſt. Contrà verò *omnibus Polonis, ſive è Polonia Majori, Minori, aut Maſovia oriundi, eadem ad honores via patet*: omnes ad Magiſtratum apti cenſentur, modò virtuti, non vitiis operam dederint.

XLII.

*Qvamdiu officia illa Regni, in qvibus demandandis reſtricta Regis eſt poteſtas, conceduntur?*

*Conceduntur pleraq; ad vitam: non tamen omnia.* Ad vitam qvidem concedi ſolita tenus hac majora omnia: qvalia ſunt *Palatinorum*, *Caſtellanorum* & *Mareſchallorum*, &c. Poteſtas tamen & munus *Tribunalitium* annum nunqvam transgreditur: uti qvoqve *Nunciorum terreſtrium* autoritas poſt Comitia finita evaneſcit. Addendum deniqve, in Majori Poloniâ *oppidanos Magiſtratus Regios annuos qvoq; eſſe*: qvum Cracoviæ ad vitam extendi ſoleant.

XLIII.

*Anne gratis conceduntur?*

*Pleraq; officia gratis à Rege dantur: nec itidem tamen omnia.* Telonia & Præfecturæ utplurimum ad dies vitæ vendi ſolent, modô tamen diversô. Majora interim officia nullo pretio, ſed virtute acqviruntur: ut ſic virtutes ſint, qvæ Nobiles ad dignitates evehunt, non pecunia. Vitia verò ſunt: qvæ illos ab omni-

omnibus excludunt officiis. Rectè enim SAAVEDRA *Symb.* 52. monet : *Munera Reipubl. in hominem improbum deferre, esse optimo cuiq; adimere animum ac vires, roburq; malitiæ addere.*

## XLIV.

## *Qvæ interim, dum & Rex solus exercet judicia, judiciorum exercendorum est ratio?*

*Reges Poloniæ ipsi olim Judicia freqventare, subditorum qverelas audire, lites definire solebant.* Id autem qvum non sine gravi Regum molestiâ fieret ( qvippe qvi & publicis invigilare rebus, & privatis qvoqve interesse tenebantur judiciis ) *Stephani* Regis demum tempore, nempe in Comitiis *VVarsaviæ*, Anno 1578. celebratis, laborum adsciti sunt socii, eaqve judiciorum forma inventa est, qvæ alibi *Parlamenti*, apud Polonos *Tribunalis* nomen invenit. Factum inde : ut & Rex aliqvantum isthoc onere liberaretur, & Nobiles qvoqve libertati suæ justitiæqve meliùs consulerent.

## XLV.

## *Qvis locus Tribunali huic dictus?*

Dictus locus eidem Tribunali *Petricoviæ* est & *Lublinum*. *Petricoviæ* videl. lites Palatinatuum majoris Polon. & Prussiæ ; *Lublini* Palatinatuum Polon. minoris ac Russicæ deciduntur.

Latè de his *Demetr. Sulicovius Rer. Polon. p. 102.* seqq. Potestatem verò, tempus ac personarum numerum, conditionem ac sortem, accuratè *Staravolscius* & *Piasecius* describunt.

XLVI.

*Qvàm diuturnus idem est Magistratus?*

*Tantùm est annuus, & electus non nisi infra qvadriennium denuò eligi potest:* perinde atq; Augustus olim Cæsar peractô qvinqvenniô provincias adire iterum permittebat.

XLVII.

*Qvid jurare tenetur?*

Jurare tenentur, qvi pro Tribunali sedent: *qvatenus officium illud precibus aut donis non ambiverint, neq; pro ratione personæ & qvantitate munerum administraturi sint justitiam.*

XLVIII.

*Qvid lege heic constitutum?*

Constitutum lege habetur: *ut major pars in rogandâ sententiâ concludat.* Cavere namqve eadem lege volunt: ne lites forenses nimis protrahantur. Addita & lege tanta Tribunalis decretis autoritas: qvanta gaudent ipsæ Comitiorum Constitutiones.

*XLIX.*

*Cuinam foro generale hoc Regni Tribunal conforme esse censes?*

Planè

Planè conforme eſt *Parlamento Pariſienſi hodierno*: niſi qvòd ibi Judices conſtituantur perpetui, heic verò annui ſaltem: ne efferantur fortè tanti Magiſtratus poteſtate.

L.

*Anne & Appellatio ſ. Provocatio in Polonia obtinet?*

*Obtinet hæc ibi utiq́.* A Magiſtratuum enim oppidanorum judiciis in Polonia ad Præfectum, à Præfecto ad Regem appellatur. In qvibusdam verò Polon. Partibus, ubi jus Saxon. viget, ad Civitatem olim Magdeburg. appellabatur: in cujus locum Caſimirus II. *Judicium Appellat.* ordinavit *Cracoviæ*. Ab hoc tamen & Provocatio ad *Judicium, qvod VI. Civitatum vocatur*, admittitur: ita ut hoc ſine ulteriori appellatione dirimat lites.

LI.

*Qvid juxta hæc in privatis Nobilium cauſſis fieri ſolet?*

De privatis Nobilium cauſſis *cujusq́. Satrapiæ Judex cum Subjudice ac Collega ſuo ſententiæ dicendæ jus habet.*

LII.

*Qvid verò circa criminalia Rex Pol. poteſt judicia?*

*Aculeo heic Rex caret*, ſcribit *PIASECIUS p. 59. Chron. Nam in vitam aut perſonam facultatesq́. Nobilium poteſtatem nullam habet: & etiam manifeſtè delinqventem, præter paucisſimos*

*recentis criminis casus, vel nisi jure convictum, detinere aut carceri tradere non potest.* Ita *Piasecius*: ita & *Staravolscius*. Atverò contrarium experientiæ suffragiô *MARINIUS c. VII. Dissertat. de Reipubl. Pol. Scopo* probat. Aliter nempe se rem habere, qvam qvod vulgò credatur, de *Nobilis* scil. *alicujus capite nonnisi in Comitiis dijudicari à Rege posse*, memorabili *Stephani Bathoræi* exemplô demonstrat. Is qvippe, haut attento hoc Privilegio, non dubitârat per Joh. Samoiscium Cancellarium, & qvidem inconsulto Senatu, capitis pœna *Samuelem Sborovium* multare. *Et valde incongruum esset*, inqvit *MARIN. si Nobilis sit latro aut prædo deprehensus, in Comitiis demum de justitia consultare, an puniri possit.*

LIII.

## *An & Clerici in Polonia jurisdictioni civili sunt subjecti?*

Si *CROMERI* sententiam seqvi velimus: *Rex jam ab initio susceptæ Religionis Christianæ in Sacerdotes nihil prorsus juris habet.* Et sanè ita communiter Scriptores Pontificii, non Ecclesiastici solùm, sed & Politici, docent. Næ Principem suum *MARIANA L. I.* Institut. Reg. c. X. monet: ne *ullum è sacrato Ordine supplicio, qvamvis merito, subjiciat.* Eadem imprimis *ROB. BELLARMIN. L. I. de Cler. c. 28.* inculcat: qvi, qvum primò Clericos jure humano exemptos esse statuisset, mox, bellô Venetos

netos inter ac R. Pontificem ortô, palinodiam cecinit, jureqve divino exemptionem illam probare voluit. Qvicqvid autem sit: vanum omninò jus illud esse, qvod pro exemptione sui citat Clerus, qvis non videt? Etenim licet non negandum sit, multa privilegia Clero tributa ab Impp. Orientalis Imperii esse, à Constantino imprimis M. neutiqvam tamen à jurisdictione Regum supremâ jure aliqvô positivô liberari ille potest. Et qvanqvam etiam, si de facto loqvamur, in Polonia olim id factum fuisse, è *Cromerô* appareat: nec tamen hodieqve ullum privilegium, si unqvam consensu Procerum confirmatum, valere, aut successores obligare potest: qvia saluti Reipubl. adversatur. Qvin potius contrarium in severissimo superioris triennii Decreto adversus *Nicolaum Prazmowsky; Archi-Episcopum Gnesnensem*, legere licebat. In illo siqvidem ipse perduellionis reus non tantùm publicè accusabatur; verùm etiam tanqvam publicus Patriæ hostis omnibus officiis, honorum titulis ac dignitatibus exuebatur, nec minus etiam à libero in Senatu suffragio, & activè & passive ferendo, prorsus excludebatur. Verba Decreti erant: Demnach der Pater Nicolaus Prazmovvsky, Ertz-Bischoff zu Gneßnen/ wider die Republic wenig Gutes im Sinn gehabt/ als welcher auch mit seinem vorhin geführten Wandel gnugsam an Tag gegeben/ daß alle außwärtige Practiqven zusampt den daraus entstehendē einheimischen Kriegen/ wie

denn auch die vorgehabte Hintertreibung der freyen Wahl/und alles Unheil/ so die Republic getroffen/ von ihm herrühre/ als haben Wir solchen wider GOtt / den H. Catholischen Glauben/ den König und die Republ. begangenen Ubelthaten nicht länger zusehen können: entsetzen ihn demnach seiner Ehren-Stelle/ Dignität und Würde/ wie auch seiner im Senat activè und passivè habenden freyen Stimme etc.

LIV.

*Jurisdictione civili in Polonia ita reverà se habente, qvæ jura ibidem maximè obtinere nosti?*

Maximè in Polonia *Statuta Regni* obtinent: qvæ hoc nomine post Casimirum M. à Regibus promulgata, ac deinceps Sigismundi Augusti jussu congesta, perqve *Joh. Herbutum* Senatorem Ao. 1520. edita. His,his scil. Jus Polon. nititur: cujus defectu ad *Jus Saxonicum* recurri solet. Ejus autem apud Polonos tanta olim fuit autoritas: ut non sine magnis impensis ad Tribunal Magdeburg. extra Regnum suum appellarent. Sustulit hanc rem Casimirus Ao. 1356. alio Supremo Tribunali in Arce Cracov. constituto, ad qvod imposterum appellarent. Nec minus tamen præter utrumqve illud, *Polon.* nempe & *Saxon. Jus*, *Constitutiones Regni* plurimum obtinent, post Sigismundi Aug. excessum à Rege, Senatu, Nobilibusqve Regni latæ: qvæ nostri *Imperii Recessibus* respondent, omnesqve Poloniæ cives, qvales

qvales sunt Nobiles, & qvatenus res concernunt publicas, obligant. Obtinent & alia *Jura*, *Provincialia* nempe *statuta* : qvæ Sigism. III. Rex, M. Justinianum imitatus, per Leonem sapieham, supremum tunc Lithuan. Cancell. in multis corrigi, multaqve addi curavit.

## LV.

## *Ad totidem Regni Polon. Jura qvæ & alia Jura accedunt?*

Accedunt *Jus Canonicum* & *Concilium Tridentinum*. Illud qvidem in Polon. ut in aliis Regnis, ob insignem utilitatem atqve necessitatem totum observatur : hoc verò receptum alterô, postqvam finierat, annô, operâ imprimis *Stanislai Hosii* Cardin. ut *PIASECIUS Chron.* p. 247. testatur.

## LVI.

## *Nonne & Jus civile Rom. vim qvandam legis habet in Polonia?*

Qvod vim legis in Polonia id qvandam habeat, *ARTURUS DUCK L. de autor. Jur. Civil. in Domin. Christ. L. II. c. XI. n. 9.* probare conatur. Sed, si dicendum qvod res est, *aliqvis qvidem honor juri Rom. in Polon. datur : nec tamen nisi talis, qvalem dant reliqvi Populi septentrionales, ad qvos Rom. Imp. se non extendit.* Neqve enim credidêre unqvam Poloni temerè, jus illud Rom. tantæ esse æqvitatis:

tis: ut, qvod huic convenit, ubivis salutare, qvicqvid dissidet, iniqvum sit & noxium. Nec & credidêre, tantæ perfectionis & autoritatis esse: ut ad illud omne jus, tanqvam ad cynosutam, examinari possit ac debeat.

LVII.

*Habeo, qvæ Rex Poloniæ in Regno suo possit solus:* pergas abhinc ad *ea*, velim, *qvæ non solus potest?*

*Non solus*, sed *cum Nobilitatis consensu, Rex Poloniæ ea potest: qvæ in Consilium venire solent in Comitiis.* Qvum autem versentur hæc pleraqve circa novas ferendas leges, vel veteres etiam ex necessitate Reipubl. limitandas aut abrogandas, circa bellum & fœdera, circa tributa & vectigalia indicenda, Rex Polon. *non solus novas potest ferre leges, aut veteres abrogare: non solus potest bellum indicere & inferre: non solus potest ferire fœdera; nec potest solus tributa ac vectigalia indicere.*

LIIX.

*Si talia & alia Rex Poloniæ solus exercere non potest, qvi eadem tamen qvàm maximè præstare possunt?*

Certè ut Regni Constitutiones non nisi ab *omnibus in Comitiis* feruntur: ut & ab *omnibus* illæ pro rei & temporis necessitate mutari solent: ita nec minus potestas indicendi & infe-

inferendi bellum; poteſtas item pangendi fœdera (qvæ tamen rarò ineuntur à Polonis) poteſtas deniqve indicendi tributa novaqve inſtituendi vectigalia *omnibus competit, qvi in Comitiis ſuffragia ferunt.*

*LIX.*

*Qvinam hi ipſi ſunt?*

*Poteſtatem ſuffragia ferendi in Comitiis Senatores* habent, locôqve Nobilium omnium *Nuncii terreſtres.* Rex ſcil. in Comitiis cum Senatu de rebus majoribus conſultat, perinde atqve olim Duces, juxta Tacitum, apud Germanos: decidendi verò poteſtas nec,non Comitiorum autoritas magna ex parte penes Nuncios terreſtres reſidet: qvorum tamen potentia, qvia admodùm eximia, facit: ut interdum non bene conveniant inter ſe Ordines.

*LX.*

*Per NUNCIOS illos TERRESTRES qvos qvæſo intelligis?*

*Electos ad Comitia è Nobilitate Legatos* intelligo. Nobiles nempe, ubi jam indicta ſunt Comitia, in ſingulis Satrapiis ſ. Provinciis conveniunt (interqve ſe agunt, qvæ in Comitiis peragenda veniunt: tum è ſuo numerô Legatos eligunt ac deſtinant, qvos ad Comitia Regni mittant. *Nuncii* hi *terreſtres* dicuntur, German. Land-Bothen: intelligiturqve tunc *terræ* nomine totus aliqvis diſtrictus.

LXI.

## *Quâ potestate iidem pollent?*

Hac *pollent* Nuncii terrestres *potestate : ut ipsi plenô jure agere, ac omnia cum Senatu Regni constituere possint*, ubiqve illorum prævalente autoritate.

LXII.

## *Quam sibi plerumq; in hac tantâ potestate sumunt licentiam?*

Eam sibi sumunt licentiam: *ut unus & alter omnia decreta reddat irrita*. Certum scil. hoc : qvod *Nuncii terrestres* utplurimum turbas in Conventibus generalibus dare, inqve caussa esse soleant: qvò minùs interdum qvicqvam certi concludatur, aut, si conclusum, discindatur. Unde & Nuncios illos terrestres *homines plerumq; factiosos* vocitare *PIASECIUS Chron. p. 15.* nullus dubitat. Qvid? qvod *TRAJAN. BOCCALIN. in Lap. Lyd. X.* nihil magis improbet, qvàm nimiam istorum hominum, qvam sibi sumunt, licentiam: Loqvitur qvotidiana experientia : &, si inspiciatur Comitiorum Polon. Historia, exempla qvoqve justo plura in hanc rem occurrunt.

LXIII.

## *Quæ rerum inde exsurgit facies?*

*Rerum facies inde in Polonia exsurgit miserrima*. Comitia siqvidem admodùm sunt turbulenta : omnia factionibus sunt scissa. Plera-

Pleraqve non rarò vel ad unius hominis ſtrepitum decreta fiunt irrita, idqve maximo cum damno Reipubliæ. Nec enim benè conſtitutæ habentur leges: ut ſecundum majora fiat deciſio. Laborat itaqve Polonia hac in parte hodie: qvemadmodum laboravit olim Roma, qvum Tribuni eſſent conſtituti. Notum ſiqvidem è Romanâ hoc eſt Hiſtoria: qvæ ac qvanta diſſidia Senatum inter & Tribunos plebis extiterint. Etenim, ſi Tribunus plebis intercederet, omne Senatusconſultum fiebat irritum.

## LXIV.

## *Qvæ Comitiorum tamen ratio in Polonia, & qvomodo ea ſe habent?*

Planè alia olim Comitiorum in Polonia fuit facies. *Habebat enim Rex plures è Proceribus Conſiliarios, qvibuscum de rebus magni ponderis deliberabat.* Qvi cum omnes, tum propter alias functiones publicas, tum propter curam rei familiaris, ſemper ad latus Principis eſſe non poſſent, certa præſcribebatur à Rege dies, locusqve certus, ad qvem ſinguli venirent, deqve negotiis Regni conſultarent, decernebatur. Poſteà verò, qvum Anno 1386. magis atqve magis Nobilium creſceret autoritas, *omnis ad Comitia Nobilitas admiſſa fuit.* Qvia tamen impoſſibile erat, omnes Nobiles vacare Comitiis, inſtitui cœpêre in ſingulis Satrapiis *Conventus particulares:* qvibus,

qvos dixi, *terrestres Nuncii*, s. Legati eligerentur. Atqve in his Conventibus, qvi sex septimanis *generalia* antecedunt *Comitia*, consultari hodie de rebus solet: qvæ in Comitiis à Nunciis proponi debent. Post illos conventus demum *Comitia generalia*, qvæ à Rege indicuntur, initium sibi sumunt.

LXV.

*Qvomodo tu mihi jamjam Comitia Polon. dividis?*

Divido ea in *universalia* s. *generalia*, qvæ & Comitia Regni dicuntur, inqve *particularia*, KOLO Polonis dicta.

LXVI.

*Qvid Comitia in Polonia sunt universalia?*

*Universalia Comitia* in Polon. Conventus sunt *Regis*, *Senatorum* ac *Nunciorum terrestrium*, ad consultandū de rebus majoribus instituti.

LXVII.

*Qvid Comitia ibidem sunt particularia?*

*Particularia* in Polonia *Comitia* conventus sunt *Nobilium*, in singulis Satrapiis paulò ante Comitia generalia ad consultandum de rebus, qvæ in Comitis à Legatis ad id electis proponi debeant, instituti.

LXVIII.

*Comitia illa universalia qvando solent institui?*

*Qvo-*

*Qvotannis* olim *instituta*: *dein* in Comitiis ſub electione Sigismundi III. decretum: ut *qvolibet biennio* Comitia generalia haberentur. Rex tamen Sigismundus, non expectatô illô biennio, *Conventus generales* ante tempus præſcriptum, teſte *Piaſecio*, celelebravit.

## LXIX.

## *Qvamdiu durant?*

Simplicioribus olim ac melioribus Seculis *bidui* vel *tridui ſpatiô* peragebantur: Augeſcentibus dein judiciis& rebus agendis in longius protracta ſunt tempus: ut tempore Stephani Regis VI. *hebdomadas duraverint*. Atqve hoc intervallum temporis lege definitum habetur.

## LXX.

## *Ubi aguntur?*

*Locus Comitiis generalibus certus olim erat nullus*: ſed, ubi Principi collibuerat,etiam ſub tentoriis agebantur. Poſteà *Petricovia*, oppidum in meditullio Pol. ſitum,lege eſt definita. Qvum verò Lithuanii longo itinere ad illaComitia opus haberent, in illorum gatiam, VVARSAVIA Comitiis generalibus celebrandis lege definiri cœpit: niſi tamen prægnans qviſpiam obſtet caſus.

## LXXI.

## *Qvæ in illis negotiis decernuntur?*

Decernuntur in Comitiis Generalibus *negotia* nonniſi *graviora*: qvæ pleraq; circa leges Regni

Regni, circa bella & fœdera, circa tributa & vectigalia occupata.

LXXII.

*Qvinam ordinaria Comitiorum sunt Membra?*

Sunt *Senatores*, & locô Nobilium omnium *terrestres Nuncii.* Beneficii tamen locô *Dantiscum* qvoqve, *Cracovia* & *Vilna* Anno 1632. accepêre: ut veniant hodie ad Comitia, ac suffragia habeant.

LXXIII.

*Senatorum nomine ac ordine qvinam heic comprehenduntur?*

Comprehenduntur hoc nomine ac ordine (1) omnes *Archi-Episcopi* & *Episcopi*: (2) omnes *Palatini*, die Waywoden. Nam qvando aliqvis est Palatinus, hoc ipso qvoqve *Senator* est *Regni*. Palatinus proinde qvilibet Princeps est creatus, *primarius in Ordine Secularium Senator*, atqve Dux exercitus sui Palatinatus. (3) Omnes *Castellani Majores*: qvi vel propterea *Majores* dicuntur, qvòd cum reliqvis Senatoribus ad secretissima admittantur Consilia. (4) Omnes *Officiales Regni*. Illos puta: qvi *cum prædictis Senatoribus iisdem prærogativis utuntur*. Sunt enim & nonnulli Officiales Regni: qvi extra Senatorium sunt Ordinem.

LXXIV.

*Qvot horum jam patent ordines?*

*Duo*

*Duo* Senatorum patent *ordines:* Alter *Ecclesiasticorum*, alter *Secularium* est ordo. *Ordine* nempe *Ecclesiastico* comprehenduutur (1) *duo* illi, qvi hodie in Polonia numerantur, *Archi-Episcopi*, Gnesnensis & Leopoliensis: (2) *XV. Episcopi. In Ordine* verò *Seculari Palatini illi, Castellani Maj.* & *Officiales Regni*, qvi *Senatorii* sunt *Ordinis, habentur.*

LXXV.

### *Conjunctim sumpti qvot numerantur?*

*Senatorum Regni*, qvi Regi adjunguntur, tam è *Seculari*, qvàm *Ecclesiastico Ordine numerantur CL.* Antiqvo numero tres addidit Uladislaus.

LXXVI.

### *Qvam totidem Senatores in Comitiis Regni habent potestatem?*

*Potestatem* habent *præconsultandi:* imò & *de rebus minoribus consultandi* potestatem habent: minimè autem *potestatem decidendi*. Hæc namqve est penes Nuncios *Nobilitatis:* utpote qvæ in Comitiis per *terrestres* suos *Nuncios* agit. *Nobilitatis* autem nomine omnes eos heic intelligo: qvi in numerum Nobilitatis sunt assumpti.

LXXVII.

### *In ipse hoc Ordine Senatorio qvis PRIMAS REGNI?*

*Primas Regni, Legatus natus*, ac *primus Princeps ARCHI-EPISCOPUS* est *Gnesnensis*.

Hic

Hic ſcil. non ſolùm jurisdictionem in univerſum in Regno Clerum habet: verum etiam primum in Ordine Senatoriô locum tenet. Imò ſummâ in Conſiliis autoritate pollet. Interregni verò tempore DD. Senatores Regni ad conſultandum de rebus, ad Rempubl. ſpectantibus, convocat: legationes externas audit, diemqve & locum electioni novi Regis indicit: eundem electum nominat, & promulgat ac poſtea in ſolemnibus Coronationis Comitiis, Cracoviæ celebrari ſolitis, diademate capiti impoſito inaugurat.

LXXVIII.

*Inter ſeculares verò Senatores qvis cæteros omnes præcedit?*

*Omnes Secularis Ordinis Senatores*, ſingulari qvodam Privilegiô *CASTELLANUS præcedit Cracovienſis.*

LXXIX.

*Rebus itaqve Polonicis ſic ſe, nec aliter, habentibus, qvot qvæſo Membra Regnum Poloniæ conſtituunt atq; regunt?*

*Regnum Poloniæ tria conſtituunt reguntq; Membra: REX* nimirum, *SENATUS & NOBILITAS. REX* non abſolutus aut hæreditarius, ſed electitius eſt: hic leges in Comitis latas plerumqve exeqvitur. *SENATUS*, è præcipuâ Nobilitate electus, leges Patrias conſervat. *NOBILITAS* deniqve reliqva in qvavis Provincia *Nun-*

*Nuncium* suum *terrestrem* eligit. Absqve Nunciorum igitur terrestrium atqve Senatus consensu bellum nullū suscipitur; nec fœdus percutitur: absqve his neqve indicuntur tributa, aut ullum magni momenti & ad Rempubl. spectans negotium peragitur.

LXXX.

## *Qvos jam genuinos in Poloniâ Cives esse censes?*

*Soli Nobiles ibi sunt genuini Cives, & ad Reipubl. gubernacula admoventur.* Cæteri sunt merè subditi: nisi qvòd oppidani meliori fruantur conditione, qvam agrestes. Sua enim privilegia habent. Trahunt autem oppidani magnâ ex parte à Germanis suam originem: indeq; & suis gaudent privilegiis. *Rustici* interim non multum à servis in Polonia differunt: qvos *Cmetones* appellant. Melior tamen horum conditio est, qvàm hortulanorum. Utrosq; *Chloppi* vocant: qvam ut appellationē probrosissimam non fert Nobilitas.

LXXXI.

## *Qvam Reipubl. Formam è dictis mihi elicis?*

*Qvondam*, verba CROMERI sunt, *liber fuit Dominatus Principis, & nullis propemodum legibus adstrictus: imo infinitam non solùm omnium rerum, sed vitæ necisq; potestatem habuerunt.* Post susceptam verò Religionem Christianam restringi illa cœpit: ut hodie angustis finibus circumscripta sit: usq; adeò, ut pleriq; Scri-

Scriptores Polonici Polonorum Rempubl. à veteri Lacedæmonum, vel hujus temporis Venetorum Regiminis formâ, non differre plurimum ſtatuant. Sed contrarium fere eleganter contra *CONRINGIUM in Differt. de Reipubl. Polon. Scopo MARINIUS* demonſtrat, *Patriæ ſtatum* rectiùs *Ariſtocraticè mixtum* ſtatuens. Etenim Rex in nonnullis revera Majeſtatem Regiam obtinet: dum poteſtatem omnes Magiſtratus, etiam Eccleſiaſticos, qvi deinde à Pontifice confirmantur, eligendi habet: dum pro libitu Palatinos, Caſtellanos, Mareſchallos, & militiæ Duces creat: qvamqvam & utraqve hæc Regis poteſtas, illa qvidem ad *Genus*, hæc verò ad *Gentem* reſtricta habeatur. Neceſſe ſiqvidem eſt: ut, qvos Epiſcopos Rex creare vult, nobili Genere ſint nati. Nec & Rex peregrino alicui Palatinatum conferre poteſt. Ita ſcil. inter Regem Ludovicum & Regni Ordines conventum, idqve Anno 1430. in Comitiis Jedlinenſibus repetitum. Qvicqvid ſit, inconcuſſa tamen hæc ſtat ſententia, qvâ *Forma Reipubl. Polonicæ Regia, eaq́; Ariſtocraticè mixta, eſſe* creditur ac ſtatuitur: ut ſic in Poloniâ *Monarchia Ariſtocratiâ*, ſed *inæqvaliter*, *temperata* obtineat. Longè plura ſiqvidem majeſtatica jura penes *Optimates* (nempe *Nobiles*) ſunt, qvàm penes *Regem*.

## LXXXII.

### *Qvem & Reipublicæ Scopum heic ponis?*

ὁ πά-

ὁ πάνυ CONRINGIUS *de Scopo Reipubl. Polon.* sic differit: *Respubl. in duplici est differentia. In aliis enim commodum Populi qværitur, in aliis commodum Dominantium. In Polonia qværitur non Dominantium, sed Populi commodum. Per Populum autem intelligo Nobilitatem Polonicam: hujus maximè qværuntur commoda: hujus sola habetur ratio. Nam ad dignitates soli Nobiles admoventur. Hoc verò commodum non videtur perinde collocatum esse in vera felicitate. Nec enim vera felicitas qværitur, sed vita luxuriosa. Nam Poloni non student dilatandis suis Regionibus, sed satis ipsis est, si sua defendant ac conservent: qvum tamen eorum Majores studuerint maximè amplificandis regionibus. Hodierni verò de alienis occupandis nullatenus sunt soliciti. Incredibile est: qvantum intra 100. annos mutata Respubl. illa. Qvum enim anteà fuerint frugales, jam sunt luxuriosi, & videntur omnia ad hoc esse composita: ut Populus modò possit luxuriosè vivere. Jam verò in luxuria non consistit beatitudo civilis, sed in omnium rerum sufficientiâ, cum virtute conjunctâ.* Huc usqve Decus, siqvis alius, Germaniæ nostræ, *Herm. Conringius:* qvi ipse tamen adversarium satis acrem hac in re *Fr. Marinium* est nactus. De *Scopo* videlicet *Rei Polonorum publicæ* Scriptô publico dlsputari cœptum, *Fr. Marinio* graviter accusante *Hermannum Conring.* *qvòd se antehac præsente in Collegio qvôdam privatô Auditoribus suis proponere non dubitârit:* SCOPUM REIPUBL. PO-

*POLON. HODIE VITAM ESSE LUXURIOSAM.* Id ipſum autem ſicut ille omni modô proqve viribus à Patriâ alienum conatus demonſtrare, totam univerſi ſtatus in eâ rationem deſcribens: ita *Conringium* viciſſim in multis acrem valde Antimachum eſt expertus; ut tacuiſſe forſitan fuiſſet ſatius, niſi ſilentium pro Patriâ inhoneſtum duxiſſet. Sic igitur *Amor Patriæ* eſt, qvô ductus ſuperſedere noluit *Marinius*: qvo minùs adverſus *Conringium* in *Diſſertat. de Reipubl. Polon. Scopô* per ἀνακεφαλαίωσιν tandem c. XIV. oſtenderet: *Scopum Poloniæ intendi & eſſe COMMUNEM OMNIUM CIVIUM ÆQVALITATEM & SALUTEM.*

## LXXXIII.

### *Qvæ tibi RATIO STATUS obtinere in Polon. videtur?*

Non facilè heic dici poteſt: qvâ *Ratione Status* Polonica gubernetur Reſpubl. qvum in Comitiis pleraqve tumultuosè & per factiones turbari, ipſaq; decreta ferrô non rarò reſcindi ſoleant. Unde & non rarò contingit: ut Polonia apertum, non atrociſſimorum tantummodò bellorum, verùm etiam funeſtiſſimarum turbarum Theatrum non ſine ingenti totius Chriſtani Orbis periculo æqvè ac damno exiſtat. Extitit tale Theatrum ſuperioribus annis: niſi qvod deinceps paulò melior rerum facies appareret. Etenim poſteaqvam nova, poſt multa tandem diſſidia partium ſopita, confœderatio cum novello Rege pro defendenda ab omni-

omnibus turbis ac factionibus internis VVarsaviæ in Kolo decerni, ipsaqve juramento à Regni Senatoribus firmari cœpisset, hæ *Juramenti Notula* præscripta in *Novellis* legebatur: Ich N. N. schwere zu dem allmächtigen und dreyeinigen GOtt / ohn einigen geheimten Vorbehalt in meinem Hertzen und Gemüth: daß ich für die Religion und Wolfarth deß Vaterlandes / für die Dignität und Ehre deß Durchlauchtigsten Königes Michaels ( welcher durch freye Wahl-Stimmen erkohren worden ) für die Rechte und Freyheit / so in Rechten gegründet / und für die Adl. Prærogativ, mein Blut vergiessen / ja das Leben lassen / und mit einem Hauffen sampt andern meinen Brüdern auff der Wahl-Statt erliegen wil. Auch wil ich diese ietzige Compagnie nicht verlassen / noch mich von dem allgemeinen Hauffen der andern absondern / ehe und bevor / so von innen als aussen / das Vaterland in ruhigen Stand wird gesetzet seyn. Keine böse Practiqven wil ich hingegen / auch keinen andern den außdrücklichen Gesetzen / und meinem gethanen Eyd zu wider / zum Könige auffwerffen helffen: mit den Malcontenten / so mit der Frantzösischen Faction verwickelt seyn / wil ich nichts zuschaffen haben. Und da ich dergleichen von iemand vernehmen solte / daß er sich solcher Händel theilhafftig gemacht / wil ich denselben offentlich kund thun / und zwar solches nicht auß Haß oder Feindschafft / sondern bloß

auß

auß Liebe gegen dem gemeinen Besten. Solte iemand wider das Vaterland / meinen König und Herrn / und wider die allgemeine Freyheit / was böses vorhaben: so wil ich denselben für den allergrausamsten Feind des Vaterlandes achten. So wahr mir Gott helffe / und seines Sohnes unschuldiges Leiden! Digna me-Christe *Notula*, qvæ Annalibus inseratur: qvam &, qvia tot pondera rerum, qvot verba in se continet, in nostrâ potiùs Vernaculâ huc trahere, ac Latinè repetere volupe fuit: ut ab omnibus sæpè legi ac intelligi posset. Qvicqvid sit, clarè interim hoc liqvet: *maximam Reipubl.*Polon. *curam hodie esse: ut avita Membris libertas*, Regi *verò* Piasto *autoritas sua asseratur: nec tamen herile huic, sed civile relinqvatur imperium.* Pertinet & tanqvam certissimum tantorum malorum remedium ad *Status* Polonici Rationem: ut (1) *antiqvæ Regni Leges, sublatis gravissimis, qvi irrepserunt, abusibus, in usum revocentur:* (2) *libertas conscientiarum ac Religionum denuò stabiliatur, neq; tanta Clero, præcipuè, Jesuitis, potentia relinqvatur:* (3) *ne porrò Successor, vivo adhuc Rege, eligatur.* Nec minus etiam ad *Rationem Status* hoc in Polon. pertinet: *ut Cosaicos, qvos injuriis potius qvàm beneficiis affecere, sibi* Poloni *reconcilient:* qvum contra Turcas firmissimo illis esse possint præsidio. E R*atione* deniqve *Polonici Status* est: *magnum Maris Balthici*, qvod multis in Poloniam hostibus aditum præbere potest, *curam habere, atq; Dantiscum*, *tan-*

*tanqvam validum propugnaculum, inconcussum ac inturbatum relinqvere.*

## LXXXIV.

## *Anne & Regi Polon. hodie aliqva superest Prætensio?*

*Nullam amplius Rex Polon. hodie qvidem Prætensionem habet.* Etiamsi enim *in Livoniam* olim pariterqve *in Sveciam* (in illam nempe) *jure ultroneæ successionis*, in hanc verò *jure hæreditariæ successionis*) prætenderat: sopitas tamen Prætensiones atrocissimis bellis, novimus. Horum certè si non caussa, prætextus tamen & initium inanis Titulus erat: qvem Poloni in Regnum Sveciæ à Sigismundi temporibus usurpaverant. Renunciavit verò Rex Polon. jus in Svediæ Regnum illiusqve annexa: vestigia tamen Prætensionum earundem reliqvit: qvæ si qvis nosse cupiat, *Sprengerum in Prætens. illustr. p. 173* adeat, eundemq; consulat.

## LXXXV.

## *Qvos ille habet Reditus, & unde?*

*Majores* olim *Reditus* Regi Poloniæ fuisse, qvàm *nunc*, *CROMERUS* & *NEUGEBAUERUS* observant. *Sola* hodie *mineralia ac salis fodinæ supersunt Regi: qvæ illi maximos faciant Reditus. Faciunt & Reditus tributa ac vectigalia, mercatorum mercibus imposita.* Æstimant autem nonnulli Regni Polon.

 Redi-

Reditus ad 600000. Coronatorum Italicorum. Qvod si tamen aliqva emergat necessitas, nova in Comitiis solemnioribus indici solent tributa: augentur cerevisiæ aliarumqve rerum vectigalia: subsidium ab Ordine Ecclesiastico petitur: mercatores privati ditiores pro dominiorum conductione certam pendunt pecuniam. Ne dicam: qvod & portoria Judæis pro annuâ summâ elocentur, ipsorumqve mercaturæ sumptuosissima concedantur privilegia.

## LXXXVI.

### *Unde verò Regni Cives suas opes habent ac divitias?*

Exploratum est: qvòd *Poloni è frumento, siligine, hordeo, melle, cineribus, lignis, leguminibus, limo, corio, bobus, pellibus, navium malis, cerevisia, eqvis, martibus, pellibus zobellinis, panno, serico, tapetibus, unionibus, piscibus, feris, stanno, chalybe, tum aliis, qvæ exportantur & importantur, incredibilem opum vim colligere possint.* Nullus autem in Polonia ob mare alluens mercatu celebrior locus, qvam *Gedanum*, totius Prussiæ & Poloniæ ocellus, & Europæ granarium. Cracovia qvoqve à mercatorum ex Italia, Hungariâ, Germaniaqve ingenti confluxu nobilis est civitas: ut alias mercatu celebres heic taceam urbes.

## LXXXVII.

### *Qvâ in re præcipuæ Polonorum consistunt vires?*

In

*In numeroso hæ ac expeditô eqvitatu consistunt.* Etenim, qvoniam Nobilibus Polonis turpe videtur incedere pedibus, omnes eqvestrem sectantur militiam: ita qvidem, ut multa millia illorum in procinctu ad defendendam Patriam stare possint, si velint. Qvod si verò opus Poloni peditatu habeant, illum non è sua gente, sed ex Germanis & Hungaris conducunt. Sic igitur sola Nobilitas tractat arma, Oppidanis ad mercaturam vel opificia, Rusticis verò ad stivam relegatis.

## LXXXVIII.

## *POSPOLITE RUSZENIE qvid rei apud Polonos?*

Ita *Generalem Nobilium Expeditionem*, das allgemeine Auffgebot deß Adels / vocant Poloni: *qvam propriis illi impensis, omnibus cæteroqvin exempti oneribus, è legibus Regni, necessitate nimirum urgente, cum Rege facere tenentur.* Numerus conscriptorum horum omnium Nobilium cum eqvitibus est ultra 200000.

## LXXXIX.

## *Qvæ vera qvondam ratio Expeditionis hujus?*

Olim, qvàm fieret hæc Expeditio, lustrum Provinciale prius agi solebat. Prodibant autem ad lustrum Nobiles, lege, pœnâ, amore Patriæ impulsi, qvantum facultas ac suppellex domestica permittebat, armis, eqvis ac comitatu in-

instructi: nomina provincialium, qvos habebat, Palatinus qvisqve in tabulas referebat: qvi verò aberant, infamiæ pœnâ publicè afficiebantur. Ita scil. necessarium videbatur: ut Nobiles lustrum officii commonefaceret: qvatenus arma non negligentiùs tractarent, & parati lustro non imperatos sese fortuitis belli casibus sisterent. Finitis itaqve lustris, singuli tunc Nobiles, si hostis Rempubl. lacesseret, prout facultates permittebant, ternos sexenosqve eqvites in castra deducebant, proprio militaturi ære. Ne verò pro lubitu Rex, qvi convocabat Nobiles, Nobilitatis obseqviô abuteretur, post Sigismundi Augusti excessum in Comitiis VVarsaviensibus constitutum: ut Rex absqve consensu omnium Ordinum generalem Nobilitatis evocationem non indiceret. Sæpe hinc factum, ut 100000. Nobilium sine stipendiis militarent: nec tamen extra Regni fines ultra qvinqve milliaria educi poterant: nisi qvòd Uladislai tempore in Comitiis Jedlinensibus statutum: ut cuivis hastato eqviti V. Marcæ in stipendium numerarentur. Atqve Exercitui huic qvum Rex ipse præesset, ipseq; Patriæ fines cum eqvitatu suo defenderet, eodem militiæ genere Poloni sæpius vicerunt. Fugarunt enim non rarò Germanos, deleverunt Cruciferos, represserunt Russos, metum incusserunt Turcis, Tartarorum deniqve coërcuerunt rapinas.

## XC.

### *Anne rectè semper Reipubl. iisdem expeditionibus consulebatur?*

*Qvoniam ejusmodi generales expeditiones lentiores erant, hinc parum utiles.* Ter enim Nobilitas prius convocari debebat intra trium mensium spatium, dimissis qvoqvo versus per ministros publicos literis, signô Regiô munitis: qvæ, restibus perticæ oblongæ alligatæ, ex eo *RESTES* dicebantur. Confluebant dein ad locum, exercitui colligendo destinatum, lentè singuli, & inviti qvoqve. Luculenter id apparuit Anno 1621. qvum Sigismundus II. ad bellum Chocimense Nobilitatem evocasset. Hæc si in tempore venisset: qvis non credidisset, res magnas peracturam? At tardè omnes è Palatinatibus suis veniebant: & interim elabebatur occasio: qvæ qvantum, ut in aliis caussis, ita in bellis maximè rerum agendarum momentum esse soleat, nos qvidem in *CÆROLOGIA* suâ, h. e. *militari ac Politico de opportunitatis occasione, occasioni status præsentis accommodato, Discursu, Jac. Lebleu* perqvam egregiè edocet. Erant & insuper expeditiones illæ incolis Regni admodum damnosæ. Nam multum pecuniæ illis impendere cogebantur Nobiles: qvodqve maximum erat, laborabant exercitus magnitudine: qvæ Pompejo olim victoriam, referente *FLORO L. 4. c. 2.* perdiderat, & Darium qvoqve, juxta

*Curtium L. 3.* Regnô exuerat. Invadunt namqve numerosum exercitum fames plerumqve & pestis: ne de aliis incommodis, qvæ numerosus secum fert exercitus, dicam. Sic jam omninò patet: *qvàm parum consultum Reipubl. Polonicæ fuerit istiusmodi expeditiones instituere: eò qvòd scil. lentæ, qvòd damnosæ, nec minus etiam ipsi Regi periculosæ illæ essent.* Etenim qvum Nobiles sub signo tardè, iiqve tamen satis muniti armatiqve confluerent, facilè adversus Regem tumultus excitare ipsi poterant.

## XCI.

### *Talia igitur & alia expeditionum generalium incommoda videns, qvis Regum primus mercenario uti cœpit milite?*

*Fecit hoc primus Jagello, & eqvite, & pedite mercenariô,* svadente Aulæ Præfecto, aliis tamen adversantibus, *usus.* Stipendium verò ipse militi trimestre, idqve perexiguum, statuit. Eqviti namqve decem saltem qvatuor Floreni numerati. Secuti hunc sunt Reges alii. Sic enim deinde Sigismundus Augustus ex urbana ac oppidana plebe delectum fecit, ac qvindecim millia peditum coëgit: qvibus stipendia per Præfectos numerari curavit. Stephanus verò Rex in bello contra Moscos Germanum adhibuit eqvitem ac pedites Hungaros.

XCII.

XCII.

*Sublatæne ſic penitus generales illæ Nobilitatis ſunt expeditiones?*

Certè qvamvis Reſpubl. Polon. mercenario jamdudum uti cœperit milite: *neutiqvam tamen generales illas Nobilitatis expeditiones penitus ſublatas vult eſſe.* Qvin potius hodieqve, ſi hoſtis ſit ita potens, ut milite mercenariô eiſdem reſiſti neqveat, Nobilitas convocari ſolet: qvod Anno 1621. in bello Chocimenſi, & deinceps aliqvoties, neceſſitate id æqvè ac ſalute Reipubl. exigente, factum.

XCIII.

*In conductitio verò illo ſ. mercenario Milite qvinam ſunt QVARTIANI?*

*Haſtati eqvites* ſunt, *contra Tartarorum irruptiones à Stephano Rege inſtituti.* Freqventes nimirum Tartarorum rapinæ moverant ipſum: *ut duo millia haſtatorum eqvitum in finibus Podoliæ collocaret: qvi Tartaricas invaſiones repellerent.*

XCIV.

*Unde ſic dici meruêre?*

*A qvarta parte cenſuum FiſciRegii* nomen acceperunt Qvartiani: qvam in perpetuum ſtipendium ipſis Rex Stephanus in Comitiis Warſav. A. 1562. ut fideliorem Reipubl. navarent operam, aſſignaverat, inqve caſtro Ravenſi deponi juſſerat, in hujusmodi præſidia erogandam.

XCV.

*Qvi HUSSARI Polonis?*

*Sunt & ipsi hastati milites, eqvitibus cataphractis contradistincti:* de qvibus jamdudum *Fredro c. VI. Fragm. Polit.* disputare cœpit: *an miles hastatus eqviti cataphracto aut ferentario præstet, armaq; , qvæ cominus feriunt, an præstent illis, qvæ eminus?* Ab *hastis* igitur qvi Latinis *hastati*, Polonis voce Illyricâ *Hussari* dicuntur.

XCVI.

*COSACCI si nominentur in conductitio Polon. milite, qvinam sunt?*

Non sunt gens aliqva propriis terrarum terminis, vel Reipubl. statu proprio, consistens; sed tantum *species una è genere militiæ Polon.* tanqvam *militia celerum s. velitum s. levis armaturæ.* Suntqve omnes è provinciis Polon. oriundi, & illi, qvi Societatem Zaporohianam repræsentant, maximè è Provinciis Polon. Russicis, vicinioribus Chersoneso Tauricæ, prodeunt.

XCVII.

*Qvis primus eos conduxit?*

Idem *Stephanus*, ut securitati Regni optimè consuleret, *conduxit Cosaccos*, ipsisqve castrum Techtimiroco cum territorio, ad ripas Borysthenis situm, viginti infra Kioviam milliaribus dedit: ut sedem ibi certam ac bellicorum apparatuum receptaculum haberent, sensimq; civilem discerent colere vitam. Dedit & illis potestatem eligendi ducem, qvem vellent: sed ita

ita ut confirmaret Rex Poloniæ. Scripta hinc illorum ſex millia ſunt in militiam, qvibus, perpetuò excubias ad Boryſthenis ripas acturis, atqve Tartarorum latrocinia inhibituris, ſolveret ſtipendia.

XCVIII.

*Qvi aliàs communi hoc veniunt nomine?*

Communi COSACCORUM, der Koſacken/ nomine vocantur illi *homines: qvi*, qvum in vaſtis & Tarcarum Turtarorumqve vicinis campis, ad ſolem indurati, habitent, perpetuoqve in armis, tam pedites, qvàm eqvites, verſentur, *ad vicina qvæq; loca incurſionibus divexanda privatô inſtitutô voluntariâq; militiâ coëunt, numerô ac viribus plurimùm ferè valentes.*

XCIX.

*Qvamdiu hæc hominum colluvies in campis iſtis, qvos dixiſti, ſe continere cœpit?*

Continere ſe COSACCI in vaſtis illis ditioniqve Turcarum Tartarorumqve vicinis campis *jam ab aliqvot ſeculis* cœpere: cumprimis verò *intra ducentos hos annos* Orbi Europæo innotuerunt.

C.

*Unde eadem hominum colluvies ortum ſibi trahit?*

Trahit ortum ſuum, *non è Nobilibus, ſed è variæ gentis plebe.* Eſt enim qvædam hominum par-

partim Polonorum, partim vicinarum gentium, ex parte etiam Tartarorum, Turcarum, aliorumq; colluvies: qvæ servos suos plurimos, gloriæ & prædæ tam sibi qvàm hæris suis acqvirendæ caussâ, in vastissimos illos campos excursuros alit.

CI.

*Unde hodieq; vivit?*

*Cosaccorum natio*, qvæ ita in unam coaluit gentem, *ex præda maximè vivit*: qvoniam aliud non habet, unde vivat. Cumprimis verò prædam sectari, & accipere ex Tartarorum ac Turcarum regione Cosacci solent. Scaphis enim in pontum Euxinum delati, non dubitant præ Constantinopolitanorum foribus prædari: nec unqvam Tartari, Turcæ, aut Poloni in ordinem eos potuêre redigere.

CII.

*Unde nomen habet?*

A *prædando* Cosaccorum natio juxta nonnullos nomen habet. *Kazac* enim, à qva voce Cosacci dicti, Tartaris prædo est: qvod genus hominum in Hungar. Croatinis ac Dalmaticis finibus *Molachorum*; in Pyrenæis montibus *Bandolerorum*; in Italicis viis *Banditorum*, i.e. præscriptorum nomine venit. Sunt &, qvi cum Piasecio nomen hoc derivent à voce Polon. *Kozá*, i. e. capra; Adduntqve rationem hanc: qvia instar caprarum cursu velocissimo ad omnia agilles currant; vel qvod caprinis pellibus contra injurias aëris tegantur. *Herbinius* tamen *c.2.L. de Crypt. Kijoviens.* verisimiliorem de-

derivationem putat esse; qvâ Cosacci à Slavonico nomine Kossá, i.e. falx, dici putantur. Unde *Kossak* falcifer: qvo nomine prisci Borysthenidæ appellati.

CIII.

*Qvô alio olim Cosacci veniebant nomine?*

Qvum Stephani Regis tempore Cosaccorum ad 40000. essent, illi qvoq; ab Insulis Borysthenis *Saporahi à decurrentium fluctuum gradibus*, qv. ultra gradus dictis, *Saporohiani*, aut *Saporovіani*, i.e. *Insulares*, dicebantur: *qvod in illis habitarent Insulis.*

CIV.

*Qvousq; in fide Polonis permanserunt?*

*Permanserunt in fide, ac Reipubl. Polon. levi stipendio, at summo cum fructu, militarunt usq; ad Uladislai IV. tempora:* donec Anno 1638. adversus Rempubl. tumultuari cœperunt.

CV.

*Qvæ istius tumultuationis caussæ?*

*Caussæ erant variæ*, interqve has prima *erectio propugnaculi Hudak:* qvod ad ripas Borysthenis commodo locô ad coërcendam Cosaccorum licentiam publico sumptu posuerat *Koniecpolscius:* reverà tamen, ut Nobiles Poloni securitati ac possessionibus suis fundisqve, qvos emptione alii plurimi, interq; eos Koniecpolscius liberalitate Regis admodum amplos, frendentibus licet ac ægrè ferentibus Cosaccis, sibi acqvisiverat, consulerent. *Alteram* defectionis

nis Cosaccorum *caussam injuriæ* absolvunt: qvæ à præfectis Regiis qvotidie illis inferebantur. Reddebant & exulceratos Cosaccorum animos *intolerandæ Judæorum rapinæ*. Locaverant enim nobiles pleriqve fundos Judæis, insatiabili avaritiá augendis possessionum censibus assvetis. Accedebat: *qvod, adempto illis à Rege coqvendi cerevisiam ac spiritum vini jure, inq; Judæos translato Cosacci admodum carè à Judæis spiritum vini*, potum illi genti nectare svaviorem, *emere cogerentur*. *Maxima caussa* erat: *qvod perniciosis Jesuitarum consilis*, qvum Cosacci Græcæ Religioni essent addicti, perinde ut omnes Russi, *omnia illorum clauderentur templa, perq; vim sacra Romanensia inducerentur*. Hoc indignis modis Cosacci ferebant: nec enim Religionem per vim propagatam ferre nôrant: qvum aliis Christus mediis religionem propagari jussisset. *Ultima* deniqve *caussa* erat: *qvod Rex juberet exauctorare omnem Cosaccicum militem*: qvum eorum vires nimium crescere crederet. Non erat prudens hoc consilium, *uno impetu velle in ordinem redigere omnes armatos, unoq; impetu militem potentem velle exauctorare*: qvum sensim hoc fuisset agendum. Qvid ergo mirum, qvod arreptis armis insurrexerunt adversus Polonos Cosacci? Præprimis ubi & infelici Reipubl. Polon. fato hoc accidit: ut Bogdan Chmielnicky, qvum satis diu præfectorum insolentiam perpessus, atrocem injuriam (temeraverant enim uxorem ejus

&

& filiæ pudicitiam) perferre non amplius posset, Cosaccos aliàs rebellionis avidos ad seditionem facilè traheret. Natum hinc ferale, nec minus crudele bellum: cujus Historiam accuratè *JOACH. PASTORIUS* descripsit.

CVI.

*An unqvam post hæc ad officium redire meminêre Cosacci?*

*Non redire meminerunt huc usq; ad suum*, qvod, levi stipendio conducti, satis diu præstiterant Polonis, *officium:* qvin potius valedixerunt Poloniæ, nec & dubitarunt pleriqve illorum in verba jurare M. Ducis Moscoviæ: qvippe cum qvo ejusdem erant Religionis. Proin Cosaccos olim milites non solùm fidos, sed fortes qvoqve, nunc hostes Poloni habent, aut parum finceros amicos: neqve ulla spes superest, fore, ut ad pristinam redigantur obedientiam. Hi scil sunt irritatæ plebis fructus: qvi è Jesuitarum ineptis consiliis maximè ortum sibi sumserant: ut sic omninò appareat, qvàm imprudenter Poloni ac insolenter se erga illam gentem gesserint, qvæ hactenus ipsis magno fuerat præsidio.

CVII.

*Hac itaq; spe, fore, ut ad officium redeant Cosacci, decollante, num qvicqvam ad sui defensionem Poloniæ deficit?*

Qvum neutiqvam *Generales* illæ *Nobilium expeditiones* ſint ſublatæ, ſed Nobilitas, ſi neceſſitas & ſalus Reipubl. exigat, convocari poſſit, nihil ſanè Poloniæ ad ſui defenſionem deficit: etiamſi ſpes decollet, unqvam fore, ut Coſacci in Polonorum poteſtatem redeant. Accedit & ipſa *mercenaria* Polonorum *militia*. Hæc, hæc ſcil. qvanqvam ad defenſionem magis, qvàm ad occupationem & expugnationem urbium ſit apta, eò qvòd eqvitatu magnâ ex parte conſtet: ſatis tamen ipſa ad excurrendum in apertis campis, nec non ad hoſtem crebris improviſisqve velitationibus laceſſendum ſufficit.

## CVIII.

### *Sed unde mercenariam ſuam militiam habet Polonia?*

*Partim è domi, partim è foris lectis militibus mercenariam ſuam illa habet militiam.* Qvod verò ad talem attinet militiam, vulgò ea apud omnes populos in uſu eſt: qvi Monarchico ac herili Dominatu reguntur. Ita enim olim ab Impp. Rom. factum: ita hodie apud Hiſpanos, Gallos, Venetos & Turcas aliosqve fit populos: prout Reipubl. ſtatus exigit. Poloni tamen milite tali non ideò utuntur: qvia herili reguntur imperio, qvale nullum agnoſcere volunt: ſed qvòd malint privatas curare res ac otiô indulgere.

## CIX.

### *Ecqvodnam mercenariæ militiæ genus*

*magis semper Poloniæ prodesset? domine, an foris lectum?*

Qvum plurima aliàs incommoda sint militiæ mercenariæ, & qvidem externæ, prout ea satis doctè & novissimè recenset *CONRINGIUS Not. ad Machiavell. Princip. c. XII. melius* sanè *sibi consuleret Respubl. Polon. si militiâ semper uteretur mercenariâ domi lectâ:* qvia hæc minùs periculosa esset: dum Patriæ militat & faciliùs legi potest. Qvin &, stipendiis ægrè procedentibus, facilius in officiô contineri posset. Et sanè, si res inspiciatur, abundè sufficeret miles in Polonia ac robusta juventus, capiendis armis, si exerceretur, idonea. Ideoqve plus actura ex fide illa esset: qvia Patriæ salus & honos præ oculis. Externus verò miles non fide, non amore agit: sed ideo militat, qvia stipendia meret: signa deserit, si ejusdem nationis adventet hostis. Nam transfuga haberi mavult, qvàm nativi sangvinis hostis. Illud tamen silentiô nòn præteriri vult *MARIN. Differt de Scopo Reipubl. Pol. c. IX.* qvòd, qvamvis militia mercenaria domi lecta præferenda sit peregrinæ, illud tamen incommodi qvoq; habeat: ut magis interdum seditionibus laboret: dum omnes ex uno eodemqve populo, ideoqve sibi invicem noti & amici. Hinc aliqvoties nostra tempestate Respubl. Polon. jactari admodum cœpit: qvum miles mercenarius sub prætextu non solutorum stipendiorū magno tumultu nescio qvid machinaretur.

CX.

CX.

*Anne & auxiliares Polonia milites habere in bello solet?*

*Nullos aut paucos auxiliares in bello habet milites, nisi necessitatis casu:* si scil. Salus Reipubl. manus auxiliares exigat. Ita olim Tartari in auxilium vocati: qvibus stipendia Reges Polon. annua solvebant. Stipendii verò locô duo millia vestium, pellibus agninis consutarum, & lanei panni aliqvot Anglici, qvæ pretium decem millium aureorum non excedebant, solvebantur. Hoc stipendium, qvod erat honorarium ac voluntarium, qvum instar tributi exigerent per Legatos Tartari, primus Rex Stephanus negavit, Legatos tamen inviolatos dimisit.

CXI.

*Qvid incommodi semper ab auxiliaribus Tartarorum copiis sensit Polonia?*

Hoc sensit semper ab illis incommodi: *qvòd magis pro prædâ, qvàm victoriâ, certarint, & magnis qvoq; latrociniis plagiisq; sæpe infestârint Poloniam.* Exempla in promptu: & experientia testatur.

CXII.

*Qvi porrò plurimum nostrâ hac ætate damni Polonicæ creare studuerunt Reipublicæ?*

Creare

Creare studuerunt plurimum damni nostra hac ætate, *CONFOEDERATI.* Creavit *Lubomirsky, Supremus Mareschallus ac Campiductor Regni; ditissimus inter Polon. Proceres.* Caussa qvæ innotuit, motuum Lubomirscianorum, potissima ferebatur: *qvòd Rex, qviq; Regiarum erant partium, novi Regis electionem procuratam vellent, illâq; è Gallia aliqvem intenderent; cæteri, qvorum Dux Lubomirsky, huic se operi opponerent.* Motuum verò, qvos Confœderati Regno dederant, caussa *non soluta erant stipendia.* Ob hæc nempe retenta cœperant illi conjungi, totoqve fere biennio tumultuari, tanqvam conjurati hostes pacem à Cosaccis ementes, illasqve aliqvô modô in societatem pertrahentes, imò & Tartaris pecuniam mittentes, ne ipsis, dum patriam infestarent, essent graves.

CXIII.

## *Qvos aliàs vicinos bodie potentes habent, à qvibus sibi maximè metuant Poloni?*

*Vicinos potentes*, à qvibus non immeritò sibi metuunt Poloni, *habent Svecos, Moscovitas, Tartaros & Turcas.* Inter *Svecos* qvidem ac Polonos diu exercitæ fuêre hostilitates: nempe (1) ob *violentam Livoniæ ereptionem:* (2) ob *perpetuam lineæ Sigismundicæ in Regnum Sveciæ prætensionem:* (3) ob *promiscuam Titulorum & Insignium usurpationem.* Atverò, qvoniam hæ controversiæ totidem bellis decisæ,

cisæ, cessat interim publica hostilitas: donec nova litis, nonnisi ferrô dirimendæ, materies è suo qv. cinere exsurgat. Fuerunt & continua ferè ab aliqvot retrò seculis Polonos inter ac Russos ob contiguos æqvè ac ambiguos limites bella. Præsertim omnium inter Polonos ac Russos bellorum pretium *Ducatus Smolensko & Severiæ fuit:* utpote qvos Ducatus suos esse Rusfi asserebant, Poloni verò armis repetebant. Unde diu acri inter duas istas nationes bello certatum: donec feliciter tandem lis initâ pace componeretur. Infestârunt & Præcopenses Tartari sæpiùs Poloniam: imò & hodieqve annuis excursionibus illam deprædantur, vel ut amici, vel ut hostes. Ipsis siqvidem perinde est: qvô titulô invadant Poloniam: qvum semper prædâ, imprimis verò hominum agminibus graves, in Tauricam suam Chersonesum revertantur. Qvicqvid sit: maximè interim potens inter potentes vicinos qvoslibet Turca est: à qvo semper metuat sibi Polonia: præsertim posteaqvam non tantùm jamdiu *VVallachiam, Moldaviam, Transylvaniam;* sed & totam non ita pridem (eheu!) *Cameneciâ*, qvæ urbs, mirâ ratione in arduo saxo posita, sæpe à Turcis ac Tartaris frustrà tentata fuerat, occupatâ, *Podoliam* & *Ukrainam*, claustra Regni, occupavit.

CXIV.

*A totidem admodum potentibus vicinis ut se melius intra ipsa viscera Regni sui defendant Poloni, anne propugnacula habent?*

Qvan-

Qvantum ad *propugnacula*, qvæ præcipuum robur provinciæ alicui conciliant, *nullà sanè Polonis sunt, aut à Naturâ, aut ab Arte*, præter aliqvot privatorum Castella. Qvædám tamen & leviter munita habent loca, ut *arcem Lemburgensem, Cracoviensem, &c.*

CXV.

*Qvæ verò caussæ moventes, ut munimentis urbes suas non cinxerint Poloni?*

*Caussa movens prima* hæc est: *qvòd, eqvo assveti Poloni bellare, ad pedestrem militiam minus apti existant.* Sine hac verò munimenta haut recte subsistunt. *Altera* est: qvòd, qvò rariora Fortalitia in Polonia, *eò securior esse intus ac fortis Respubl. Polonorum semper visa fuerit.* Testatum hoc Bellum nuperius Svecicum facit. Qvò rariora enim Fortalitia, eò minora capiebat in Polonia incrementa hostis: nec sedem firmam figere poterat, crebris Polonorum lacessitus incursionibus. *Tertia caussa* est: *qvòd & ipse Poloniæ miles domesticus, licet pedes sit, munimentis tamen occupandis aut defendendis haut idoneus existat.* At exteris credere munimenta, qvid hoc est aliud, qvàm Patriæ salutem exponere periculo? Sexcenta siqvidem exempla sunt in Historiis: qvibus exterorum fides incerta atqve fluxa reperta fuit.

CXVI.

*Siccine, Poloniæ planè non necessaria esse munimenta, credis?*

Etsi

Etsi certas ob caussas, qvas vidimus, Poloni urbes suas munimentis haut cinxerint: *nec* tamen *credere hoc possum: qvòd ea planè non sint necessaria Poloniæ.* Qvin potius *necessaria* mihi *duas ob rationes* videntur: (1) *qvia Polonia patet rapinis hostium:* qvi excurrere sic possunt, qvaqvà velint. Si autem arx qvædam aut plures commodè erectæ atqve munitæ ad fines Regni essent, aut incursiones hostium prohiberi, aut reditus retardari, prædaqve è manibus excuti facilè posset. Deinde, *qvia exercitus Polonorum, si profligatur, non facilè se colligere potest*: præsertim ubi hostis proseqvatur victoriam. Adeoqve Respubl. Polon. non exiguo tunc exponitur periculo: qvoniam absqve publicis ipsa est munimentis. Vidit hoc malum Sparta olim: qvæ, ex Lycurgi præceptô nullis cincta muris, per multa Secula steterat. Qvum verò ex clade Leuctricaq; fractæ civitatis essent vires, atqve Epaminondas hostili immineret Reipubl. exercitu, tumultuariâ operâ in locis, incursionibus hostium maximè patentibus, murum excitare coacti: à qvô tempore deinceps maluêre mœnibus includi, qvàm hostium exponi ludibrio. Bene itaqve *FREDRO Polit. Fragm. p. 254.* monet: *extruenda in singulis Polon provinciis munimenta esse, sed eâ cautione, ut ne aliis nisi vernaculis præfectis ac cohortibus in custodiam dentur: tum ut sufficientibus præsidiis ac commeatu muniantur, ut eò pignora sua convehat Nobilitas, abitura in castra.*

CXVII.

CXVII.

*Quæ interim tamen Regni Poloniæ claustra esse nosti?*

*Duobus* qvasi *aggeribus* septa munitaqve est Polonia: *Mari* nimirum *Balthicô* & *Dnieper s. Borysthene fluvio.* Illud qvidem *septentrionale*, hic verò *orientale* est *claustrum*. Versus meridiem tamen Polonia *Carpaticis* ab Hungariâ separatur jugis.

CXVIII.

*Qvanta illius est amplitudo?*

*Amplitudo Regni Polonici*, exiguis olim terminis circumscripti, *tanta hodie est:ut* in *longitudine* milliaria German. 200. in *latitudine* vero 115. circiter Milliaria *complectatur.*

CXIX.

*Qvas ambitu suo Terras hodie comprehendit?*

Comprehendit (1) *Poloniam propriè sic dictam*, (2) *Lithuaniam*, (3) *Russiam*, (4) *Masoviam*, (5) *Samogitiæ Ducatum*, & (6) *Prussiam.*

CXX.

*Polonia proprie sic dicta qvomodo dividitur?*

*Dividitur* illa in *majorem* & *minorem*. *Major* ab Occasu Marchiam, à Septentrione Borussiæ partem & Masoviam, à qvibus Vistulâ separatur, ab Ortu Poloniam Minorem habet. A meridie contermina est German. dividiturq;

in

in VII. Palatinatus f. Satrapias, Waywodschafften. *Poloniæ Minoris* Palatinatus sunt tres: habetqve ea famosam & primariam urbem *Cracoviam*: ubi & est celebris Academia.

CXXI.

*Qvomodò verò dividitur Lithuania?*

*Lithuania*, vulgò die Litthau/ in *tres Palatinatus* dividitur: in *VVilnam* nempe, ubi Metropolis est *VVilna*, die Wilde/ habens Academiam; *in Trozen*, inqve *Breßziak*: ubi urbs *Biala*, in qva Ducis Razivilii Palatium.

CXXII.

*Qvantæ hæc est amplitudinis?*

*Longitudo*, juxta *Staravolscium*, 90. Mill. est Germ. à confiniis nempe Palatinatus Lublinensis ad Livon. usqve terminos: *latitudo* 40. & plurium est Milliarium, à finibus Prussiæ ab Occasu ad Albæ Russiæ usqve terminos versus Ortum.

CXXIII.

*Qvando ipsa accesßit Poloniæ?*

*Accesßit ante trecentos propè annos:* qvum Poloni, Piasteâ extinctâ Familiâ, Jagellonem, Magnum Lithuaniæ Ducem, Poloniæ Regem eligerent. Non major sanè unqvam facta est accessio: qvàm ubi æternô fœdere Poloniæ Magnus jungeretur Lithuaniæ Ducatus. Tanta

scil.

ſcil. hæc eſt acceſsio: ut, ſi amplitudinem ſpectes, par univerſæ ſit Poloniæ. Qvanqvam autem, qvamdiu Jagellon. ſuperfuit Familia, non potuerint Reges unqvam in plenariam conjunctionem conſentire (illi namqve ſummam poteſtatem in Lithuania habebant, ipſisqve jura competebant hæreditaria, qvum in Polonia eſſent electitia ac precaria) ultimus tamen iſtius Familiæ, qvi erat *Sigismundus Auguſtus*, qvum videret, deficere ſuam Familiam, in plenam conſenſit conjunctionem, in parem hoc pacto libertatem Lithuanos aſſerens. Factum id ſuperiori demum Seculô: ut nempe tunc in unum Corpus cum Polonia concreſceret, ipſaqve hæc in ingentem magnitudinem excreſceret.

CXXIV.

*Qvæ antecedens ingentis hujus acceſſionis cauſſa?*

Fuit hæc *deficiens Piaſti in Caſimiro M. Anno 1370. poſteritas.* Ita enim Regnum Polon. pervenit ad *Ludovicum* Regem Hung. ſorore Caſimiri genitum: qvô ſine prole extinctô, *Sigismundus*, Marchio Brandeburg. Succeſſor qvidem utriusqve Regni conſtitutus: ſed neſcio qvibus de cauſſis, ad neutrum pervenit. Reliqverat interim *Ludovicus Hungarus* filiam *Hedwigim*: ſed, qvi cum tali ſponſa regno potiretur, diſcrepabant. Utriusqve expectationem tertius procus, inopinatò ſeſe ingerens, Barbarus qvidē & Dæmonū cultor, ſed ingentis potentiæ ac opum, *Jagello, Magnus Lithuaniæ*

*Dux*,

*Dux*, intervertit. Duabus autem conditionibus Hedvvigis conjugio fuit potitus, qvi in Baptismô *Uladislai* nomen acceperat: nempe, ut (1) *Christianam amplecteretur Religionem:* ut (2) *Poloniæ Lithuaniam conjungeret.*

## CXXV.

### *Russia, qvæ Poloniæ accesſit, qvomodo dividitur?*

*CONRINGIUS*, *Scriptores Polon.* ſecutus, *Rußiam hanc*, qvæ ab orâ Pocucenſi ad fines Livoniæ per 200. ferè Milliaria, in latum verò à Polonia Minori aut Lithuania verſus Ortum ad vaſtos Tartarorum campos aut Muſcoviam per 120. Mill. extenditur, atqve, ſi fertilitatem ſpectes, partem Poloniæ propriè ſic dictæ dubiam facit, in *Rubram* dividit & *Albam*. Qvum verò aliæ Rusſiæ hujus terræ, qvæ olim omnes fuerant ſub uno Domino, acceſſerint Regno Poloniæ, aliæ magno Lithuaniæ Ducatui; *Rubram*, qvæ *Roxalina* propriè dicta, cujusqve Caput Leopolis, ſ. Lemburg, Emporium Turcicis clarum mercibus, *ad Poloniam*; *Albam*, ob niveos campos ac feras albas ita dictam, ad *Lithuaniam*, *Nigrâ* illâ *Rußiâ* Moſco relictâ, idem refert *CONRINGIUS*. *A Polonis*, inqvit, *Russiæ illa pars, qvæ pertinet ad Poloniam, dici ſolet RUSSIA RUBRA: qvæ pars verò ad Lithuaniam pertinet, à Polonis dici ſolet RUSSIA ALBA: qvæ denique Moſco paret, Polonis RUSSIA NIGRA ſolet dici.*

CXXVI.

## CXXVI.

### *Russia utraq; qvo jure accessit, illa qvidem Poloniæ, hæc verò Lithuaniæ?*

*Accessit Russia utraq; Rubra qvidem Poloniæ, Alba Lithuaniæ, jure belli.* Fuerunt enim Russi à Polonis ac Lithuanis armis devicti, inqve eandem deinceps libertatem asserti. Hac scil. arte aliàs qvoqve Poloni multum auxerunt suam Rempublicam: ut victos in parem cum reliqvis assererent libertatem: qvemadmodum & Romulus victos populos in eandem cum Romanis circa incunabula Urbis asserebat libertatem. Idem hoc itaqve fecêre Poloni: qvò omnibus Reipubl. suæ commendarent amorem. Utinam verò indivulsa utraqve Russia mansisset! Sic enim florentissimæ fortè adhuc Polonorum res essent: nec illi unqvam eâ parte potentiorem vicinum haberent Moscum. Sed divelli intra aliqvot annos pars *Russiæ Polonicæ* à Mosco cœpit: cœpit & avelli superioribus annis tota *Russia Lithuanica:* qvæ an tota iterum, pace initâ cum Mosco, accesserit Lithuaniæ, non æqvè constat.

## CXXVII.

### *Ubi Masovia est sita?*

*Est in media ferè Polonia sita:* cujus Caput & Regia *VVarschau.* Podlachiæ qvoqve Regio Masoviæ tribuitur: ubi urbs Bielsko.

CXXVIII.

*Ducatus Samogitiæ qvisnam?*

Est *Ducatus ille: qvi inter Livoniam & Prussiam situs.* Sylvis est horridus & melle famosus. Provinciæ Caput est *Rosiene* ad Dabissam fluvium.

CXXIX.

*Qvæ Prussia insuper est, qvam Regni Polonici portionem constituis?*

*Qvam Regni Polonici portionem constituo, Prussia seu Borussia nonnisi est Regalis.* Ita enim in *Ducalem*, qvæ, sui juris hodie, ad Electorem pertinet Brandeburg. inqve *Regalem* qvæ, in tres distincta Satrapias, *Mariæburgensem*, *Culmensem* ac *Varmiensem*, ad Regem Poloniæ spectat, dividitur. Sunt verò in *Culmensi* Satrapiâ urbes præcipuæ *Culma* & *Torunum*: in *Mariæburgensi* sunt *Marienburg.* & *Elbing.* qvæ altera Electori Brandeburg. promissa qvidem; verùm nondum præstita, nec unqvam fortè præstanda. In *Varmiensi* Caput est *Dantiscum*.

CXXX.

*Annon & Silesia portio qvondam Poloniæ fuit?*

*Habita omninò hæc aliqvando fuit à solis Polonis: intra 400. verò annos à reliqvo Corpore Polon. fuit avulsa:* ut hodie potius pars sit Bohemiæ. Nempe, qvum inter VVenceslaum Bohem.

hem. & Uladislaum, cognomine Locticum, graves exarsissent contentiones de Regno Poloniæ, à nonnullis creatus fuit Rex Henr. Dux Glochov. in Silesia. Qvumqve is ad Regnum pervenire non posset, Silesiam saltem à Polon. abalienare conatus fuit. Ita omnes Silesiorum Ducatus, qvorum 17. sese in clientelam Johannis Regis Bohemiæ dediderunt. Nec recipere Poloni Siles. ab eo tempore potuere: qvæ hodieqve Regni Bohemici Provincia censetur.

## CXXXI.
## *Annon & Livonia?*

*Transierat hæc qvoq; in Corpus Reipubl. Polon. Anno 1561. sub Gothardo Ketlero* VVestphalo, ultimo *Ordinis Ensiferorum*, qvem ad Livoniam convertendam ac contra Barbaros defendendam Innocentius III. Anno 1104. instituerat, *Magistro, inq; parem cum Polonis libertatem recepta fuerat.* Pari proinde & eodem tum temporis loco cum Nobilibus Polonis Nobiles Livoni esse cœpêre: urbes verò itidem cum reliqvis Polonicis urbibus eadẽ gaudere tunc cœperunt libertate. Hodie tamen, post illud ferale bellum Svecicum, in qvo magnam partem armis Gustaphi Adolphi occupata erat, desiit esse portio Regni Polonici, cessitqve Svecis.

## CXXXII.
## *Annon & Svecia insuper Poloniæ conjungi cœpit?*

Facta omninò illius est conjunctio, & qvidem Anno 1593. Joh. III. Rege Sveciæ ac Sigismundi patre mortuo : sed mox iterum avulsa. Ortæ enim inter Svecos ac Polonos controversiæ : qvibus occasionem dederant Jesuitæ, sese contra juramentum, à Sigismundo præstitum, in Sveciam prætextu Religionis Romano-Cathol. ingerentes. Accesserunt irritamenta alia. Pravô qvippe consiliô seductus Sigismundus peregrinos Sveciæ cervicibus milites imponebat, & partem Livon. à patriô Regnô ad Poloniam transferre conabatur. Conqvesti hinc Ordines Sveciæ, violata ab illo juramenta & pacta, *Gubernatorem Carolum*, Ducem Sudermanniæ, Sigismundi patruum, crearunt. Qvumqve indies novis injuriis exacerbarentur animi, tandem Sigismundo Regnum publicè abrogatum, illudqve in Carolum, hactenus *Gubernatorem*, Anno 1599. translatum : qvi & Anno 1607. Sveciæ Rex coronatus. Atqve hac ipsa occasione factum : ut diuturna inter Polonos ac Svecos orirentur bella ; qvæ sæpius induciis, tandem tamen pace composita.

§. CXXXIII.

## *Qvæ Poloniæ portio jam olim ambigua esse cœpit?*

*Ambigua* Polonis ex eo ipsô tempore, qvô in Turcarum venit potestatem, *VValachia* esse cœpit. *VValachiam* puto : qvæ in *superiorem s. majorem*, qvam *Moldaviam*, qvasi *majorem Daciam*, vocant, & *inferiorem s. minorem*, qvam, VVala-

VValacbiæ nomen adhuc retinentem, *tranſalpinam* dicunt, dividitur, utraqve *Deſpotas* longô abhinc tempore, ſed vicinis potentioribus plerumq; obnoxios, habens. Sic igitur, etiamſi VValachiæ Principes hodie Turcum ſupremum agnoſcant Dominum, majeſtatem tamen Polonorum Regis venerantur, ac veluti potenti vicino ſtatis temporibus honoraria mittunt: qvi anteà tributum perſolverant, inqve illius verba juraverant.

CXXXIV.

*Qvem certum tamen adhuc Polonia Vaſallum habet?*

Certum adhuc Vaſallum *Curlandiæ Ducem* habet. Poſteaqvam enim miſeræ Livoniæ reliqviæ in Polonici Regis fidem ac clientelam ſuperiori Seculo ſeſe tradiderant, ille verò ultimum Ordinis Enſiferi in Livonia Magiſtrum, *Gothardum Ketlerum*, ſacro exutô habitu, *Curlandiæ* ac *Semigalliæ Ducem* conſtituerat, homagiôqve ſibi Anno 1566. obſtrinxerat, iſte qvidem *Curlandiæ Ducatus* certisſimum Poloniæ Feudum, ipſeqve Dux Regis Polonici *Vaſallus* eſſe cœpit. Et qvanqvam miſer ille Ducatus inter tres belligerantes, Polonum, Svecum, Moſcum, tantum non diſcerptus eſſet, in fide tamen Poloni manſit, inqve hanc usq; diem manet, *Mitoviam* ad Muſſam amnem, multis aliis auctum, Urbem principem habens.

CXXXV.

*Annon & ipſa PODOLIA indubitata Poloniæ fuit portio?*

*Fuit*, ah qvid dico fuisse! imò fuerat *Podolia*, *s. PODOLE*, inter Moldaviam, Russiam, Voloniam ac Lithuaniam sita provincia, *indubitata* Poloniæ *portio*. Et qvidem tantæ fertilitatis portio fuerat: ut magna boum magnorum cornua è pascuis vix cerni potuerint. Verùm eheu! Turca jam illam armis tenet: posteaqvam non ita pridem Caput Regionis *Cameneciam*, *s. Kamieniecz* Podolsky, urbem vel à naturâ satis munitam, indeqve à nonnemine *unicum adversus* Orientis *minas* Propu*gnaculum* dictam, cum irreparabili Christianæ Reipubl. damno occupavit. Ita scil. *difficilius est conservare Regna ac terras, qvàm acqvirere*.

## *CXXXVI.*

## *Totam UKRAINAM, à Polonia avulsam, qvinam tenent hodie?*

*Ukrainam*, Volhiniæ ulterioris in Russia Rubra terram, arces ac propugnacula firma habentem, *totam* armis occupatam *Cosacci* jam tenent: qvam & inter alias damnosas pacis Conditiones, qvas in *Novellis* nuper licebat legere, ita assertam Cosaccis vult Turca: ut, omni prætensionis Polonicæ jure abdicato, eandem ipsi soli teneant. Ita scil. *Punctum VII.* Pa*cificationis*, Po*lonum* inter & *Turcam Anno 1672. d. 18. Octobr. initæ*, sonat: Die Ukraine sol den Kosacken/nach den alten Grentzscheidungen/gelassen werden; und da dieserwegen ein

Miß-

Mißverstand entstehen möchte/soll er/wie oben von Podolien gedacht/verglichen werden. Bialo-Cerkiew und andere Festungen / welche zu der Ukraine gehörig/ sollen gleichfalls den Kosacken wieder gegeben werden/etc.

CXXXVII.

*Ad Poloniam propriè dictam redeo, inq; hoc reditu* qværo: *qvalis ejus sit situs ?*

*Universa propè Polonia in planitiem deprimitur*, sylvis freqventibus obsita, indeqve oleis vineisqve ubiqve destituta.

CXXXVIII.

*Qvos præcipuos habet fluvios ?*

Habet *fluvios præcipuos*, qvorum in *Novellis* crebra fit mentio, *Vistulam*, die Weichsel/& *Borysthenem*, den Dnieper.

CXXXIX.

*Juxta hæc, cujus bonitatis Poloniæ terra est ?*

*Terram habet ubiq; ferè fertilem.* Nam omnia ibi reperiuntur, qvæ ad victum pertinent: caret tamen metallis. Nec enim auri argentiq; fodinas habet : nisi qvod circa Cracoviam argenti venas reperiri ferant. Et qvanqvam ferri etiam fodinas habeat: pauciores tamen sunt, qvam ut Regno sufficiant. Fertilissima interim Polonia omnis generis est frumen-

torum: præcipuè *Polonia Minor & Rußia Polonica.* Habet & imprimis Polonia Minor *fodinas salis foßilis*, easqve prope *inexhaustas*; ita ut in tota Europa nunqvam sit, vel fuerit ea salis fossilis copia. Unde est: qvòd ex hac tantâ salis fossilis copiâ æqvè ac è frumenti copiâ immensa capiantur vectigalia. *Est apud nos*, inqvit *MARIN. DISS. de Reipubl. Pol. Scopo c. X. primarium vectigal salis & frumenti, perinde ut apud Gallos salis & vini. Illi salem marinum habent, nos fossilem aut gemmeum: ut vocat Barthol. Merisottus L. 2. Orb. marit. c. 43.* Nec minor *mellis copia* in Polonia est. Tanta scil. ibi illius copia: ut temerè illud in rupibus ac cavatis arboribus reperiatur. Non verò æqvè fertilis est Lithuania. Nam horrida sylvis est & fœda paludibus. Qvapropter ingentem potius Lithuania vim ligni qvàm frumenti præbet, & ingentem eorum vim, qvæ in sylvis nasci possunt.

## CXL.

### *Cujus indolis ipse est Populus?*

*Ingenium* Polonorum; si labor accedat, *acutum* est: est & ipsum *elatum* ac *generosum*. Polonus enim nil spirat humile. Unde & plures virtutes nascuntur ac vitia. Qvia enim sunt generosi animi, ab omnibus illis rebus abhorrent, qvæ humi repere ipsis videntur. Nec temerè ergo Polonum aliqvem opificem reperies:

es : multò minus reperies aliqvem : qvi vacare velit operibus, qvæ aliqvid humile præ ſe ferre videntur. Et qvanqvam fortè tales invenias, qvi id faciunt : nec tamen illi Poloni ſunt, ſed peregrini. Nam illi, præſertim Nobiles, nihil tale agunt. Literis interim & eloqventiæ præſertim dant operam, ſtylo grandiori plerumqve & floridô utentes : qvippe qvi maximè illorum accommodatus ingenio. Cæterum *luxu* & *veſtium*, qvas longas, viriles ac immutabiles, niſi qvando peregrinantur, gerunt, *incredibili ſplendore univerſos prope Europæos* anteire ſolent. Solent & ipſi vehementiori amoris affectu abripi : in victos tamen haut ſunt benigni. Eqvites imprimis ſolutiores ſunt & acres : erga pregrinos tamen ſunt comes : eſtqve & apud ipſos non ingrata beneficiorum recordatio. Magnam porrò honoris exhibitionem ſicuti expectant, ita eandem cultoribus ſuis retribuunt. In rixas verò ſunt admodum proni, dumqve libertatem extremè defendere ſtudent, perpetuæ ſubinde ipſis contentiones cum Magiſtratibus naſcuntur. Agreſtes præprimis durisſimè ab illis habentur : nec facilè iisdem ſunt placabiles : qvum ferè impunè id ſibi licere credant.

## CXLI.

### *Qvis præſens Religionis ſtatus in Polonia?*

Polonia, præter *Pontificiam Religionem*, etiam *Auguſtanam*, *Reformatam*, *Græcam*, *So-*

*cinianam & Arrianam* fovet. *Judæi* etiam magnis hodie ibi privilegiis gaudent: ita ut vix in toto Orbe melius ipsis sit, qvàm in unâ Poloniâ.

## CXLII.

## *Polonia qvando primùm Christianam suscepit Religionem?*

*Aliqvantò seriùs hoc fecit: Seculi scil. post natum Christum* Xmi *Anno 65. sub Duce Micislao.* Factum id est, ut ait *Cromerus L. 3. Hist. propter barbariem*: cujus gratiâ difficilis ad istos homines erat aditus. Nec enim illi, militiæ & bellis dediti, multum de religione disqvirebant. *Num Germanis* verò *Poloni Christianam illam debeant fidem, an Græcis*, incertum est. *Paulus Piasecius* illud Græcis beneficium adscripsisse videtur: ex odiô tamen potiùs in Germanos, qvàm è rei veritate.

## CXLIII.

## *Qvousq; illius mansit unitas?*

*Mansit unitas Religionis*, Latinæ nempe Romanæ: *donec tempore Uladislai Jagellonis nova per Hussum & Hieronymum Pragens.* atq; *VViclefum Anglum opinio illa excitata est, non respondens in plerisq; Romanæ Religionis placitis.* Multos utiqve nacta illa sectatores in Polonia qvoqve: qvum jam recens Christianus Uladislaus factus esset. Unde & ipse, ut fervorem in Religione ac zelum suum ostenderet, seve-

ſeverum planè Anno 1424. mandatum adverſus hæreticos, ut vocabant, horumqve autores, edidiſſe legitur. Atverò qvum parum lex hæc, in Comitiis Corcinenſibus lata, efficeret: qvin potiùs magis atqve magis cultus illius novæ Religionis in animos hominum clam per totum Reipubl. corpus ſerperet, nec legum ſeveritate tolli poſſet, Sigismundus Imus Anno 1543. prohibuit: ut Studioſi, extra Regnum operam dantes literis, doctrinas novas aut libros de iis adveherent in Poloniam. Creſcebat enim tunc temporis Religio in Germ. & alibi: qvam Lutherus magnô fervore excitaverat.

## CXLIV.

### *Sic, jam Uladislai Jagell. tempore Huſſitarum in Polon. innoteſcente Confeſſione, qvando qvæſo Lutheri Auguſtana innotuit ibidem Confeſſio?*

*Alterô Seculô pòſt* feliciter ipſa Poloniæ qvoqve innotuit, inqve multorum Magnatum ibidem animis tam clarè illuxit: ut hodie adhuc liberum Religionis exercitium à Romanâ diſſidentibus concedatur. Et qvamqvam maxima Reipubl. Polon. Magnatum pars Romanam ſeqvatur Eccleſiam, aliis, ſed numerô paucioribus, Reformatæ addictis Religioni, tam Principum genere illuſtribus, qvàm Nobilibus, Lutherani tamen qvamplurimi, è Magnatibus etiam nonnulli, in Polonia agunt.

CXLV.

*Libertas verò Religionis qvando in Polonia primùm & qvibus caveri cœpit verbis ?*

Næ, qvum Respubl. Polon. motus vidiſſet, qvi in Belgio, in Gallia ac Germania fervebant, *unanimi Procerum conſenſu poſt mortem Sigismundi Auguſti, ſtirpis Jagellonicæ ultimi, Anno 1570. 28 Januarii primùm omnibus, qvi hæretici dicti ſunt, DISSIDENTIUM nomine, ſine ullo discrimine & invidioſo delectu, libertas religionis caveri, verbisq; conceptis jurari cœpit.* Verba notatu digna apud *MARINIUM Diſſertat. de Scopo Reipubl. Polon. c. XIII.* hæc ſunt: *Qvum* verò *in Republ. noſtra non exiguum in cauſſa Religionis diſsidium, occurrendo huic rei, ne ex iſta inter homines oriatur aliqva noxia ſeditio, qvam in aliis regnis clarè videmus: ſpondemus hoc nobis invicem pro nobis ac ſucceſſoribus noſtris in perpetuum, ſub vinculo juramenti, fide, honore, & conſcientiis noſtris: qvod nos, qvi ſumus diſsidentes in religione Chriſtiana, pacem inter nos ſervabimus, & propter diverſam fidem ac differentiam in Eccleſia ſangvinem non profundemus, neq; pœnis afficiemus, veluti confiſcatione bonorum, infamiâ, carceribus & exilio; neq; magiſtratum ullum ad tale facinus ullo modô jubabimus: imò verò, ſi qvis ſangvinem ex hac cauſſa effundere velit, huic nos omnes vires noſtras opponere tenebimur, etiamſi prætextu decreti vel proceſſus alicujus juridici id facere velit.*

CXLVI.

XCLVI.

*Libertas eadem anteqvam iſthoc caveretur pactô, qvæ irrepſerat Confeſſio?*

*Socinianorum* jam *Anno 1552.* irrepſerat *confeſſio:* cujus Autorem qvidem *Fauſtum Socinum* illiusqve dogmata Cl. *Boxhornius in Hiſtor. Univerſ. circa finem* exponit. Præter Anabaptiſtas videl. qvi in Pruſſia Lares ſuos fixerant, Sociniani etiam Poloniam toxico ſuo invaſerant. Qvin &, poſtqvam *Liber Fauſti Socini* de *Chriſto Servatore*, qvem *Jacobo Coveto, Theologo Gallo* oppoſuerat, aſpexerat lucem, tanto applauſu paſſim, ut per Tranſylvaniam ac Hungariam, ita & per univerſam Hungariam ac Boruſſ. à qvibusdam *hallucinatricibus naturis* (i. e. *qvæ ſemper fluctuant* nec *ἀμετάπλωτοι fieri poſſunt*) arripiebatur: ut nec Germani qvidam ſectæ huic nomina ſua dare dubitarent.

CXLVII.

*Græcam in Polon. Republ. Eccleſiam qvi hodieq; ſectantur?*

*Sectantur eam in ampliſſimô Poloniæ Regno Ruſſi:* qvi tamen à Moſcovitis, eidem qvoqve Confeſſioni addictis, multum diſcrepant. Epiſcopum ſuum Metropolitanum vel Kovienſem habent.

CXLVIII.

*Judæi deniq; à qvo tempore recepti in Polonia agunt?*

*Agunt in Polonia*, & *Poloniæ oppida urbesq́; inhabitant, à Regis Casimiri II. cognomentô Magni, tempore.* Nec igitur commorandi illis libertas in Polonia deest, ipsiqve magnis gaudent privilegiis. Præprimis verò ingentia Judæis privilegia Esthera Judæa à Casimiro M. impetravit. Ab eô siqvidem tempore Judæi omnia fere vectigalia Regni Polon. gravi cum indigenarum oppressione possidere cœperunt.

# CAP. VIII.
## *DE* REGNO HUNGARICO.

### Erotema I.

### *Qvodnam & olim inter præcipua Orbis Imperantis habebatur Regna?*

REgnumHungaricum olim qvoq́;inter illa habebatur: qvippe qvod amplissimis qvondam circumscribebatur finibus, ipsumqve sub *Pannoniæ* nomine in *superiorem* ac *inferiorem* dividebatur. *Superior* etiam *prima Consularis* dicebatur, hodie *Austriam* ferè omnem continens, inqve eâ *Viennam*, *Sabariam* B. Martini, & *Stridonem*, B. Hieronymi Patriam. *Inferior* & *altera Consularis* à Meridie pro limite *Dn-*

*Dravum* habuit. Utraqve ab Occidente *Marcomannos* contigit: ubi hodie eſt *Moravia & Noricum mediterraneum*, ubi *Carinthia, Scytia, Carniola:* ultra Danubium verſus Meridiem erat *Valeria*, & juxta eam *Pannonia interamnis*, inter Dravum & Savum ſita, in qva *Sirmium*. Intra Savum erat *Croatia, Liburnia, Boſnia & Dalmatia, Illyrici* olim nomine, comprehenſa: qvæ ad mare usqve Adriaticum excurrunt, & ab Ortu Boſna fluviô clauduntur: ultra qvem fuit *Moeſia*, usqve ad Euxinum Pontum excurrens, tam *ſuperior*, jam *Servia* dicta, qvam inferior, hodie *Bulgaria*. Ex parte alterâ Danubii verſus Septemtrionem dicebatur *Pannonia ulterior:* ubi *Jazyges* in mediterraneis locis inter Danubium & Tibiſcum: *Tranſylvania & Dacia*, Decebali qvondam Regnum, hodie *VVallachia*, & ſupra eam *Moldavia* usqve ad Pontum Euxinum.

## II.

## *Annon hodieq; ſatis ampli Hungariæ ſunt fines?*

*Omninò ſatis ampli ſunt adhuc hodie.* Ecce enim à *Meridie* fluvium Dravum & Croatiam, ab *Ortu* Tranſylvaniam habet. A *Septentrionibus* monte Carpatico à Polonia ac Ruſſia diſterminatur. Ad *Occidentem* Auſtriæ & Stiriæ proxima eſt. *Longitudo* ergo ejus ſecundum *Frohlich. P. 11. Viatorii L. 1.* hodie 60. Milliarium eſt German. *latitudo* verò ferè totidem comprehendit,

III. Qvo-

## III.

## *Qvomodo illa hodiq; dividitur?*

Æqvè hodie, ac olim, ſed per *Danubium*, *Hungaria in ſuperiorem & inferiorem* dividitur. Sunt autem oppida in *ſuperiore Hungar.* clariora *Temeswar*, *VVardein*, duoqve firmiſſima propugnacula, *Zatmar*, & *Tockay*: qvorum hoc vinô generoſiſſimô celebre eſt. Occurrit & ibi *Caſchau*, Danubiôq; ſuperatô Regni Hung. hodie Metropolis *Poſonium ſ. Presburg.* In *Inferiori Hung.* ſunt *Arrabo*, vulgò *Rab*, & *Comorn*, loca firmiſſima: *Ofen*, Turcis parens, *Gran*, *&c.*

## IV.

## *Unde olim Pannonia dicta?*

Diſputant prolixiùs de hoc Hungarorum Hiſtorici: *utrum ita à Pane, paſtorum Deo, ob ſoli ubertatem, an â Pannone qvodam, Authori filio, Illyrici nepote, an à pannis, in veſtes manicatas conciſis, ita vocata fuerit.* Ita ſcil. *Hiſtorici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.* Arbitrantur autem heic nonnulli: *Pannones* Celticam fuiſſe gentem. Et ſunt: qvi eorum Reges continuâ, ſed ſuſpectâ, ſerie à Chamo per Chuſum & Nimrodum deducant. *Pæones* etiam illos vocant: qvanqvam illi propriè ultra Æmum ad Rhodopen montem & maritimam Macedoniam pertinent: qvorum libertas primùm à Dario Hyſtaſpis; dein-

deinde à Philippo & Alexandrô M. expugnata: sed iis defunctis sui juris denuò sunt facti.

V.

*Nonnè in obseqvio Imperii nostri aliqvando fuit?*

Ita *Conringius L. de Fin. Imp. Rom. c. XVII.* docet: sed, *non multò post asseruisse se in libertatem Hungariæ Regnum*, idem ibidem ostendit, de brevi qvidem illo Hungariæ obseqviô justô prolixiùs differens. *Brevis*, ait ille, *temporis in Daniam dominium Imperii nostri fuit: minùs adhuc duravit Hungariæ obseqvium.*

VI.

*Cujus verò Imperatoris ævô primùm Hung. arma fuêre audita?*

*Arnolphus Cæsar imperitabat:* qvum Hungarorum primùm audirentur arma. Qvid? qvòd & nomen ipsum ignotum hactenus fuerat: nisi sint *Hungari*, qvi *JORNANDI L. de Reb. Goth.* dicuntur Attilæ militasse, Scythiæ populi: qvod *Conringio* sanè verisimile videtur. Ab Hunnis enim Avaribus illis, qvos Carolus M. devicerat, planè alios esse, & Arnolphi demum temporibus Pannoniam Daciamqve eos occupasse, disertè memorant: qvi illi vicini sunt Rerum German. Scriptores tempestati.

VII. *Qvis*

## VII.

## *Qvis primus Hungarorum Monarcha?*

*Fuit is Attila*, qvi *omnium Hunnorum consensu Anno 373. Rex creatus, è Scythia Pannonias ingressus fuerat.* Verè autem Monarcha erat Attila. Is qvippe universum pene Occidentem, Germaniam, Pannonias, Gallias, Italiam, partim in societatem suam traxerat, partim armorum terrore perculerat. Imprimis fortissimas gentes, Gothos, Gepidas, Longobardos, Herulos, Alanos sibi consociaverat, *Flagellum Dei* & *Terror Orbis dictus.*

## VIII.

## *Anne Hunni continuâ imperitarunt serie Pannoniis?*

*Non continuâ imperitarunt illi serie: sed ex Europa in Asiam fuêre repulsi. Occasio* mors Attilæ erat. *Caussæ impulsivæ* dissidia inter fratres & filios Attilæ erant. *Instrumentales* qvamplurimæ potentes erant Nationes: Gothos puta, Gepidas, Longobardos: qvi, ablato Capite, fratribusqve discordibus, amissum sibi vindicabant imperium. Sic ergò post Hunnos in Pannoniâ Ost-Gothi, Gepidæ & Longobardi regnarunt: donec Anno 744. Hunni è Scythia in Pannonias reverterentur.

## IX.

## *Post hunc Hunnorum in Pannonias reditum, qvis primus ex eadem hac gente Hungarorum Rex creari cœpit?*

Qvum

Qvum suo è Scythia reditu sub septem Ducibus iterum erupissent Hunni, *primus* deinceps ab Ottone III *Rex Hungarorum creari cœpit Stephanus:* qvi ipse Christianam recepit fidem, tantoqve studio eam propagavit: ut *Sancti* nomen obtineret. *Factum* id demum *Anno 997.* Nam priores ante *Sanctum* hunc *Stephanum* non Reges, sed Duces dicebantur: horumqve res per ducentos & ampliùs obscuræ sunt annos. Regnavit autem Sancti hujus Stephani Familia in Hungaria ab Anno 997. continuâ serie usqve ad 1301. Regesqve produxit XXIII. qvorum ultimus Andreas III. cognomine Venetus.

## X.

### *Hungaria exteros qvando habere cœpit Reges?*

*Exteros Reges sibi Hungaria, extinctâ jamjam Attilæ in Andr. III. progenie, cœpit qværere, eosq; è diversâ gente invenit qvamplurimos.* Sic enim est: qvòd in eâ regnarit *FAMILIA* (1) *BOHEMICA.* Hungari siqvidem è Bohemis Regem sibi Wenceslaum s. Ladislaum petierant. (2) *BAVARICA.* Ex hac siqvidem *Otto* fuit, Dux Bavariæ. (3) *NEAPOLITANA:* è qvâ *Carolus Robertus*, Caroli Martelli, Principis Salernitani, filius, *Ludovicus I.* & *Maria.* (4) *LUTZELBURGICA.* Extinctis qvippe Neapolitanis qvum sola Maria superesset, *Sigismundus*, Caroli IV. Imperatoris fil. eâ ductâ, simul Hungariæ Regnô fuit

po-

potitus. (5) *AUSTRIACA:* è qvâ *Albertus* & *Ladislaus V. Posthumus.* (6) *CORVINA:* è qvâ *Matthias Corvinus Hunniades*, insignis literarum fautor: qvem solum ob virtutem ac felicitatem bellicam Mahometes II. inter Christianos Duces Principis nomine dignum censuit. (7) *POLONICA:* è qvâ *Uladislaus II.* ac *Ludovicus.* (8) iterum *AUSTRIACA:* è qvâ *Ferdinandus I.* qviqve eum secuti Impp. simul ac Reges Hungariæ.

XI.

*Sub qvô qvæso è totidem Regibus Regnum Hungariæ fuit amplissimum?*

*Amplissimum* fuit *sub Carolo Roberto.* Complectebatur enim tunc Dalmatiam, Croatiam, Serviam, Bulgariam, Bosniam, magnam Russiæ partem, ac in universum XIII. Regna.

XII.

*Qvi longè antè penitus id destruxerant?*

*Fecerant id Anno 1242. Tartari.* Duce namqve Bathi Hungariam invaserant, opeqve Cumanorum, qvi magnô numerô in Hungariâ exulabant, universum Regnum ita destruxerant: ut vix similis in omni Historia calamitas occurrat.

XIII.

*Qvi diu pòst vehementer idem debilitarunt Regnum?*

*Fece-*

*Fecerunt id Turcæ: qvum ex Asia in Thraciam intrassent.* Imprimis graviter illi Hungariam sub *Sigismundo* & *Ludovico ultimô*, post fatalia illa ad Nicopolin, Varnam & Mohazium prælia, afflixerunt. Et qvanqvam Matthias Corvinus Hunniades, Scanderbegi Epirotæ auxiliô usus, Turcarum repressisset potentiam: eô tamen extinctô majora sumsit incrementa. Imprimis verò fatalibus illis turbis mors Ludovici II. ad Mobiaz Anno 1526. occisi, Hungariam involvit. Tum enim *Ferdinandus* Austriacus, Caroli V. frater, Bohemico auctus Regno, qvi Uladislai VI. ex Anna filia gener erat, & *Johannes Zepusius*, Transylvaniæ Palatinus, qvi in comitiali armatæ multitudinis concilio Rex Pannoniæ creatus ac ritè coronatus fuerat, de Regnô armis inter se contendebant, auxiliisqve hic Turcarum nitebatur. Prætextu hoc Solymannus *Budam*, Regni sedem, cum longè maxima Hungariæ parte occupavit, illamqve veluti arcem belli contra Christianos constituit, ipsam etiam tunc temporis Viennam gravi obsidione, irrito tamen conatu, obsidens.

## XIV.

## *Qvæ Provincia tunc à suô corpore avulsa?*

*Avulsa tunc à suo corpore*, qvæ olim Provincia Hungariæ fuerat, *TRANSYLVANIA.* Etenim postqvam *Johannes Zepusius*, Palatinus & Transylvaniæ Princeps, Regnum Hungariæ inva-

invasisset, Transylvania sub clientela Turcæ peculiarem Rempubl. ac Principatum constituere cœpit. Primus autem Transylvaniæ Princeps Stephanus Bathori fuit, qvi, Polon. Rex creatus, successorem fratrem Christophorum habuit: hic Sigismundum. Inde alii ordine successerunt: donec tandem *Michael Abafsi*, Georgio Ragotzi II. Bello Sveco-Polon. Anno 1658. temerè ac improvidè se immiscente, auspiciis Turcæ Principatum Transylvaniæ, nec tamen immediatè, obtineret.

## XV.

### *Transylvania unde ita dici Latinis meruit?*

*TRANSYLVANIA*, veteris Daciæ pars, proxima Hung. atqve ejus olim provincia, *hoc Latinum inde obtinuit nomen; qvòd perpetuis qv. sylvis ac montibus instar Bohemiæ cingeretur.*

## XVI.

### *Unde Germanis* Siebenbürgen *appellatur?*

Siebenbürgen *German.* qv. Siebenbergen/ propriô nomine Erdeln / Turcis communi nomine *Ertel-Ban*, hodieqve *à septem priscorum Hunnorum* dicitur *castris*. Septem enim illorum Ducum, qvi sub altero Hunnorum in Pannoniam adventu Anno 744. illam tenere cœperant, qvisqve castrum sibi in Daciâ extruxerat.

XVII.

## XVII.

## *Tam miſerè igitur jam olim dilaceratâ ac variis bellis concuſſâ Hungariâ, qvæ hodieq; Regni illius eſt facies?*

*Eſt miſera, inq; dies ultrà miſera.* Miſera eſt qvoad *Religionem*: eſt & miſera qvoad *Regionem.* Sciſſa enim illa hodie in varias eſt Religiones. Sunt ſiqvidem ibi *Catholici*, ſunt *Evangelici Auguſtani*, ſunt *Reformati*, ſunt *Muhammedani. Plures* tamen, qvod dolendum, *Muhammedani*, *plurimi Romano-Catholici* Hungaricas tenent terras. In ipſis namqve ad Turcam ſpectantibus terris ultra 30. millia Cathol. Romanorum reperiri ajunt: qvi liberô Religionis gaudeant exercitiô. Et creſcit ſanè indies horum numerus: poſteaqvam truculenta Jeſuitarum Reformatio ita ante hoc biennium invaluit, ut omnes Eccleſiarum ac Scholarum Evangelicarum Miniſtri turpiter ac miſerrimè ejicerentur, Regnoqve tanqvam Rebelles æternùm excluderentur, non paucis ad ignominioſam ſubſcriptionem coactis, cæterisqve, qvi noluerant ſubſcribere, ad ſqvalidos carceres detruſis. Nec minùs *miſerrima facies* Regni Hungarici eſt qvoad *Regionem*: præprimis ubi Anno 1663. urbs Hungariæ munitiſſima magnoq; militum præſidio firmata Neuheuſel/ præter alias qvamplurimas urbes firmiſſimas, in Turcarum ceſſit poteſtatem. *Miſerior* deniqve, *qvàm qvæ miſerrima, facies Regionis* eſt ob turbas: qvas Hungariæ armatâ manu dant hodie *ſic dicti Rebelles.*

## XVIII.
## *Qvale tamen Regnum est Hungariæ?*

In Hungaria qvum qvidam *electionem*, qvidam *successionem* obtinere hodie contendant, nihil certi heic definiam. Certum interim hoc est: *merè electitium* qvondam *Regnum Hungariæ* fuisse. Nullo enim successionis, sed electionis jure Reges constituebantur, civiliqve imperio in Hungaros, non herili tenebantur.

## XIX.
## *Qvis primum in eligendô Rege habebat votum?*

Habebat id *Palatinus Regni, proximus dignitate post Regem*, imò & Vice-Rex, peculiari hoc nomine ad imitationem veteris *Comitis Castrensis s. Palatii* insignitus: qvi & Status ad electionem convocabat. Idem & *tutor hæredis Regii* erat, ac discordias inter Regem & Regnum componere solebat, armorum absolutam habens potestatem.

## XX.
## *Qvis Palatinum Regni excipit?*

Excipit illum *Judex Curiæ:* cujus officium simile Mareschalli Principis German. officio, estqve *Regni Judex*.

## XXI.
## *Bani cognomine qvi intelliguntur?*

Cogno-

Cognomen *Bani* Gubernatoribus Regnorum, ab Hungariâ dependentium, Dalmatiæ, Croatiæ, ac Slavon. tribui ſolet, à *Bando ſ. Banderio* derivatum: idqve Græcorum *Flammulari* & Turcarum *Sanzar Bego* æqviparaveris.

XXII.

*Qvot Regni ſunt Cancellarii?*

*Duo* ſunt: unus *perpetuus*, *Regni* dictus *Primus* & *Primarius Secretarius*, poteſtatem habens ungendi Regem ac ſignandi ſigillo privilegia edictaqve: alter *ſecundum Regis voluntatem electus*.

XXIII.

*Qvæ fori in Hung. eſt ratio?*

Qvoad judicia, reperitur *Vice-Palatinus Regni*, *Judex perſonalis*, ſi præſens. Minores his, qvi Judiciis inſerviunt, ſunt *Protonotarii*: reliqvi ſunt *Fiſcalis*, XII. *Aſſeſſores*, & qvidam *jurati Notarii*.

XXIV.

*In qvot Diœceſes Regnum totum hodie dividitur?*

Numerantur in *Novo Atlante* verſus Ortum ad Teiſſam *VII. Comitatus*, *Ugoghienſis*, *Bihorienſis*, *Zatmarienſis*, *Orodienſis*, *Zabolcienſis*, *Chonadienſis*, & *Temeſienſis*: qvibus alii ex aliis tractibus plures addunt. Imo & ſunt: qvi 72. aut 74. Diœceſes vel Comitatus numerent, inqve totidem Regnum totum dividant.

dant. Sed videtur iſte numerus admodum nimius, vix totidem enim urbes inſignes, qvot Comitatus ab illis numerantur.

XXV.

*Qvo peculiari verò nomine German. Comitatus illi, ſub qvocunq; etiam numero comprehendantur, veniunt?*

Appellantur Spanſchafften/ forte ex Hungaricô *Ispan*. Sic enim dicitur, qvi comitatui præeſt, ex Span cum præfixo Hung. Lingvæ *Is*: ſicut ex Stephan faciunt *Iſtephan*. Nonnemo eruditorum, ſalvo tamen aliorum judicio, Spanſchafften dici vult qv. die zuſammen ſpannen / mit einander halten. Notum enim aurigarum vocab. Geſpan.

XXVI.

*Qvi Reditus ſunt Regni?*

*Rex Hungarorum præcipuos ſuos Reditus è fodinis percipit.* Reliqva pars è vectigalibus, pecori impoſitis, colligitur.

XXVII.

*Qvæ ſubditorum opes?*

Conſiſtunt in *magnâ pecorum ac frugum copiâ*. Qvanqvam autem alias omnium rerum abundantiâ gaudeat Hungaria: magnarum tamen divitiarum acceſſione inde non fruitur. Incolæ ſiqvidem fructibus, è terrâ copioſiſſimè progenitis, contenti vivunt; nec curant Perſarum gazas.

XXVIII.

XXVIII.

*Quæ vires?*

*Hungari Regi suo 8000. Eqvitum facilè possunt suppeditare. Hussarorum* copiæ non leve etiam præbent auxilium. Nec desunt firmissima Hung. propugnacula: qvorum præcipua *Comorra* & Arrabo, vulgò *Rab, Zatmar* item, & *Tockay.*

XXIX.

*Quæ terræ bonitas?*

*Tantæ fertilitatis solum Hungariæ dicitur: ut agri sine stercoratione frugibus abundent.* Optimi qvoqve auri, argenti, aliorumqve metallorum ingens ibi copia. Vino qvoqve generoso non destituitur: nc de marmore, lapidibus pretiosis, aliarumqve optimarum rerum copiâ dicam.

XXX.

*Cujus indolis incolæ?*

Sunt *bellicosi illi* ac *acerrimi libertatis propugnatores.* Imprimis excelso animo sunt Nobiles, & pro Majorum prærogativâ acriter certant: sed Germanos supra alias gentes odio habent. Id verò vel ex *æmulatione* fit, qvam bellum, aut inter ipsos, aut contra Turcas gestum, accendit, vel ab ipsâ *naturâ* gentis oritur: utpote, qvæ, qvod & alibi facit, Hungarorum ac Germanorum indolem longô intervallô discrevit. Cæterùm eqvorum sunt studiosissimi, vestes qvoq; ac arma ad pompam

exigentes. Togis & tunicis delectantur, & acinace ad latus appenſo, hoc præcipuè dant operam, ut timeantur & honorentur. Excelſarum tamen artium paucos ſectatores, Latinæ verò Lingvæ gnaros bene multos in Hungaria reperies. Etiam qvi ad ſtivam ſunt religati, Latinè loqvuntur, haut ſecus ac ſit in Polonia.

XXXI.

*Qvot Ordinum?*

Qvatuor Ordines in Hungaria ſunt. Primus *Clericorum:* alter *Comitum:* tertius *Nobilium:* qvartus *Civium* eſt *Regalium ac liberorum.* Horum ſanè Statuum ſpecialem recenſionem in *Diætæ Regni Hung. de Anno 1662. M. Majo Hiſtoria* habes: qvam in *Diar. Europ. Contin. VII. p. 477.* legere licet.

XXXII.

*In his ipſis verò Ordd. qvi eminent?*

Eminent inter Ordd. Hung. *Archi-Epiſcopus Strigonienſ.* qvi ſimul *Legatus natus ſedis Rom.* & juxta eum *Archi-Epiſcopus Colocenſ.*

XXXIII.

*Qvi Hoſpodari olim?*

*Præcipui Hungarici Regni Principes* erant, corruptè ſic dicti, qv. domini in illis regendis Provinciis, qvæ olim Dacia ac Mœſia dictæ ſunt.

XXXIV.

*Talia & alia, qvæ de Regno Hungarico*

*rico fusiùs dicenda heic forent, unde haurire licet?*

Legendi heic Rerum Hungaricarum Scriptores qvamplurimi, Franckofurti conjunctim editi. Ferè autem antiqvissimus Rerum Hung. Scriptor *SIGEBERTUS* est, *Monachus Gemblacensis* in Brabantia, Chronicon suum ab Anno 387. qvô post mortem Valentis regnare Valentinianus min. ac Gratianus cœperant, incipiens, idqve ad annum 1112. qvô obiit, perducens. Confecit &, Matthiæ Corvini, Hung. Regis, impulsu, Rerum Hungar. Commentarios *ANT. BONFINIUS* Asculan. Sunt illi Decadum IV. cum dimidia, ac pertingunt ad Annum 1495. Sed diu fuit: qvòd tres tantùm extitêre Decades: qvarum summam *MICH. RITIUS* complexus est Libellis duobus: qvi de Rebus Hungar. inscribuntur. Ac tres qvidem Decades, qvas dixi, è Budensis exemplaris αὐτογράφῳ Anno 1543. à se multis in locis restitutas, in lucem emisit *BRENNERUS*. Anno verò 1568. easdem è collat. MSS. emendatiores cum Decade IV. & qvintæ dimidio publici juris fecit *J. SAMBUCUS*: cujus qvidem tale de *Bonfinio* est judicium: *ingeniô ipsum ad res omnes arduas ac laudabiles excelluisse, styloq; uti idoneô non ad historiam minùs, qvàm Philosophiam vel Orationes*. Reperire porrò inter Scriptores de Rebus Hungar. *PHIL. CALLIMACHUM* licet. Signavit enim ipse non tantùm Historiam de Attila, qvi Bonfinii Histor. Hungaricæ

adjici ſolet: ſed & de Rebus Hungaricis, munificentia Matthiæ Hunniadis Hung. Regis pellectus, ſcripſit Libros tres. *Opus hoc*, non dubitat *JOVIUS* dicere, *adeo eleganter atq; exactè compoſitum eſſe, ut omnes, qvi à Corn. Tacito per tot ſecula id ſcribendi genus attigerint, ſuo judicio ſuperarit.* Eſt & Hiſtoriam Hung. Libris XXXIV. ab Anno 1490. *NIC. ISTHUANSIUS* complexus. Bella Hungarica *ORTELIUS* edidit: de qvibus qvidem ante hunc ſcripſerat *MELCH. SOITERUS.* Novam deniq; *Hungariæ Deſcriptionem* auctam à *JOH. BEZA.* habemus: habemus & à *ZEILERO* noviſſimè *Hungariæ Deſcriptionem* editam.

---

# CAPUT IX.
## *DE* REGNIS INDICIS.

### Erotema I.

### *INDIA, à qva Regna, qvæ cognoſcenda reſtant, dicuntur Indica, qvid propriè appellatur?*

A*Ppellatur* propriè *INDIA*, *qvicqvid inter Sinam & Perſiam terrarum reſtat*, inq; complura Regna dividitur. Imprimis verò, qvia incolæ nunqvam à natali ſolô receſſiſſe leguntur, tantâ cùm hominum, tùm urbium multitudi-

tudine conspicua est, ut nulli cedat Regioni. Et sanè priscos invenire licet autores: qvi jam olim apud Indos novem millia populorum numerârunt: inter qvos clarissimi fuêre Brachmanes, reliqvorum Philosophi, &, qvorum Regem nec Alexander M. invadere ausus fuit, Gangaridæ. Nunc, si Insulas primò, deinde continentem Indiæ, magis nostrô qvàm priscorum seculô detectæ, consideremus, Regna occurrunt vastissima, qvorum vix certus numerus tenus hac initus.

## II.
## *INDIAM unde fusiùs cognoscere licet?*

Non tantùm Historiam Indicam generalem habemus, qvam *GONZALES de Oviedo* scripsit: sed & Indiam Orientalem imprimis descripsêre *LINSCHOTANUS*, *BILIBALDUS*, *MEGISERUS & MAFFÆUS*. *Maffæus* nempe *de rebus Indicis Commentarium* scripsit, & *Epistolarum* qvoqve *de rebus Indicis Librum* seorsim edidit. Nec minus suas & patris Nicolai atqve patrui in Oriente peregrinationes, resqve illic memorabiles, tempore Rudolphi I. exposuit *M. PAULUS VENETUS*. *Epistolium* insuper, in qvô iter ex Persiâ in Indiam Orientalem describit, post fata reliqvit *MANDELSLOVIUS*. Habemus & *Historiam Indiæ Orentalis*, bona fide *à PETRO JARRIGE* scriptam. Mores ac instituta Indorum, à *G. Spilbergio* explorata, apud *Thuanum*

*L. CXXX.* legere licet. Omnium tamen novissimè *Descriptionem Indiæ* Belgicè *JOH à TVVIST* adornavit. Nec minus & ipse *Spilberg.* cum *Jacobo Le Maire Speculum Navigationum Orientalis Occidentalisq; Indiæ Lugduni Anno 1619. in 4to* edidit. Edidit insuper aliqvot Tomis Beginn/ ende Voortgang van de Oostindtsche Compagnie *Joh. Is. Pontanus.*

III.

*Anne autem rectè India etiam Occidentalis dicitur?*

Hispani sanè, & horum more nos Germani qvoqve *Indiam* vocamus utramqve, *Orientalem & Occidentalem*, West-und Ost-Indien/ *sed falsò & impropriè:* qvum vera *India Asiæ* sit *Regio*, ab insigniori flumine *Indo* nominata. Si verò Americæ ab ejus flumine primariô nomen indere libuisset, *Amazoniam* potiùs vel *Orelianam* indigitassent: ut *Carolus Stephani* loqvitur. Qvocirca etiamsi nos qvoqve cum vulgo interdum *Indiam* vocemus, qvæ alias *America* dicitur: propriè tamen *Orientalis* saltem *INDIA* est dicenda. *Occidentalis* verò vulgi errore vel ideò sic dicitur: qvia priores ejus inventores ex antiqvis Geographis putarunt, *eam extimâ sua parte cum Regno Chinarum cohærere, & ita eandem cum India Orientali constituere terram.*

IV.

*Indiæ propriè sic dictæ, nempe Orien-*

*talis*

*talis illius, qvæ præcipua sunt Regna?*

Sunt (1) *Regna Kunkam*: (2) *Regna Malabar*: (3) *Regna Narsingæ*: (4) *Regnum Sian*: (5) *Regnum Pegu*: qvibus *Regnum Malacca*, idqve *omnium recentissimum*, accedit.

V.

*Cujus tamen Indiæ Orientalis, seu Indiæ propriè sic dictæ, maximè hæc sunt Regna?*

Qvum *Orientalis India* ipsa vulgò per Gangem fluvium ita disterminetur, ut alia dicatur *Indostan*, intra *Gangem* & *Indum*, hodie *Pangah* dicta, cujus Imperator ex potentissimis hodie totius Asiæ Regibus *M. Mogol*, aut, ut alii pronunciant, *MOGOR* vocatur; alia sit extra *Gangem*, *hujus qvidem maximè prædicta sunt Regna*: sive ad *dextrum* ejusdem *Indiæ* (duabus enim partibus in Oceanum longo excurrit tractu) sive ad *sinistrum cornu* respicias. In hoc siqvidem ditissima omnium est *Pegu*.

VI.

*Eadem Regna qvis primus condidit?*

Condidit illa *SCHABECK s. Sabakan*, Rex Chorazanæ. Ita enim tradunt, potentissimum qvendam Regem, occupatâ universâ penè Indiâ, potiorem eius partem dedisse conso-

brino suo: contra qvem qvinqve conspirarint Præfecti, illoqve in carcerem detrusô inter se Regna distribuerint Indiæ. Extat rei hujus prolixa apud *GARSIAM ab HORTO in Historia Aromatum* c. 28. & apud *LINSCHOTT. c. 28.* narratio: qvanqvam ille qvidem in temporum seriem peccet, neqve ulla ratione conciliari cum aliorum relationibus possit.

VII.

*Qvæ sic jam Regna sunt Kunkam & qvot numerô?*

Qvum totus ille tractus, qvi inter Imperium M. Mogolis & Regna Malabar situs, appelletur unonomine *Kunkam*, illius hodie *sex* numerantur Regna. Primum est *Regnum Dekan*, secundum longitudinem in litore maris ad 250. Mill. porrectum: cujus Reges appellantur communi nomine *IMAD MALUCO*, i. e. Columna Regni. Alterum est *Regnum Amdenager*: cujus Reges vocantur *NISA MALUCO*, i. e. *Hasta Regni*. Tertium est *Regnum Braganadar*: cujus Reges vocantur *COTTEB MALUCO*, i. e. *Vertex Regni*. Qvartum propriô caret nomine: cujus primus Rex, nomine *Verido*, natione Hungarus, obiit Anno 1510. Qvintum est *Regnum Vizapor*: cujus Rex *Muhadum Koja*. Sextum est *Regnum Goæ*: cujus Rex primus *SAHEB ADELKAN* appellatus.

VIII.

*Ecqvodnam hodie inter totidem Regna Kunkam eminet?*

Emi-

Eminet inter illa hodie *Regnum Dakan:* cujus Reges appellantur *Nesam Schah*. Perpetua verò bella contra M. Mogorem & Portugallos gerunt.

IX.

## *Nomen verò ADELKAN, qvod Regis erat Goæ, cujus nos rei heic commonefacit?*

Commonefacit nos heic qv. obiter: *qvid German.* Adel *in Persicâ,* è qvâ vox illa ad nos descendit, *Lingâ significet?* Significat videl. vox Adel in Persarum Lingvâ *justitiam*, vel etiam *eum, qvi colit justitiam, eamq; fideliter administrat.* Unde & Rex Goæ hoc ipsum nomen gerit: ut audiat *ADELKAN*, vel *ADELXA*, q. d. *Dominum s. Regem justitiæ.* Portugalli suâ Lingvâ corruptè pronunciant *Hidalcam*, ab *Hidalgo:* ut significetur, qvi nobis ein Adelsmann. Conjicere hinc omninò licet: qvòd voce ADEL Persicè *Nobilis* significetur: *qvi Virtute ac Justitiâ famam sibi parat:* qv. is demum *verè nobilis* sit, *qvi Justitiam*, matrem omnium virtutum, *ubiq; observat & colit.* Prout & apud nos Justitia ac Virtus nobilitant: nec item Nobilitas sine Virtute & Justitia esse potest. Audiamus heic *PETRUM TEIXERAM* in *Persicâ*, qvam è *Taric Mirkond*, præstantissimo Persarum Historico, petiit) *Relatione* hæc Lingvâ suâ narrantem: *Tuuo Anuxiron por Alcunna ADEL, por respetto de su grande integridad en admini-*

*ſtrar Juſticia Virtud, en qve mucho Mucho reſplandeſcio: porq́ en Parſio ſe dize la Juſticia ADEL. Y lo qve ſe cuenta en las Hiſtorias de la India de la tomada de Goa, qve el ſennor della ſe dezia Sabaydalcan, ſe ha de dezir ſa hayb Adelkan, qve es dominador y Rey de Juſticia. El Rey del Cunkan o Balagare ado Jaze la ciudad Goa en la India ſe dize ADELKANADELXA, qve es lo miſmo qve Rey o ſennor de Juſticia: Y los Portoguezes con alguna corruption lo llaman Hidalcam.*

X.

## *Qvæ deinde Regna ſunt Malabar?*

*Malabar*, Regio in latere Indiæ Occidentali ſita, antiqviſſimum inter Regna Indica eſſe, cenſetur, uni olim Regi ſubjectum. Hodie verò Regna habet qvamplurima, à ſingulis urbibus denominata. Sunt ea *Calecut*, *Cochin*, *Canonor*, *Coulete*, *Crangranor*, *Coulon*, *&c.*

XI.

## *Qvodnam diu principatum inter hæc Regna obtinuit?*

*Obtinuit inter Regna Malabar ſatis diu principatum Regnum CALECUT:* qvod, conditâ ejusdem nominis urbe, ut in ea imperatoriam ſedem poſteri ſibi ſumerent, unus ex intimis amicorum Satamæ Perymal, ultimi Regis Malabar, Anno Chriſti 907. condidit. Huic enim ille, ſeductus à Muhammedanis, ultrò abdicatô Regno, titulum *Zamoris*, i. e. Imperatoris, cui reliqvi Reges, tanqvam ſupremo Domino, ſubjacerent, tribuerat.

XII.

XII.

*Annon hodieq́; illud floret?*

Decrevit potentia *Zamorum* circa A. C. 1500. fracta potissimùm à Portugallis: qvi sedem mercaturæ Calecuto Cochinum, in vicinam urbem, transtulerunt. Sic igitur *Regnum Calecut ex maximô minimum factum: nec ipsum amplius hodie floret:* nisi qvòd Reges illius titulum *Zamoris* s. Imperatoris retinuerint.

XIII.

*Qvæ interim ratio succedendi in eodem valet Regnô?*

Defunctô Rege, illius *liberi Patri non succedunt* in Regno *Calecut*: sed *filius sororis*, qvòd illam Bramidam dicant, Princeps creatur.

XIV.

*Qvi Ordines Regni?*

Secundum Regem præcipui in Regno sunt *Sacerdotes*: secundi ab his *Naires*, qvi velut apud nos Nobiles: in tertia Classe sunt *mechanici*: qvartus Ordo habet *piscatores*: qvintus illorum est, *qvi piper, vinum & nuces colligunt*: in ultimo, *qvi oryzam seminant*, reperiuntur. Hi tamen ab aliis parvi penduntur.

XV.

*Qvæ Religio?*

Est *Pagana*. Unum qvidem Deum credunt creatorem cœli & terræ: fingunt tamen illum esse otiosum, mundiqve universi regimen Diabolo permisisse: qvem & cœlo ortum ideò judicem hominum fore credunt. Unde nec ipse

Rex Calecuti in Palatio ſuo Domum Orationum, figuris Diabolorum, qvi triſte ſane & horrendum ſui præbent ſpectaculum, repletam, habere dubitat. Sacrificatores illorum Bramidæ ſunt: qvi idola illa qvolibet mane roſaceâ aqvâ, diffusô coràm odoriferô liqvore, lavare tenentur.

XVI.

*Regna NARSINGÆ qvæ ſunt?*

Regna Narſingæ ſunt *Negapatan, Malipur, Bisnagar, Orixa*: qvæ qvidem omnia tractu illo comprehenduntur, qvem nautæ vulgò *Choromandel* appellant. Tanta igitur Regis Narſingæ perhibetur eſſe potentia: ut Regnum ejus intra ſex menſes vix circumiri poſſit. Longè enim inter Promontorium Comorinum & Gvadaverinum, ac inter montes Gatenſes & ſinum Bengalenſem extenditur: ita ut longitudo in 200. leucas abeat.

XVII.

*Qvi reditus ampliſſimi hujus Regni?*

Regem hunc 12. *auri Milliones* percipere asſerunt: vix tamen qvarta pars penes Regem manet: reliqvum ſiqvidem militiæ impenditur.

XVIII.

*Qvanta eſt militia?*

*Tanta eſt, qvantam vix ullus Rex habere poteſt.* Regem namqve Narſingæ 40000. Nobilium

lium ſemper in armis habere, ferunt. Qvum verò in caſtra eundum, multò majorem numerum habet cum ſtupenda Elephantorum multitudine. Certè, qvum Chesnatus Rex Narſingæ adverſus Idalcam exiret, exercitum plusqvam 600000. peditum & 66. mill. eqvitum, præter ſcortorum 2000. & 12. mill. aqvariorum, & incredibilem numerum lixarum aliorumqve hominum, eduxit.

XIX.

*Qvi mores gentis?*

Ditiores hujus Regni more Turcarum faſcias varii coloris in capite gerunt: plebs in veſtimentis pudenda tegit, reliqvum corpus totum relinqvens nudum. Nunqvam panem comedunt incolæ: ſed ejus locô carne & piſce utuntur. Mos & hujus gentis eſt: ut parentes liberos ſuos pro vili vendant pretio. Multi qvoqve, urgente necesſitate, ſe ipſos vendunt.

XX.

*Qvæ Religio?*

*Unum eſſe Deum autorem totius univerſi, & hi Populi norunt.* Diabolum verò ut autorem omnis mali colunt: cui & templa erigunt magnifica. Meretrices proſtant ibi, turpeqve lucrum in idoli ſui cultum conferunt. Sunt aliàs heic, ut in tota India, duo hominum genera: qvæ execrando huic idolorum cultui vacant, ac ſecundum ſimplicitatem conſcientiæ vivunt, *Baneani & Bramini*, ſive Brachmanes. Horum deteſtanda qvi legere cupit, is *GOTHOFRED. Archontol. Coſm. P. III.* adeat.

XXI.

*Regnum Peguanum qvodnàm ?*

*Est & ipsum unum ex amplissimis per Indiam Regnis* : qvod sinu Gangetico abluitur, Bengalæ proximum, ab urbe Tarcay usqve ad Promontorium Nigrais extensum. Subjectum illi præter alia Regna Regnum Avæ versus septentrionem, ut qvidam volunt: sed, peculiari id hodie gaudere Rege, *Scoutenius* testatur.

XXII.

*Qvando miserrimè Regnum hoc fuit desolatum ?*

Factum id Anno 1600. Ingruentibus scil. undiqve innumeris justô Dei judiciô calamitatibus, fame, peste, bello, ita destructum tunc Regnum Pegu: ut per multa milliaria nil nisi continua hominum cadavera spectantibus cum horrore occurrerent. Nunqvam similis accidisse integræ gentis internecio creditur. Imò & creduntur ea, qvæ de Judæorum sub Rom. de Hungarorum sub Tartaris excidiô leguntur, levia præ his esse.

XXIII.

*Anne & instauratum ?*

Ita instauratum hodie Regnum est Pegu: ut nulla tantæ cladis supersit memoria.

XXIV.

*Qvale imperium Rex habet ?*

*Merum & absolutum habet in suos imperium Rex Pegu.* Absolutus namqve Dominus est omnium ejusdem Regni ditionum: qvas pro

certâ pecuniæ ſummâ ſuis miniſtris elocat, vel in ſuſtentationem donat, hac tamen lege: ut in bello ipſi ſerviant.

XXV.

*Qvos ſolet inter alios cuſtodiæ ſuæ miniſtros habere?*

*Chriſtianos mille habere ſolet:* qvi omnia aulæ exeqvuntur officia, & qvibus Rex ſe tutò permittit.

XXVI.

*Qvi incolarum ſunt mores?*

Incolæ corpore nudo incedunt, velatis tamen pudendis: amoribus fœminarum valde indulgent, in qvarum gratiam campanulas aureas & argenteas gerunt. Omnis generis ſuperſtitionibus ac voluptatibus addictiſſimi mortales, indeqve bellis minus idonei: etiamſi agiles & robuſti ſint. Muſicam valde adamant, mechanicas artes planè negligunt, illisq; peragendis mancipia ſua alunt. In publicis Scholis, qvas habent, Religionem ſuam profitentur: ſcientias verò lingvâ peculiari, & à communi qvæ diſcrepat, docent, habitum corporis magnificum præ ſe ferentes.

XXVII.

*Qvæ opes?*

*Non mediocriter dives* eſt hoc Regnum: qvum magna heic copia ſit auri, argenti & ſtanni, & multis præterea ac magnis ſolum imprægnetur fluviis.

XXIIX.

XXIIX.

*Qvæ Religio ?*

*Idola boni & mali Dei venerantur.* Deum tamen & ipsi cœli ac terræ creatorem credunt: qvi bona malaqve munerum & pœnarum compensatione prosеqvatur. Habentur & ibidem ad Christianam fidem à Lusitanis conversi.

XXIX.

*Regnum Sian qvodnam ?*

Est *illud, qvod externo mari alluitur, magisq; versus Orientem situm Regnis Pegu & Arvæ terminatur.* Fuit hoc qvondam Regi Pegu subjectum, ut est apud *ERASM. FRANCISCI in Theatro.* Sed rursus se in libertatem vindicavit. Sedes Regia qvondam urbs fuit *Sian*: sed, qvum Hollandorum hodie commerciis sit celebris, jam sedes Regia est *Odia*, sita in parva ac rotunda Insula, campos habens fertiles. Ædes juxta Indiæ morem haut operosæ sunt structuræ: plurima tamen Cœnobia ac Templa cum multis deauratis turribus civitatem illustrant. Qvid? qvòd & splendidum ibi Rex Palatium habeat, urbsqve naturâ loci munita sit: adeò ut cum præstantissimis totius Indiæ urbibus comparari qveat.

XXX.

*Qvæ ratio Regiminis ?*

*Rex absolutô heic imperiô utitur, summoq; rerum omnium arbitriô gaudet.* Procerum tamen consiliô, si libuerit, uti solet. Omnes igitur

igitur incolæ mancipia heic ſunt Regis, idqve nomen etiam Magnates honori ſibi ducunt. Qvid? qvòd & ad pedes illius multi Nobiles ac armati ſatellites in genua procumbant. Nec minus etiam tam indigenæ, qvàm exteri, ad Regem admiſſi, genibus inſidere ac complicatis manibus caput ad terram coram illo demittere tenentur.

XXXI.

*Qvæ ratio ſuccedendi?*

*Defuncto Regi frater natu major è legibus Regni ſuccedit*, filiabus penitùs excluſis: ſed interdum ille, qvi potens in Regis familia, arripit imperium.

XXXII.

*Qvi Regni reditus?*

*Tanti ſunt reditus: ut ad aliqvot florenorum milliones aſcendant.* Terræ enim viſcera heic aurum & argentum aliaqve metalla ſubminiſtrant. Eſt & moſci odorati magna heic copia: habet & eqvos, elephantos ac piper terra: unde mirè Regni reditus creſcere posſunt.

XXXIII.

*Qvæ vires militares?*

*Aliqvot 100000. militum Rex facilè in aciem educere poteſt cum bis vel ter mille elephantis, ad pugnam inſtructis.* Naves etiam bellicas benè multas habet: nec tamen tormentis &

armis

armis ita satis instructæ sunt: ut contra Europæos se tueri possint.

XXXIV.

*Qvæ indoles Gentis?*

*Fallaces sunt Sianenses & valde mendaces:* viri in desidia & otio omne tempus terunt: uxores autem eorum, qvæ corpore robusto, omnes propemodum labores cum mancipiis exantlare coguntur.

XXXV.

*Qvæ Religio?*

*Incolæ sunt idololatræ*, atqve cum Peguanis omnis superstitionis, in illis locis usitatæ, autores esse creduntur. Vide sis *JODOCUM SCOUTENIUM in Descriptione Regni Sian de Anno 1636.* ubi omninò plura de hoc Regno ejusqve traduntur Religione.

XXXVI.

*Regnum deniq; Malacca qvodnam est?*

Est *Peninsulæ istius Regnum, qvæ, Regno Sian per Isthmum juncta, urbem Malaccam ad littus occidentale è regione Summatra habet.*

XXXVII.

*Qvando illud est conditum?*

Conditum est *diu pòst, qvàm reliqva Indorum condita essent Regna:* indeqve admodum recens est. Nempe qvum tractus ille insaluberrimus diu incultus mansisset, nec nisi casæ

ad littus piscatoriæ septem vel octo reperirentur, donec numerus, confluentibus ex Pegu, Sian, Bengala plurimis, augeretur; inter hos tandem convenit: ut novam urbem, novam Rempubl. novam lingvam, novasqve leges conderent. Urbem igitur *Malaccam* dixerunt: eaqve brevi tempore ita crevit: ut cum maximis & cultissimis totius Indiæ certaret urbibus.

XXXIIX.

*Qvid omnium maximè mirabile in eodem accidit Regno?*

Hoc omnium maximè mirabile accidit ibi: *ut Malaccani novam penitus lingvam excogitârint, elegantissimis aliarum gentium delectis vocabulis.* Tanta proinde hujus fertur esse svavitas ac elegantia: ut per universam hodie Indiam communis sit, nemoq; habeatur doctus, vel moribus excultus, nisi ejus sit peritus.

XXXIX.

*Anne idem Regnum suæ mansit genti?*

*Non mansit.* Nam, qvum Reges aliqvamdiu habuisset Muhammedanos, sub horum ultimo *Alphonsus Albuqverckius Malaccam Regi subjecit Lusitanorum:* qvibus iterum à Batavis ante aliqvot annos erepta. Atqve sic Hollandi possidere hodieqve Malaccam perhibentur.

XL.

*Qvi ejusdem gentis sunt mores?*

Inter

Inter mores vel præcipuus hic eſt: *ut virgines ſponſas peregrinis ſtuprandas offerant.*

XLI.

*Qvæ Religio?*

*Malaccenſes Idololatræ* ſunt. Malacca tamen Metropolis, à Portugallis ſuperiori ſeculo intercepta, atqve hodie qvidem egregiè ab illis munita, Epiſcopum habet & Jeſuitarum Collegium.

XLII.

*Sed qvæ univerſæ Indiæ amplitudo?*

In *longitudine* continetur Milliaribus circiter 600. in *latitudine* Mill. 450. habetqve ipſa fluvios nobilisſimos, *Indum*, hodie *Inder* & *Duil*, *Gangem*, nunc *Rio de Cantaon* dictum: qvi gemmifer, aurumqve volvit. Habet præterea India Hydaſpen & Hypaſin, Alexandri M. terminum.

XLIII.

*Qvæ ipſius ſoli per univerſam Indiam eſt qvalitas?*

*Fertilitate cœliq; bonitate reliqvas Orbis antecellit partes.* Binæ ibi meſſes, binæ æſtates: myrrham, thus, piper, cariophylla, zingiber, cinnamomum, nardum, aurum & argentum magnâ copiâ profert: gemmas qvoqve, margaritas, ſolaqve hebenum arborem habere dicitur.

XLIV.

## XLIV.

*Unde id deniq; evenire putas, ut in India tam numerosi exercitus colligantur inq; aciem educantur?*

Evenit id omne (1) *ex Regionum Indicarum fœcunditate.* Sunt enim illæ utplurimum rebus vitæ humanæ ſuſtentandæ neceſſariis abundantiores, ſuntqve copioſiores. è (2) *Victus, amictus apparatusq; bellici parandi facilitate.* Populi namqve Indici utplurimum minori qvàm nos Europæi contenti vivunt cibo potuqve: ſunt ciborum parci ſimplicesqve. Nos Europæi verò non ſolùm, ut nutriamur, edimus bibimusqve; ſed ut frigus à nobis arceamus: dum illi à cibo nihil præter nutrimentum recipiunt. Vinum, qvod apud nos pane carius, apud illos non reperitur: ipſorum aqvæ noſtris ſunt meliores. Ars culinaris apud ipſos non tam exqviſita, qvàm apud nos: nec eorum ſtomachus aſſvevit adeo opiparis deliciis. Nec inſumunt Indi tantum in veſtes, qvantum nos. Eunt ſeminudi in bella: nec præter pudenda aliqvid cooperiunt. Unde fit: ut apud illos non tanta artium artificumq; ſit freqventia, qvanta apud nos: ubi major elaboratarum rerum pars ad veſtes ac perſonarũ ornatũ pertinet. Ap. Indos porrò fiunt omnes prope expenſæ in panniculo ex goſſypio, qvi eos ab umbilico ad genua usq; tegat. Has ſanè ob cauſſas in India facilius qvadraginta, qvam apud nos decẽ militũ millia ſuſtentari poſſunt.

His

His adjungimus expenſas, qvæ in tormenta bellica, inqve eorum apparatum, in commeatum, in eqvos, in homines aliasqve res, qvæ ad gerenda reqviruntur bella, faciendæ. Hæc, hæc ignorat maxima populi Indici pars: illi præprimis, qvibus cum Luſitanis & Hollandis nihil eſt negotii, qviqve provincias mediterraneas inhabitant. Incedunt videl. Indi in bella nullis defenſioni aptis armis, inſtructi, absq; thoracibus, galeis, ſqvamis æreis & laminis, qvibus multum impenditur: nec ea ex uno in alium absqve impenſis vehi poſſunt locum. Qvid ergò mirum, qvòd Indi, qvum tot commoditatibus fruantur, urgente neceſſitate, tam ingentes exercitus colligere ac educere poſſint? Nos enim infinitis indigemus rebus, qvas illi ne qvidem nôrunt.

EXPLICIT
# TOMUS PRIMUS.

TOMI I.

Breviarii Historico-Politici

*Qvadripartiti*

# MANTISSA,

METHODO CONRINGIANA,

*paulò liberiùs licet immutatâ,*

omnium felicissimam

REIPUBL. CUJUSLIBET

*in*

ORBE HODIE-IMPERANTE

*cognitionem*

Per IV. Caussarum genera

*exhibens.*

VIRGIL.

Felix, qvi potuit rerum cognoscere caussas.

# MANTISSÆ
## CAP. I.
### de
### *Cognitione Reipubl. cujuslibet* per *suam* CAUSSAM EFFICIENTEM.

FOns omnis actionis FONSECÆ *Caussa Efficiens* audit: audit & ipsa illustri SCALIGERO Metaphoricâ denominatione alicubi *PATER.* Non immeritò proinde ut alibi, ita & heic illa primum sibi vendicat locum. Qvum autem regimen Reipubl. cujuslibet non possit institui, nisi sint, qvi regant, idq; omninò ad *causam Efficientem* pertineat, duplex ipsa & heic esse putatur: *principalis* alia, alia *minus principalis* s. *instrumentalis.* Qvod ad *principalem Caussam* attinet: in qvolibet actu civili ea homo est aliqvis. Qvapropter & ipsa in regimine Civitatis alicujus aliqvis est homo: ipse nempe imperans. *Caussa instrumentalis* itidem duplex est, *animata* vel *inanimata*. *Animata* rursus in *rationalem* dividitur & *irrationalem*. Etenim Qvæcunqve nos homines facimus, beneficiô alicujus instrumenti facimus: nihilq; sine eo poterimus agere. Homo homini pro instrumento est. Servus instrumentum est sui Domini, sed ἔμψυχον idq; ἔλλογον: qvod *Aristoteles* nos docuit *L. 1. Polit.* Sic & eqvus & bos

bos instrumenta sunt, sed ἄλογα. Dantur & *Caussæ instrumentales inanimatæ.* Pecunia est instrumentum inanimatum: qvod in multos nobis cedit usus. In universum res aliæ, s. artificiales, s. inartificiales, nobis in instrumenta cedunt. Utimur enim ligno, ære, ferro &c. sic itaq; cujuslibet in Orbe Imperante Reipubl. cognoscenda cumprimis *Caussa principalis*, qvæ est HOMO: Cognoscendæ & deinceps sunt *Caussæ instrumentales* omnes. Ad HOMINIS verò notitiam reqviritur heic: ut animum ejus & Corpus cognoscamus: qvomodo nempe *Caussa principalis* se animô & corpore habeat. Animum qvidem cognoscimus: Si attendimus ad intellectum & voluntatem: qvibus scil. virtutibus, præditus intellectus, & qvomodo voluntas se habeat, ad qvam virtutes morales pertinent. In Monarchia qvidem v. g. *Caussa principalis* est REX. Attendendum igitur heic sedulo: qvomodo ille se animo & corpore habeat: an sit imbecilli, an validô corpore: vitam longævam, an brevem possit vivere, &c. Ratione intellectus observetur: utrum sit prudens ac rerum suarum satagens, an verò stupidior rerumq; minus observans, &c. Cognoscere & heic debemus: Rex res suas num per plures ministros agat, an per unum saltem, qvem Ministrissimum vocant. Nosse refert: qvibus virtutibus moralibus sit præditus: justus sit, an injustus, liberalis, an minus; clemens, an immitis ac crudelis; temperans an intemperans. Est & inter

ter Ministros, si ad *Caussarum instrumentalium* considerationem pergimus, magnum discrimen. Næ majoris alii sunt autoritatis, alii minoris. Interim nosse Ministrorum primariorum ingenium maximè oportet. In rebus gerendis videl. magis refert Ministrorum primariorum nosse animum, qvàm ipsorum Principum. Reperiuntur & inter Caussas instrumentales res inanimatæ, inq; his occurrit cumprimis PECUNIA, rerum foris & domi gerendarum nervus. Ad plenam igitur Reipubl. alicujus notitiam reqviritur: ut attendamus, qvomodo in Republ. hac vel illa acqviratur pecunia, & qvomodo augeatur ærarium: qvemadmodum & colligi & expendi soleat pecunia. Rationem nempe redituum & vectigalium accuratè discere oportet. Qvum verò præter pecuniam multa sint & alia, sine qvibus vitæ civilis consideratio non rectè institui potest: cognoscenda heic insuper sunt PAX & BELLUM. Multa utiq; in qvavis Republ. pertinentia ad Bellum & Pacem occurrunt. Qvare in utriusq; rei notitiâ imbibendâ attendere oportet: an Respubl. satis instructa instrumentis bellicis? Notum autem est: ad bella reqviri tormenta bellica, gladios, hastas, bombardas, &c. Unde & nosse plurimum refert: num istis rebus omnibus abundet Resp. an verò destituatur. Tempore pacis exportanda & importanda in Republ. occurrunt. Nam, qvum non omnia omnis ferat tellus, cogitur, non raro Respubl. aliunde

im-

importatis uti; alia verò exportandis mercibus alteri succurrit. Dispiciendum igitur venit: qvomodo in qvalibet Orbis Imperantis Republ. ea, qvibus abundat, exportentur & hæc, qvibus destituitur, importentur. Ubi qvidem MERCATURA in considerationem maximè venit, eaqve vel per maria, vel per terras exercenda. Imò & PORTUS considerandi heic sunt: si qvi considerationem mereantur. Nec minus & investigandum: an Respubl. aliqva classe valeat, nec ne: num ligna & materia supersit; è qvâ navigia possint confici. Sic enim, v. g. Hollandia classe qvidem valet: materiam verò ex remotissimis terris petere cogitur. Anglia contrà & classe valet, & lignis aliisqve materiis, qvæ ad ædificandas naves spectant, abundat. Unde & longè faciliùs minoribus sumptibus sibi Classem parare potest.

## CAP. II.
### *de*
### *Cognitione Reipubl. cujuslibet*
### per
### *suam*
# CAUSSAM MATERIALEM.

C*aussa materialis* heic hominum est multitudo. Justo proinde ordine seqvitur: ut ipsos cognoscamus homines, qvi reguntur ad civilem beatitudinem: qvantus videl. populus

 sit,

sit, qvi regitur, vel qvis sit numerus Civium. Multum siqvidem refert nosse: utrum Respubl. constet magno, an exiguo parentium numerô. Cognoscere deinceps tenemur hominum illorum *qualitates*: qvæ aliæ *corporis*, aliæ *animi*, aliæ *fortunæ*. Qvod *corporis qualitates* attinet: homines utiq; plurimùm inter se differunt. Alii enim robusti, alii imbecilles; alii sani, alii ægroti: similiter alii ad tristitiam & melancholiam proni, alii non; alii his, alii illis corporis dotibus præditi, vel etiam nævis qvibusdam obnoxii. Potissimùm autem in considerationem heic veniunt *qualitates animi*: qvas populus vel â *naturâ*, vel ab *educatione*, vel â *consvetudine* habet. Ratione *naturæ* ingens est discrimen inter homines. Alii ingeniô stupidi sunt, alii dociles ac solertes: alii propensi ad ferociam, alii in metum, alii in audaciam sunt proni: Sunt enim cuivis homini â natura semina virtutum ac vitiorum inspersa: qvæ tamen diversimodè se habent. In *qualitatibus* deinde *animi*, qvas populus ab *educatione* & *consvetudine* habet, cognoscere tenemur: qvibus virtutibus ac vitiis populus potissimùm assveverit. Virtutes autem qvum aliæ intellectuales sint, aliæ morales, operæ-pretium erit cognoscere: qvemadmodum populus se ratione *virtutum moralium*, qvemadmodum & *virtutum intellectualiũ* ratione se habeat. Ratione enim virtutum moralium populus alius fortis est ac bellicosus, timidus alius; alius ferox;

ferox: alius temperans, voluptuosus alius ac gulæ deditus. Est & populus alius fraudulentus, alius æqvitatis amans & erecti animi: alius liberalis est ac hospitalis, alius avarus, morosus & ad rem attentus. Videas & populos nonnullos intellectuali virtute imbutos esse. Alii scil. sapientiæ dediti sunt, alii ejusdem osores: alii prudentes & callidi, alii stolidi, blitri & blenni. Ad Religionem qvod attinet: etiamsi Aristoteles ejus non meminerit, eam tamen & ipsam cognoscere oportet: qvomodo nempe in populo aliqvo se habeat. Alius enim populus verè est pius, alius superstitiosè talis: alius deniqve cultus divini est studiosissimus, alius parcus Dei cultor, alius planè Atheus. Qvemadmodum verò hæc omnia ad Caussam Reipubl. alicujus Materialem qvodammodo pertinent: ita etiam huc præter Bona illa Animi, *Bona fortunæ*, cùm *mobilia*, tum *immobilia*, cùm necessaria, tum minus necessaria, cùm utilia, tum ea, qvæ pertinent ad elegantiam, referenda. Inter immobilia in qvalibet Civitate ipsa est REGIO ipsaq; TERRA. In Regione verò Bona necessaria ac minus necessaria occurrunt: occurrunt Bona utilia ac ea qvæ faciunt nonnisi ad elegantiam. Regiones qvædam omnia habent, qvæ necessaria vitæ: qvædam his carent vel omnibus, vel aliqvibus: ut sic multùm circa hæc differant Regiones, indeq; aliis qvædam necessaria, victus scil. & amictus, desint, aliis omnia desint, aliis nihil horum desit. Si de-

ſint, aut omnia, aut qvædam neceſſaria aliunde ſunt afferenda. Poſſunt autem alia facilè aliunde afferri, qvædam non. Unde & plurimùm refert diſcere: qvemadmodum Regiones ſe reſpectu finium ac portuum habeant: an faciles habeant aditus & navium appulſus, & qvinam populi cum hac vel illa Regione communicare qveant, qvalesq; ſint, qvi communicare qveunt. Pertinet & huc *cuſtodia*: pertinent eodem clauſtra. Qvædam enim Regiones ita ſunt ſitæ, ut cuſtodiâ, ut clauſtris non indigeant; qvædam verò artificiali cuſtodia, h. e. Caſtellis, indigent. Qvædam in montibus ac rupibus, ad fluvios, ad maria, inq; aliis naturâ munitis locis ſunt ſitæ: ibi fruſtra qværas cuſtodiam. Qvædam verò arte ita conſtitutæ ſunt: ut hoſtes facilè depelli qveant. Indeq; optima Regio eſt: qvæ hoſtibus inacceſſa. Non verò æqve bona: qvæ hoſtibus patet. Pertinet porrò huc: utrum Regio aliqva facilè commercia inſtituere poſſit, nec ne? Ita namq; ſolet eſſe comparatum: ut aliqvæ Regiones plus habeant, aliæ minus. Hinc in aliis multa exportantur; in aliis multa importantur. Regiones qvoq; multum differunt ratione cœli & aëris. Aliæ enim ſunt ſalubres ac temperatæ, qvæ multos ferre poſſunt homines, aliæ cœli inclementis minusq; ſalubres. Ratione terræ aliæ ſunt fertiles, aliæ ſteriles. Ferunt nempe aliæ frumenta, oleum, Vinum, mella, metalla, arbores, &c. aliæ aut nihil horum ferunt, aut aliqva ſaltem de hoc ge-

genere. Talia omninò & alia, ad Chorographiam pertinentia, ſunt maximè àttendenda. Seorſim deniq; in Republ. ad Bona qvædam mobilia, qvibus & Reſpubl. plurimum differunt, reſpicere oportet: utrum videl. abundet Reſpubl. qvædam aurô & argentô, cuprô & ferro: utrum Regio dives ſit pecoris. Talia ſiqvidem cùm ad res gerendas, tum ad vitam hanc communem pertinent. Videntur & ad Cauſſam Materialem pertinere *milites*. Ubi obſervari debet: Militene domeſtico Reſpubl. utatur, an conductitio & externo: utrum vectigalia ei ſufficiant ad alendum militem externum, nec ne? Certè enim ſi Reſpubl. valeat vectigalibus, apta ipſa eſt ad gerendas res, præprimis ſi res gerenda milite ſit conductitio: ſin minus, talem alere neqvit militem, adeoq; ipſa inepta eſt rebus magnis gerendis.

## Cap. III.
## *de* *Cognitione Reipubl. cujuslibet* per *ſuam* CAUSSAM FORMALEM.

F*Orma dat eſſe rei.* Ita paſſim è Peripato Philoſophi. Eſtq; præcipua cujusq; rei pars FORMA: utpote ſine qvâ res eſſe neqvit. Næ omnis diſtinctio, omnis determinatio eſt à Forma: qvâ qvidem poſitâ res ipſa ponitur;

ſublatâ, res tollitur. Maximè proindè in ſingulis Orbis noſtri Imperantis Rebus publ. notanda eſt FORMA: ut ſciamus: qvomodo Reſpubl. qvælibet adminiſtretur, ac gubernetur. Videndum nempe heic: qvomodo ſe omnium poteſtatem ac imperantium ratio habeat. In qvalibet autẽ civili ſocietate duplex eſt *poteſtas* alia *ſumma* dicitur, qvæ debet autoritate ſua & juribus omnia dirigere ac gubernare, neminem præter Deum & enſem recognoſcens ſuperiorem. Sunt & *poteſtates ſecundariæ*: qvæ â ſumma autoritate dependent, ac nonniſi commiſſam & demandatam poteſtatem habent. Dici hæ ſolent Latinis ſcriptoribus MAGISTRATUS. In Romana namq; Lingva illi propriè Magiſtratus ſunt: per qvos tanqvam per inſtrumenta ſumma Poteſtas ſuum exeqvitur imperium; ceu Judices olim & præſides Provinciarum erant. Sic ergò FORMA Reipubl. alicujus conſiſtit imprimis in *ſumma Poteſtate*: deinde & in *Poteſtate ſecundaria*: qvò & *Judicia* pertinent. Qvid autem? Reqviritur omninò ad plenariam heic ſingularum Rerumpubl. notitiam: ut ſciamus, qvomodo ſe habeat ſumma poteſtas: deinde, qvomodo & Magiſtratus inferior ſe habeat. Summa Poteſtas circa jus ferendi Leges verſatur. Legiſlatoria enim poteſtas ſummæ eſt pars Poteſtatis: nec poſſunt Poteſtates ſecundariæ ferre Leges, niſi conceſſum ipſis â ſumma ſit Poteſtate. Verſatur deinde & hæc circa bellum & pacem: qvò & Fœdera pertinent. Verſatur circa ve-

ctiga-

ctigalia ac tributa indicenda. Versatur circa constituendos Magistratus. Circa vitam ac necem omnium Civium versatur: Versatur & in extremæ provocationis jure. Atq; adeò *Judiciorum* constitutio huc pertinet: qvæ fiunt vel de Bonis, vel de Capite Civium. Videndum itaqve: penes qvem summa sit potestas: videndum qvis potestatem habeat ferendi Leges: videndum, qvis tributa & vectigalia indicat, &c. si de his omnibus jam satis constet: is demum cognoscitur, penes qvem ipsa sit Majestas, summa illa nempe ubiq; potestas. Differt autem Majestas ratione *exercitii*, qvod Græci χρῆσιν vocant, & ratione *possessionis*, qvæ Græcis dicitur κτῆσις. Interdum tota est penes *unum idemq; Subjectum*: interdum eam non habet *unus*, sed aut *pauci* iiq; *optimates*, aut *multi*, iiq; non *singuli*, sed *universi*: interdum autem eandem totam nec habet unus, nec pauci, nec multi, sed *ex parte, ex parte non*: qvalem habent *Respubl. mixtæ*. Valde tamen diversimodè & hæ ipsæ se habent. Nam alibi *ex æqvo* Majestas est divisa, alibi *inæqvaliter*. Id qvod usu in plerisq; Europæis venit Rebuspubl. Sic itaq; attendendũ heic: an status Reipubl. alicujus sit mixtus, an simplex si mixtus, an ex æqvo, an inæqvaliter mixtus. Attendendum item, qvemadmodum se habeat ratio secundariorum Magistratuum, tam sacrorum; qvàm profanorum: qvæ iis sit autoritas, qvis modus constituendi: qvemadmodum & ipsa Judicia constituta habeãtur. Est enim &

Magi-

Magistratuum inferiorum & Judiciorum constituendorum ratio pro diversitate Rerumpubl. alia atq; alia. Interim primario respiciendum in qvalibet Republ. ad Summam potestatem, penes qvem ea ipsa sit; an penes unũ, ut in *Monarchia*; an penes paucos optimates, ut in *Aristocratia*; an penes multitudinem, ut in *Democratia*; an & penes plures divisim, ut in *Republ. mixta*. Cumprimis accuratè modus Regiminis est attendendus: an violenter, an benignè, & qvibuscunq; tandem modis Respubl. aliqva administretur.

## CAP. IV.

## *de* *Cognitione Reipubl. cujuslibet* per *suam* CAUSSAM FINALEM.

F*INIS* dicitur â *finiendo:* Siqvidem actionem reliqvarum Causarum finit ac terminat. Unde & omnium Caussarum *Nic. VIGELIO* in *Dialect. Juris* est potissima: omnium Caussarum Caussa *ARISTOTELI:* maxima & perfectissima *CORASIO*. Metaphoricè *SCOPUS* dicitur, seu *META:* qvia non secus, ac sagittarii ad scopum sive metam præfixam dirigunt suum ictum, Caussa Efficiens unicè Finem respiciat, & ad eum obtinendum omnes actiones dirigat. Sic igitur & ipse SCOPUS in qvalibet Republ. attendendus venit: qvem sibi impe-

rans

rans præfigit, ut ad eundem in administratione Reipubl. suæ respiciat. Rectè autem ultimô locô & Scopus Reipubl. & qvæ pertinent ad scopum illius, considerantur. Nam etiamsi Finis sit primus in intentione, ultimus tamen est in executione. Qvicqvid sit: inter omnes tamen Politicos cordatiores constat *in omni Republ. Scopum esse debere talem, ut cives vitam vivere possint beatam, qvæ in operatione virtutum ac sufficientia rerum consistit.* Debet ergò exactè inqviri: qvomodo se habet Reipubl. cujusvis scopus: an in hac vel illâ Republ. cives vitam beatã vivere possint ratione virtutis, & qvemadmodum homines se habeant ratione sufficientiæ: an ita vivatur, ut Cives Virtute sint præditi, qvâ debent; an omnium rerum habeant sufficientiam. Ut autem in vita privata multum aberratur â Scopo: ita in Rebuspubl. qvoq; fieri solet. Multi enim pro Scopo non habent beatitudinem civilem, sive ut omnium ex æqvo utilitas qværatur. Sed in multis Rebuspubl. primùm utilitas dominantium, subditorum secundariò & per accidens, qværitur. Talis meta v. g. in plurimis Asiaticis & Africanis Dominatibus præfixa habetur, inq; eadem omninò vera beatitudo versari creditur. Vera autem beatitudo Reipubl. cujusvis in hoc consistit: *ut qvælibet Respubl. exerceat virtutem in rerum omnium sufficientiâ.* Sic ergò plurimùm refert scire, num Respubl. qvædam Scopum illum habeat, qvem habere debet, reapse sibi propositum, an â Scopo suo aberret: præ-

pri-

primis ubi & Respubl. qvædam pro Scopo *magnam* habeant *potentiam* : in qva tamen nec vera posita est beatitudo. Ita Romani olim pro Scopo Reipubl. suæ latitudinem imperii habebant: habebant & eundem Scopum, observante id *Aristotele*, Lacedæmonii. Hodie talem Scopum Turcarum Imperator sibi habet propositum : habet & talem Scopum hodie, Gallus. Is qvippe, non contentus acqvisitos â Majoribus terminos tueri, alias atq; alias ditiones adjicere Regno suo qvàm maximè studet, diu universalem Monarchiam meditatus. Non sanè qviescere ipse potest : sed cotidie imperium extendere cupit, putans, se tum demum beatum esse, si latissimum per fas & nefas nactus fuerit Regnum. Aliæ verò aliter sunt, constitutæ Respubl. Rebus enim suis dum non sunt contentæ, huic rei unicè student : ut magnas divitias acqvirant. Pro Scopo igitur opulentiam habent : qvali qvidem ingenio magna Emporia esse videmus. Habere hunc Scopum in Italia Genua videtur : cui cognomen *superbæ* inditum. Etiam Venetiæ, Belgium fœderatum, hunc habere Scopum videntur. Utriusq; enim Reipubl. Ratio Status præcipuè in commerciis consistit: ê qvibus propullulãt divitiæ. Aliæ deniq; Respubl. pro Scopo *Voluptatem* habent, ut olim Sybaritæ, qvorum perpetua Lex erat: NEMO NOSTRUM FRUGI ESTO. Dum verò in Voluptatibus nonnullæ Respubl. versantur, graviter circa Scopum errant : qvi *ultimus* in rectâ Republ. salus est civitatis; *intermedius* virtus ac rerum omnium Sufficientia. Ut bene

bene nempe ſit populo,curare magnoperè bonus princeps ſtudet,eòq; omnia media dirigit. Qvare & conſiderandum heic venit: qvibus *Mediis* Reſpubl. qvælibet utatur: an iis, qvæ ad acqvirendum ſunt idonea; an his, qvæ & ad obtinendum Scopum plurimum valent. Pertinet huc RATIO STATUS: qvã & ipſam excutere oportet: ut ſciatur,qvod INTERESSE hujus vel illius ſitReſpubl.Qvid? qvòd eòdẽ *illuſtres Prætenſiones* ſpectent:ut cognoſcamus, qvæ jura in hanc vel illam terram magni Prin cipes prætendant,& ê qvibus Fundamentis ris ipſi prætendant. Certè autem,qvantò ſu limior Princeps ſuis ſubditis, tantò plus me menti in cognoſcendaRationeStatus præ aliarum actionum omnium cognitione eſt ſitum. Poteſt qvandoq; Princeps circumveniri: poſſunt Conſiliarii corrumpi: Sola Ratio ſtatus nunqvam fallere ſolet Principem: Sed,in qvantum bene vel malè attenditur,in tantum Status ejusq; incrementum aut decrementum ſuccenturiatur. Qvumq; cujuslibet Status Ratio in amplificatione,aut ad minimum in conſervatione Reipubl.conſiſtat: utrinusq; ſanè rei conſeqvendæ ergò tempori illa inſervit. Qvisqvis ergò Rationem Status modernorũ in Europa Principum horumq; illuſtres prætenſiones penſitare velit: non eſt cur altiùs hanc rem repetat,ſed rerum præſentem ſolummodò Statum ad *Trutinam* illam *Statuum Europ.* expendat,qvam ſcripſit olim illuſtriſſimus *Dux de Rohan*, inq; gratiam deinceps Studioſæ Juventutis,dilucidis *Annotationibus* ê præſtantiſſimis noſtri ſeculi Hiſtoricis ac Politicis auctam & illuſtratam, pro Compendio Notitiæ Status hodierni,per Germaniam potiſſimùm edidit *Jos.* ARNDIUS.

# TANTUM!

INDEX

# INDEX RERUM.

## A.

ABysſinorum Imp. titulus 196, 199
Abysſinum Imperium qvodnam 194
Abysſini Imperii forma 199
hoſtes 202
militares vires 200
opes 200
Ratio ſtatus 199
Religio 200
Scriptores 203
Academiæ Anglicanæ 466
Accentuum gradus in lectione Sin. 264
Acidulæ multæ in Japan 277
*Acoſtæ* hiſtoria Americana laudata 361
ADEL Perſis qvid 737
Æſtus marinus unde 451, ſqq.
Æthiopia interior & exterior 195
Agæ Turcarum 130
Agarenorum Imperium 108
Alkoranis editiones 135
nomen 134
Alphonſinæ Tabulæ 55
Alſatia acceſſit regno Galliæ 438
Americanorum ſervitus 307. Religio 366
Americus Veſputius continentem detexit terram 304
Americam vocant Hiſpani Indiam *ib.*
occupandi jus num Hiſpanis competat *ib.*

Ame-

Americanum regimen 344,368
Americanorum gentium origines 358
America pars terræ qvota? 355. qvanta ib.
dicitur Novus orbis 356
dividitur qvomodo ib.
Americæ incolæ qvotuplices 363
incolarum naturæ & indoles 365. ſ.
nomen ab Americo 358
ſtatus ſcriptores 360, ſq.
tribunalia 368
Anabaptiſtæ 470
Anglia dicatur unde 443
Inſula eſt 448
Angliæ memoria ap. priſcos Scriptores 443,448
Anglicæ lingvæ affinitas cum German. 450
Anglicana ſocietas regia 464
Anglici regni bonitas 455
diviſio 450
factiones duæ 473
familia hodie regnans 478
fluvii 451
forma antiqvior 472. poſt regicidium 487. hodierna 495
incolæ qvam numeroſi 457
judiciorum ratio 505
jus belli ac pacis 502, ſqq.
maris piſces, & piſcatio controverſa 455, ſqq.
miles perpetuus 504
parlamenta 497
periodi 449
portus 450

An-

Anglici regni prætensiones 508
Protectoratus 487
ratio status 506
religio 466
scopus 508
scriptores 510
vires 460
Anglorum æmulationes cum Gallis 509
antiqvitas 443
commercia 459
divitiæ 460
habitus corporis 457
indoles 457
mores 461
nauticæ rei peritia 458
opificia 459
studia 461
Anonymus de Ministerio Richelii & Maz. 416
Antinomiani 470
Antiscripturiani ib.
Appellatio in Polonia 659
Aqvila signum Imperii R. G. 99
biceps per qvem facta? ib.
coronata qvare? 100
crucem, globum &c. cur teneat ib.
Romana cur vocetur 101
Archiducum Austriæ titulus 69
Archi-Episcopi Hispaniæ 338
Arragoniorum libertas 335, 336
Reipubl. forma 336
Astrologiæ nimis dediti Japanenses 278
Atheismus Mandarinorum 268

Atheis-

Atheiſmus Triumfatus Campanellæ 311
AUGUSTI titulus 76
Aurea Bulla unde dicta 89
à qvo ſancita 90
num in dubium vocata ib.
Auſtriaca domus competit regnũ Poloniæ 649
Auſtriaca familia Imperatori Romano eligendo deſtinata 66
Auſtriæ Archiducum titulus 69
Αὐτοκράτωρ dici voluit Ruſſorum Imperator 153

B.

Baleares Inſulæ 342
Balthici maris dominium 588
nomen 575
Bani Hungarorum qvi 727
Baptiſmus Æthiopum 202
Baptiſmus Turcarum in fraudem legis Janizarorum 125
Barclajus Scotus 514
*Barclaji* Icon & Argenis laudata 516
Baſſæ 131
Beglerbegi Turcarum 130
Belgarum ab Hiſpanis defectio 317
regimen olim Hiſpanicum qvale 343
Bellum ſacrum 310
Bibliothecæ Angl. 466
Boruſſia regni Polon, portio 704
Brachmanes 224
Bremenſis civitas num civ. Imperii 622
Britannia unde dicatur 442
Britanniæ M. hiſtoria in compendio 445
Britanniæ M. regnum cur vocetur 443, 447

Britannia qvot & qvænam regna comprehendat 444, sq.
Britannici mares pisces 455

C.

Cadavera mortuorū comburentes Tartari 243
Cadilesqviri Turcarum 131
Cæsaris titulus 76
Calecut regnum Indiæ 738. ejus religio 739
Calipha qvis. 108,164
Caliphatus Togranus & Aladinius 109
Calliditas ad res novas moliendas apta 210
Camenecia fortissima urbs 696,708
Camera Imperialis 96
Campanellæ liber de Monarch. Hispanica 310
fatum 311
Capetinga Francorum linea 393
ejus periodus 399
Capitulandi jus 93
Capitulationes Imperat. 90
num derogent majestati imper. 92
Carolinga Francor. linea 393. ejus periodus 399
Carolus M. origine qvis 40
Carolus Stuartus infelicissimus Angliæ R. 478
qvo jure ad imperium pervenerit 41. sq.
Castilia qvas provincias contineat 314
Castiliani regiminis forma 336
Cataja 244
Catholici qvinam 73
Regis titulo qvi primus usus 300
Chan s. Cham Tartariæ princeps 236
Chanes Persarum 178.236

Chi-

Chiaufi Turcarum qvi 131
Chriftiana religio cur invifa Japan. 280
Americanis 366
*Chriftianiffimi* Titulus Regis Galliæ 396
Chunchoa & Chunqve 250
Circuli Imperii 72
Circumcifio apud Æthiop. utriufq; fexus 201
Cives Imperii Romano-Germ. qvinam 70
qvotuplices 71
Regni Polonici qvinam 673
Civilis prudentiæ difciplina 2. fqq.
fructus 11
præcognita 10. fqq.
Claffes Hifpani præcipuæ 350
Claffes Imperiales tres 81
Clerici Poloniæ num jurifdict. civili fubfint 660, fq.
Codex Henricianus 419
Columbus orbis novi detecti autor 302
Comœdiis exagitantur Turcæ originarii 116
recreantur Japanenfes 278
Comes ftabuli in Anglia 505
Comites ftabuli in Gallia 398
Comitia fugiunt Monarchæ 410
Comitiorum Imp. Rom. G. inftitutio penes qvem 80. proceffus 83 propofitio 81
Polonicorum conftitutiones 665, fqq.
Scoticorum ratio 623, fq.
Svecicorum ratio 614
Commerciorum ftudium ap. Anglos 459
Conftabiles 506

Con-

Conjunctio regnorum vide *Regna*.
Consilia plura Galliæ 417. Hispaniæ 338
Constantini M. Solœcismi politici 35, sqq.
Consvetudines in Gallia prævalent juri 419
Conventus Deputatorum 83
Cosacci conducti à qvo primum 686
dicti olim Saporohiani 689
ortum unde trahant 687
Polonis militarunt olim 689
species sunt militiæ Polon. 686
unde vivant 688
Cosaccorum nomen unde *ib.*
nomine qvi veniant 687
Cromvvellius qvis & qvalis 488
Curiæ Imperiales tres 81, sqq.
Curlandiæ Dux Vasallus Poloniæ 707

D.

Dani olim potentiores Svecis 562
tempore Taciti subjecti Svecis 599
Daniæ divisio à Svecia 549
in plura regna 569. in partes 572
insulæ 575. nomen unde 567
reges ex Holsatiæ Ducibus sumti 551
ex Comit. Oldenburg. orti 552
regum titulus 569
terræ bonitas 578
Danici regni amplitudo 567
belli negotia 565
consilia 567
fama prisca 556
feudalia 558. fines 572
judicia 564
mili-

militares vires 566
munimenta 565
mutatio 559
ordines 580
pacis negotia 563
ratio ſtatus 592
reditus 566
religio 564
ſcopus 591
ſcriptores 592
ſucceſſio 554
vicinus metuendus 562
Danorum indoles ac mores 578
lingva 579
Dardanellæ ſunt clauſtra Imp. Turc. 122
Dauphinus Galliæ 426
Dayri Japanenſium 287
Delphinus Galliæ 426
Deputatorum conventus 83
cur inſtituantur 84
qvotuplices *ib.*
Divan Turcarum 129
Domus Angl. inferioris membra 501
ſtatus tempore Cromvvelli 501
vis in comitiis 500
Superioris autoritas 499
claſſes 498
reſtitutio & abolitio 494, 500
Domus Angl. utraqve Regi concedit votum tantum negativum 502
Ducatus qvid 19
Ducatus Galliæ 421
*Duns*, Joannes, Scotus 515

Eccle-

## E.

Ecclesiastæ Russorum indocti 149
Electio Imp. Romano-Germanici 57
penes qvos fuerit ib.
Electio regis Polon. Piastea 636
Electio regis Polon. facta loco qvonam? 643.
per nobiles ib. in qvo subjecto *ib.* per suffragia 642
Electoralis Collegii initia 58
Electores Ecclesiastici cur additi 60
Ecclesiasticos cur nepotes vocet Imperator ib.
qvomodo vocet Imperator ib.
Electorum Ecclesiasticorum constitutio 62
ordo ib.
Electorum numerus 61
ordines 60
secularium constitutio 63
ordo ib.
Episcoporum Angliæ autoritas 499
Poloniæ constitutio 653
Scotiæ auctoritas 528
Escurial, Monasterium 345
Estonia 606
Europææ Politiæ 21
Exarchi 39

## F.

Feudalia regni Danici 558
Fez Regni conditor 205
urbs magnifica ib.
Fez-Maroccanum Imperium qvodnam 204
qvando coaluerit 206
Fez-Maroccani Imperatoris nomen 206

Imperii divitiæ 212
familia 208
forma 211
militia 213
periculum 213
potentia 212
religio 214
ſcopus 210
ſcriptores 211
vires 213
Finlandia 606
Finmarchia 585
Fionia 575
Fluxus & refluxus Marinus 451, ſeq.
France Comté 353
Francicum Regnum unde dicatur 390
Francorum nomen unde 392
familiæ tres in Gallia regentes 392
Fünen 575
G.
Gallia dicatur unde 390
Galliæ amplitudo 425 bonitas 424
Rex qvis primus Chriſtianus 396. competitor regni Polonici 650
Gallici regis titulus REX FRANCIÆ 391 CHRISTIANISSIMUS 396 PRIMOGENITUS ECCLESIÆ 397
Gallici regni adminiſtrandi ratio 416
conſiliorũ diviſio tempore Merovingorũ 395
Ducatus 421
numerus 417
factiones olim duæ 403
familiæ tres 392

Gallici regni forma 409. hostes 439
judiciorum ratio 418
juris & justitiæ ratio 41
militiæ ratio 420. nomen 390
ordines 421. periodi qvot 394
prætensiones 433
ratio status 431
reditus ac opes 418
religio 441
scopus 416. scriptores 386
status florentissimus sub qvonã 404
status Monarchicus absolutè à qvo introductus 405. ex qvo eluceat 412. à qvo perfectus 413
successio hæreditaria 426
Gallorum indoles 422
virtutes & vitia 422.sq.
Gedanum Poloniæ ocellus 680
Geographia non considerat historiã politicã 4
Germaniæ libertas summa 84
Germaniæ regnum an proprie dicatur Imperium Romanum 49
Germanus solum Imperator eligendus 54
Geti alii sunt à Gothis 596
Gingis-Chanismus qvid 167
Gothia qvænam sit 605
Goti differunt à Getis 596
Gothorum reges cur Dani vocentur 576
Graduum promot. apud Sinenses dignitas 268
Græca religio ap. Polon 715. Russos 149
Grandes Hispaniæ 346
Grœnlandia qvæ? 586. num hodieq; cognita 587

Groenlandica Batavorum ſocietas 587
Guſtaviana Svecorum familia 600
Gynecocratia in Polonia 645
H.
Habaſſenum Imperium *vide* Abysſinum.
Habasſini unde dicti 149
Halecum copia in mari Britann. 455
piſcationis controverſiâ 456
Hamburgum num Dano ſubjectum 589
Helvetii milites Gallorum conductitii 420
Hibernia qvomodo occupata ab Anglis 541
Hiberniæ amplitudo 534
cognitio 534. incolæ 534
juridici 544. leges 545
metropolis 535 militaris magiſtrat9 545
nomine qvid intelligatur 533
nomina 534. opes in armentis 536
principes ſ. magnates 543. provinciæ 535
reipublicæ adminiſtratio 542
ſcopus 543. ſcriptores 545
ſoli qvalitas 535
ſtatus eccleſiaſticus 450. politicus *ib.*
tribunalia 544
Hibernorum indoles 537. ſtudia *ib.*
Hiſpania in XIV. regna olim diviſa 313
Hiſpaniæ reges uſi titulo Imperatoris 311
regna tria præ ceteris clara 314
regum primogeniti vocati infantes 347
Hiſpanicarum rerum ſcriptores 293
Hiſpanici regni inter alia primitas 292
amplitudo 312
adminiſtratio qvoad ſacra 338
res civiles *ib.* conſilia plura 338, ſqq.

dicasterium supremum 345
fatales periodi 298. forma 334
fundator Ferd. II. 299, 301
gubernatores 340. hostes 352
incrementum ac decrementum sub Philippo II. 315
metropolis 345. opulentia 349
potentia militaris 349
prætensiones 354. sentẽtia contr. 330
Pro-reges 340. Proceres 346
reditus 349. scopus 333
sedes perpetua 344
successio hæreditaria 347
Hispanorum arcanum 332
indoles & natura 319
religio 352. studia 322
vitutes morales & intellect. 321
Politica 330
Historiæ politicæ disciplina qvænam 2, sqq.
Holsatia obstricta Daniæ Regi 590
Holsatiæ Duces creati reges Daniæ 551
Horda Tartaris qvid? 235
Hospodari qvi? 730
Hugonotæ qvinam 403
unde dicti *ib.*
Hungaria olim Pannonia dicta cur 718. Jurisdictioni Imperii Rom. subfuit 719
Hungarici regni cancellarii 727
destructio 722. diœceses 727
divisio 718. facies hodierna 625
fines 717. forma 726
judicia 727. ordines 730

pro-

provincia avulſa 723
terræ bonitas 729. ſcriptores 731
reditus 728. vires & propugn. 729
Hungarorum indoles 729
monarcha prim9 qvis 720. opes 728
rex primus qvinã 721, reges exteri 721
Hunni Pannoniis imperantes 720
Huſſari qvi 686

I.

Jacobitarum religio num penes Æthiopes 201
Jacobus VI. Rex Angliæ 476, ſq.
Janizari qvid & unde dicantur 124
Janizarorum militia unde ſumatur 125
Janizaros metuit Turca 120
qvis primus inſtituerit 124
Japan an una qvædam ſit inſula 275
inſulæ amplitudo 276. bonitas 277
populoſitas 277
Japanicum Imperium 274
Japanenſium animi recreationes 278
habitus corporis totius 279
indoles 288 lingva 279
mores 278 religio 279
Japanici Imperii adminiſtratio 282
aula ac ſedes 282 forma 280
Japanici Imp. militares vires 283
motus qvomodo præcaveantur 282
populus in ordines diviſus 284
reditus 283 ſcopus 281
ſcriptores 288
Jejunio franguntur Abysſini 200
Jeſſo terra 276

Illuminatorum Secta in Hispan. 325

Imperator Romanus qvalis eligendus 54, s.
è qvæ familia eligendus 66

Imperatoris Romani creatio 76. coronatio 77
insignia 77 nomina & titul. 75. sq
potestas 78

Imperialis constitutio 54

Imperia adhuc incognita 9

Imperii occidentalis translatio ad Germanos 43, sq.

Imperii Rom. Germ. cives 70. vide & Cives.
claustra 98
forma qvænam 86
leges fundamentales 89
hostes 97. potẽtia navalis 99
prætensiones 97
signum Aqvila 99. vires 98

Imperiorum notitia ad qvam disciplinam pertineat 2. notitiæ fructus 11

Imperium qvid 18, s.

Imperium Romanum, Turcicum, Russicum, &c. vide Titulos.

Imperium occidentale qvamdiu in familia Caroli M. 53

Independentes in Anglia 468, sqq.

India appelletur qvid 732. Orientalis tantum est 734

Indiæ amplitudo 748. regna præcipua 735

Indiæ regnorum conditor 735

Indiæ scriptores 733. soli qvalitas 748

Infans regni Hispan. qvis 347

Ingria qvænam 606

Inqvisitio Hispanica 326
à qvo cœpta & perfecta 327
à qvo descripta 328
contra naturalem æqvitatē facta *ib.*
Inqvisitiones in America 367
Instrumentum Pacis 94
Instrumentum Protectorium Cromvvellii 490
Irrlandia dicta Hibernia 534. vide *Hibernia.*
Islandia 585. an sit Thule 586
Judæi in Polonia qvando recepti 716
Judicia Imperii Rom. suprema 95
Juridici Hibernorum 544
Juris ratio in Gallia 419
Jurium publ. notitia unde petenda 31
Justitia hic Arragonum 335
Jutia meridionalis 573
septentrionalis *ib.* ejus bonitas 578
Jutiæ respectu qvatenꝰ infestari possit Dania 577

K.

Knesii Russorum 147,148
Kunkam regna Indiæ 736

L.

Leges fundamentales Imperii German. 89
Lex Salica qvænam 429
unde dicta *ib.*
Legis Salicæ autor 430
controversia 430,431
Levellerii in Angl. 471
Latrociniorum studiosissimi Hiberni 537
Lechus Polonorum conditor 632
Libertas summa Arragonum Cataloniorum 334,sq. Germaniæ 84

Ligæ ſanctæ cauſa occultior 400
eventus 402 402
incrementa 402 initium 401
Lingva Hiſpanorum in tractatibus 332
Malaccanorum nova 747
Literatura Runica 580
Sinenſium 261
Lithuaniæ accesſio ad Poloniam 700
amplitudo & diviſio *ib.*
Livonia hodie juris Svecici 607
olim portio Polonicæ 705
Lotharingia eſt feudum Imperii Rom. 438
Lotharingiam ſibi tranſſcribit Galliæ Rex 437
Ludi Schachici inventores 175
Ludovicus XIV. Galliæ R. dictus ADEODATUS 394
Luſitaniæ amplitudo 370
nomen unde 370
regnum qvinam 369 ſitus 370
Luſitanici regni divitiæ 375
hoſtes 382. forma regiminis 380. fluvii inſignes 371. judicia 381. militares vires 375. 382
populoſitas qvæ olim & nunc 373
portus 372
reditus adminiſtrati 381
ſcopus 378 ſcriptores 383
ſecuritas 372 ſtatus Politicus 376
urbes majores 372
Luſitanorum indoles 374
religio 374
Lutherana in Polon. religo 713


Ma-

## M.

Madritum 345
Magi Perſarum 187
Magia Runica 580
Maicampus 410
Majoricæ Inſulæ regimen 342
Majores Domus in Gallia 398
Malabar regna Indiæ 738
Malucca regnum Indiæ 746
Malta Inſula 342
Mandarini Sinenſes 264, ſq. athei 268
Maris Balthici nomen 575. dominium 588
Maris dominium 456. 588
Maroccanum Imp. vide Fez-Maroccanum.
Marocco urbs 206
Maſoviæ ſitus 703
Mauri 299
Mazarinus Cardin. 414
Mediolanenſis Ducatus regimen 342
Melanchalia balneum Diaboli 325
Melancholici ſunt Hiſpani 320, 322
Merovinga Francorum linea 392
ejus periodus 395
Meſgidæ 168
Meſſina urbs 341
Metalla Angliæ 455
Galliæ 424
Miltoni defenſio populi Anglicani 485
Minoricæ Inſulæ regimen 342
Mogol Magnus è qvo ſangvine 216
Mogolici Imperii adminiſtrandi ratio 222 conſtitutio 216

divisio in regna & provincias 217
forma 222. hostes 223
juris dicendi ratio 223
militares vires 219
nomen 215. opes 224
prætensiones 224
ratio status 223
religio 224. scopus 221
scriptores 226. sedes 218
vastitas 215
Monarchiæ Qvintæ affectatio Hisp. 308
affectatæ media 309. prætext9 309
Monarchomachi unde dicti 531
Mortuos comburentes Tartari 243
Mosci qvi olim 143
Moscoviticum Imperium *vide* Russicum.
Moscua qvando sedes Impp. Russ. 142
Moscus competitor regni Polonici 647
Moslemanni 106
Mufti Turcarum qvis? 131
Muhammed qvid significet 104
qvis natione 105. professione *ib.*
Muhammedani 106
Muhammedismus 105
Muhammedicæ religionis varia methodus 191
Mursæ aut Myrsæ ap. Tartaros 238

N.

Narsingæ regna 740
Nauticæ rei studium apud Anglos 458
Neapolitani regni administratio Monarch. 340
Negusch Magnus dicitur Rex Æhiop. 199
Nobiles num puniat rex Poloniæ 659

Nobilitatis ratio ap. Tartaros 238
Nobilium Polon. generalis expeditio 681
  num ſublata hodie 685
Norvegiæ amplitudo 582
  bonitas 583. nomen 582
  populoſitas 583. provinciæ 585
  qvalitas 583. ſucceſſio 554
Novi Orbis detecti annus 302, 358
  auctor Columbus 302
  cauſæ impellentes 303. ſitus 356
Novus Orbis qvo ſenſu dicatur America 356
Novitatis maxime ſtudioſi Angli 462
Nuncii terreſtres in Polon. 665

O.

Oldenburgici Comites creati reges Daniæ 552
Orbis imperans qvid ſit 8, ſqq.
  Imperantis ſcriptores 12, ſ.
  Imperantis notitia qvid differat ab hiſtoria politica 4. unde haurienda 8
  qvotuplex ſit 12
Orbis novus *vide* Novus.
Ordines Imperii 70, ſqq.
Oſman vel Othman 110
Oſmanica Porta *ibid.*
Oſmanicum Imperium 109
  unde dictum *ib.*
Oſmanidarum progreſſus 111
Oſt-Zee 574

P.

Palatinus Rheni unde dictus 65
Pannonia ſuperior & inferior 716
  unde dicta 718

vide

vide plura in *Hungaria*.
Pannorum confectio ap. Anglos 460
Papæ Romano nullum jus in Imperium 44, 52
Papen in Russia 149
Pares Regni Gallici 405. capite qvoq; puniuntur 412
Parlamentum Angliæ qvid 497
qvomodo dividatur *ib.*
Parlamenta Galliæ qvid 406. in Comitiorum locum surrogata 411
Parlamentorum Galliæ numerus 407
origo 407
Parlamenta Scotiæ 522
Patriarcha Moscoviticus 148, 154
Pax Religiosa 94
Peguanum regnum 742
Persarum fori ratio 182
historia & scriptores 158
Regnum priscurum familiæ 162
successio hæreditaria 180
Turcarumqve Schismata 186, 188
Persici Imperii autor 162
Ecclesiasticus status 187
forma 179 hostes 185
metropolis olim Bagdad 165
militia 183 ministri Aulici præcipui 181
nomen 159, 160
periodus fatalis prior 163
prætensiones 185 provinciæ 177
reditus 182 Ratio status 184
regiminis olim ratio 162. hodie 181, 192
renascentia 164, 272

scopus

scopus 178
sedes 174
scholasticus status 192
termini ac fines 176
vires militares 183
Pesqvisa Hispanorum judicium 345
Philosophi rempubl. Sin. administrant 268
Philosophia Sinensium 258
Piastea in Polon. familia unde 635
Piastea electio qvænam sit 636
Piscatus halecum in Dania 583
in Scotia controversus 456
Podolia portio qvondam Poloniæ 708
Politiæ Europæ 21, sqq.
Politicæ historiæ disciplina 2, sqq.
Poloniæ bonitas 709. divisio 699. fluvii præcipui 709. situs 709
amplitudo 699
cives genuini 673
claustra 699
comitia 699
Polonici regni abbates & episcopi 653
competitores 647
fama 673
judicia 657
jura 662, sq.
membra 672
miles auxiliaris 694
conductitius 684
militares vires 681
militia mercenaria 692
munimenta 697
Primas 671. prætensiones 679

ratio ſtatus 676
reditus 679
regius titulus 633, ſqq.
religio 711
ſcopus 675
ſcriptores 628
ſenatores 670
vicini metuendi 695
Polonorum conditor 632
Ducum ac Regum familiæ 632
indoles 710
mentio nulla ap. antiqvos 627
rex primus qvis 633
regis electio qvalis 636, ſqq.
poteſtas 651
Poppi Ruſſorum 149
Portugallia qvo jure olim Hiſpanico regno acceſſit 315
unde dicatur 366
Portugalliæ ab Hiſpania defectio 316
vide plura tit. *Luſitanicum Regnum*.
Portus Angliæ 450
Poſpolite Ruszeniæ qvid 681
Præcedentiæ certamen inter R. Hiſpaniæ, Galliæ & Angliæ 330
Presbyter Johannes erronee dictus Rex Abyſſinorum 196
Presb. Joh. ex qvo corruptum 198
Presbyteriani in Anglia 467
Primas regni Polonici 671
*Primogeniti Eccleſiæ* vocati Reges Galliæ 397
Protectoratus Angliæ 487
Pro-

Protectorium instrumentum Angl. 490
Protestantes qvinam 73
Prussia regni Polonici pars 704
Puellarum castrum in Scotia 513
Puerorum raptus Turcicus 117
Puritani in Anglia 467
eorum turbæ 481

Q.

Qvakeri 471
Qvartiani Polon. milites qvinam & unde dicti 685
Qvinqveportus Angl. 451

R.

Raptus puerorum Turcicus 117
Ratio Status Imperii
Mogolici 223
Persici 184, 192
Romano-Germanici 89
Russici 145
Regni Anglicani 506
Danici 592
Gallici 431
Polonici 676
Svecici 621
Recessus Imperii 93
Regicidii Anglicani primæ flammæ 480
eventus 484
Regnum qvid 18
Regnum Gallicum, Hispanicum, Lusitanicum, Britannicum, Danicum, &c. vide Titulos.

Regno-

Regnorum Septentrionalium cognitio 546,547
cognitio prima 547
altera ib.
disjunctio 549
numerus 546
Regnorum Svecici ac Polonici conjunctio 706
Religionis indifferentia odium parit 649
Religiosa pax 94
Respublica qvid 19
Reipublicæ consideratio qvo pertineat 2,sq.
notitia qvat. cũ historia convenit 6
Romano-Germanicæ forma 86
Rerumpublicarum scriptores qvinam 12,sqq.
Restes Polon. qvid 683
Rex Romanus qvis 91
qvam potestatem habeat 92
Richelius Cardinalis Ministrissimus 414, sqq.
Romano-Germanici Imperii divisio in orientale & occidentale 36
notitia & scriptores 26, sqq.
origo & progressus 32, s.
scopus 88
titulus & nomen 50,sq.
vid. & Imperium.
R. I. qvando amplissimum fuerit 33
collabascere cœperit 34
reviruerit 34
sacrum cur vocetur 101
Rosa Alba & Rubra, factiones duæ Angl. 473,sq.
Runæ qvid 580
Runica dicta Danorum lingva 580
literatura ib.
Magia ib.

Russia quæ Poloniæ accessit 702
Russiæ conditor 142
genera 142
religio 149
situs 141
Russici Imperatoris tituli 152, sq.
Imperii claustra 156
conservatio 145
forma 146
hostes 157
incrementa 154
munimenta 156
opes 155
Ratio Status 145
regimen politicum 147
scopus 143
scriptores 140
sedes 142
vires 154
Russicum Imp. dicitur Moscoviticum 141
Russorum lingva 151
Russorum Scholæ *ib.*
Rustici in Svecia habent jus comitiorum 614

S.

Sal Gallorum 424
Polonorum 710
Scotorum 514
Salmasii defensio regia 484
Samogitiæ Ducatus 704
Saracenorum Imperium 108
Satrapiæ Persarum 178
Saxonis vicariatus 64

Scandinavia seu Scania 574
 Sveciæ regno accessit 608
Schach, & Schoch, nomen Persicum 174
Schachici ludi inventores 175
Schiræ Angl. 501
Scholasticam Theologiam potissimum excolunt Hispani 322
Scotia pars est insulæ Britannicæ septentrionalior 512
Scotiæ amplitudo 513
 insulæ 513
 metropolis 513
 terræ qvalitas 514
Scotici regni contentiones 518
 ecclesiasticum regimen 526
 familia amplitudo 520
 forma 521, 525
 judiciorum ratio 527
 leges 526
 militiæ ratio 529
 mutatio superiori seculo 526
 ordines 522
 Parlamenta 522
 potestas summa penes qvem 521
 religio 528
 scopus 530
 successio hæreditaria 520
Scotorum fœdus cum Gallis 518
 genera duo 517
 ingenium 514
 origo 517
 virtutes intellectuales & morales 515

Scythæ

Scythæ 230
Senatores regni Polon. qvinam 670
  qvot ordinum ſint 671
  qvam poteſtatem habeant 671
Septemvirorum Collegium qvando cœperit 58, ſqq.
Septemvirorum jus eligendi Imperatorem *ib.*
  vid ſupra *Electores.*
Septentrionalia regna vide *Regna.*
Seriffus, Imperator Fez-Marocc. 206
Servitus Americanorum 307
  Subditorum in Ruſſia 146
Siciliæ regimen Hiſpanicum 341
Sileſia portio qvondam Poloniæ 704
Sian regnum Indiæ 744
Sina, an China ſcribendum 249
Sina à Tartaris primum occupata 245
Sinarum imperium qvamdiu ſub Tart. ditione *ib.*
  qvis it primꝰ in Europa prodiderit 251
Sinenſis Imperii adminiſtratio 267
  antiqvitas 251
  arcana 269
  forma 265
  hoſtes 271
  lex 269
  munimenta 270
  reditus 269
  religio 271
  ſcopus 265
  ſcriptores 272
  ſedes 271

ſtatus

ſtatus hodiernus 272
vires 270
Sinenſium artes ac ingenia 255
charactere 260
in literatura ſtudia 257
lingvæ difficultas & incommod. 263
lingvæ ficta primævitas 252
philoſophia 258
Societas regia Anglicana 463
Sociniani in Polonia 715
Sophus qvid & unde 160
Sorbona, unde dicta 442
Sorboniſtæ qvi 441
Spahi Turcarum 128
Spanſchafften Hungar. 728
Stabuli Comites in Gallia 398
Status ſive Ordines Imperii Romano-Germ. 70. ſqq.
Status Imperii Germ. qvalis 86
Succeſſio in Imp. Romano-Germ. 56
Sveciæ à Dania diviſio 549.
acceſſerunt feuda qvædam Imperii Rom. Germ. 608
partes 604
Svecici regni amplitudo 604
collegia 617
comitia 614
dicaſteria 618
eccleſiaſticus ſtatus 626
forma 611, 613
indigenæ illuſtres 618

limites

limites 608, 610
militares vires 623
officiales 616
ordines 615
prætensiones 621
pvovinciæ 604
ratio ſtatus 621
reditus 625
religio 626
ſcopus 619
ſcriptores 597
ſucceſſio hæreditaria 602
vicini metuendi 609
Svecorum antiqvitas 598
regum ſeries 600
regum maximus 611
Sviones ſunt Sveci 598
Sultani dicti filii principis Tart. 238
Sultani nomen commune 136
Suna qvid 189
Sunnitæ dicti Turcæ 134, 190
Syndicatio Hiſpan. 345

## T.

Tabaco continuo utuntur Japan. 279
Tabulæ Alphonſinæ 55
Tagus fluvius Portugall. 371
Tamerlanis familia 168
nomen 166
politica arcana 169
progreſſus 170
Tamiſis fl. Angliæ 451

Tarari qvando primi Sinam occuparint 245
Tartari qva re innotuerint 228
Tartarico-Sinicũ Imperium qvod & qvale 227
Tartari Aſiatici 238
Tartari Chinæ proximi 241
Tartari Crimei unde vocati 232
Europæi 231
Præcopitæ unde dicti 232
Turkeſtanenſes 240
Usbeqvii 240
zagataii 240
Tartarorum nomen antiqvum 230
Tartarici Imperii conſervatio 237
divitiæ ac opes 233
forma 234
regiminis ratio 235
religio 242
ſcopus 233
ſcriptores 243
ſedes 232
ſucceſsio 237
vires 233
Tartaria deſerta 239
magna 242
Tartarus Præcopenſis competitor regni Polonici 648
Thuanus hypocriſeos in relig. accuſatus 388
Thule num ſit Islandia? 586
Timariotæ 129
Toni gradus in lectione Sinenſ. 264
Tranſſylvania ab Hungaria avulſa 724
unde dicta 724

Tribunal Polon. 657
Turci originarii 116
Turcarum judicia 133
religionis ſtatus 133
Turcici Imperatoris juramentum 136
nomen & titulus 136
prætenſiones 137
Turcicum Imperium unde dicatur 103
Turcici Imperii ampliatio 111
arcana 121
conſervandi media 120
forma 117
forum 132
metus à Janizaris 120
militiæ auxiliaris, pedeſtris, ſeqveſtis 127,128
opes 122
poteſtatis fulcimen 124
provinciæ qvomodo refrenentur 120
regimen 129
ſcopus 115. ſcriptores 112
vicini qvinam formidabiles 138
vires militares 123
urbium nervus 122
Typographiæ inventores num Sinenſes 256
V.
Vandalorum titulus regis Daniæ 570
Venetorum reges cur Dani vocentur 570
Vezires Turcarum 129
Vicariatus Comitis Palatini 65
Saxonis 64

Vinum Peter Simenes unde dictum 319
Ukraina hodie Cosaccis paret 708
Usserii laus 538

W.

VVaivvodæ in Polon.qvi 654
VValachia Turcis hodie subdita 706,707

X.

Xerifus, Imper. Fez-Marocc. 206

Z.

Zaar Russorum 152
Zeelandia 576
Zephyri causa detecti novi orbis 303
Zophus 160

P

Geograf